COMPENDIOSÆ

INSTITUTIONES THEOLOGICÆ,

AD USUM SEMINARII TOLOSANI,

Jussu et auctoritate Illustrissimi et Eminentissimi D. D. Cardinalis

ANNÆ ANTONII JULII DE CLERMONT-TONNERRE,

ARCHIEPISCOPI TOLOSANI ET NARBONENSIS,

GALLIARUM PRIMATIS, ORDINIS REGII SANCTI SPIRITÛS COMMENDATORIS, DUCIS AC PARIS FRANCIÆ, REGNI MINISTRI, REGISQUE A PRIVATO CONSILIO, DOCTORIS SORBONICI, etc., etc., etc.,

in lucem editæ.

TOMUS QUARTUS.

DE SS. EUCHARISTIA, DE EXTREMA UNCTIONE, DE ORDINE, DE CENSURIS ET IRREGULARITATIBUS, DE INDULGENTIIS ET PURGATORIO, DE MATRIMONIO.

Quarta Editio.



TOLOSÆ,

È TYPIS JOANNIS MATTHÆI DOULADOURE.

M. DCCC. XXXV.

TRACTATUS

DE SANCTISSIMA

EUCHARISTIA.

In hoc ineffabili mysterio stupendum in modum elucet Divinitatis potentia, bonitas et sapientia, in quo *memoriam fecit mirabilium suorum misericors et miserator* Christus *Dominus;* quippe qui non solùm illud augustissimum sacramentum instituit ut totum se daret *escam timentibus se,* sed etiam Deo Patri victimam seipsum in perpetuum offerret; sicque divina Eucharistia sacramenti simul et sacrificii habet rationem. Quapropter duæ erunt hujusce tractatûs partes, quarum prima erit de Eucharistiæ Sacramento; secunda de Sacrificio Eucharistiæ.

PARS PRIMA.

DE EUCHARISTIÆ SACRAMENTO.

Præsentem tractatûs partem in sex capita dividimus, acturi in primo de existentiâ sacramenti Eucharistiæ; in secundo, de materiâ et formâ; in tertio, de Ministro; in quarto, de subjecto; in quinto, de necessitate; in sexto, de effectibus; demùm subjungetur appendix de Eucharistiæ institutione.

His nonnulla sunt præmittenda

De Nominibus, Figuris et Definitione Sacramenti Eucharistiæ.

Sacramentum Eucharistiæ variis nominibus ap-

pellatur : aliquandò vocatur *Sacramentum corporis et sanguinis Christi;* aliquandò *Sacramentum altaris;* vocatur etiam *Panis vitæ, Panis supersubstantialis, Mensa Domini,* etc. Sed inter infinita propè nomina quibus designari solet, hæc præcipua sunt : 1.° dicitur *sanctissimum Sacramentum,* simpliciter et sine addito, quia nempè Christum Dominum totius sanctitatis fontem realiter continet. 2.° Appellatur *sacra Synaxis,* seu *Communio,* quia omnes fideles tanquam ejusdem corporis membra inter se connectit, eosdemque Christo Domino illorum capiti arctissimè conjungit, ut in eo maneant, et ipse in eis. Nuncupatur 3.° sæpissimè *Eucharistia,* quod nomen à Græco derivatum, significat *bonam gratiam* seu gratiarum actionem, quo aptissimè designatur sanctissimum Sacramentum; tum quia Christus gratias agendo illud instituit; tum quia in hoc sacramento gratias uberrimas, imò ipsum gratiarum fontem in nobis recipimus; tum deniquè quia per idem sacramentum gratias Deo dignas pro cunctis ipsius beneficiis referre possumus. 4.° Nuncupatur *Viaticum,* præsertìm quandò periculosè ægrotantibus defertur, quia in hujus vitæ deserto peregrinantes, sacrâ Eucharistiâ confortati et recreati, validiùs et securiùs ad cœlestem Jerusalem perveniunt.

Quatuor præsertìm figuris in antiquâ lege adumbratum est Eucharistiæ sacramentum, scilicet Agno paschali, Manna in deserto, Pane sub cinere cocto quem manducavit Propheta Elias, et virtute cujus per quadraginta dies indefessus ambulavit et jejunus; tandem Oblatione Melchisedecis.

Definitur Eucharistia, *Sacramentum novæ*

legis, per modum alimoniæ spiritualis institutum; in quo Christus verè, realiter et substantialiter continetur sub speciebus panis et vini.

Dicitur 1.°, *sacramentum novæ legis*, id est, signum gratiæ productivum, à Christo permanenter institutum : 1. *gratiæ productivum*, non *ex opere operantis* tantùm, id est, vi dispositionum ministri conferentis, aut subjecti recipientis; sed *ex opere operato*, id est, vi ritûs externi, independenter à dispositionibus ministri vel subjecti, tanquam causis; necessariæ quidem sunt illæ dispositiones obicem removentes, ad hoc ut gratia producat suum effectum; non autem possunt dici necessariæ, in eo sensu quòd sint tanquam causæ. 2. *Permanenter institutum,* id est, celebrandum ab institutione suâ usque ad finem Religionis, cujus est sacramentum.

Dicitur 2.°, *per modum alimoniæ spiritualis institutum;* cùm enim in eo conveniant omnia sacramenta, quòd gratiam producunt, ita ut illud dici possit tanquam genus; inter se distinguuntur per gratiam cuique propriam, et sicut Baptismo proprium est gratiam producere regenerantem, sic gratia spiritualiter nutriens proprius est Eucharistiæ effectus.

Dicitur 3.°, *in quo Christus verè, realiter et substantialiter continetur;* quæ voces appositæ sunt à Concilio Tridentino, ut excludantur perversi sensus quibus Sacramentarii Christum in Eucharistiâ præsentem docent : *verè*, id est, non in figurâ tantùm; *realiter,* id est, non per fidem solùm; *substantialiter,* id est, non in virtute tantùm.

Dicitur 4.° tandem, *sub speciebus panis et vini,* quorum substantia transit, virtute conse-

crationis, in substantiam corporis et sanguinis Christi.

CAPUT PRIMUM.

De Existentiâ Eucharistiæ.

Tres erunt hujus capitis articuli : in 1.° exponemus Eucharistiam esse verum ac proprium novæ legis sacramentum ; in 2.° agemus de præsentiâ reali Christi in Eucharistiâ; in 3.° de modo illius præsentiæ realis.

ARTICULUS PRIMUS.

An Eucharistia sit novæ legis Sacramentum.

Sacramentum duobus modis sumitur, vel *latè* seu impropriè, vel *strictè* seu propriè : quandò latè sumitur, significat signum alicujus rei sacræ; quandò strictè sumitur, significat signum sensibile gratiæ productivum, à Christo permanenter institutum. Priori sensu, omnes Christiani fatentur Eucharistiam esse sacramentum ; posteriori verò, negant Sociniani, contra quos sit sequens

PROPOSITIO.

Eucharistia est verè et propriè Sacramentum novæ legis.

Propositio est *de fide*, definita in Concilio Florentino, in decreto ad Armenos, et in Concilio Tridentino, his verbis, Sess. 7, can. 1 : *Si quis dixerit sacramenta novæ legis non fuisse omnia à J. C., Domino nostro, instituta ; aut esse plura vel pauciora quàm septem, videlicet,*

Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, etc.; aut etiam aliquod horum septem non esse verè et propriè sacramentum; anathema sit.

Prob. Sacramentum propriè dictum est signum sensibile, gratiæ productivum, et à Christo permanenter institutum : atqui talis est Eucharistia. Nam 1.° est signum sensibile; species enim panis et vini aptissimè repræsentant gratiam, quæ est spiritualis animarum cibus. 2.° Est signum gratiæ productivum, ex iis Christi verbis, Joan. c. 6, ℣. 52, 59 : *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vitâ. Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* 3.° Est à Christo institutum, ut narrant Evangelistæ, Matthæus, Marcus et Lucas : *Accepit Jesus panem, et benedixit ac fregit*, etc. 4.° Est signum permanenter institutum, et illud intelligitur per ista verba : *Hoc facite in meam commemorationem;* ex quibus sic arguere datur : Sacramentum cujus celebratio indefinitè præscripta est, illud, inquam, est permanenter institutum : atqui celebratio sacramenti Eucharistiæ est indefinitè præscripta; ergo Eucharistiæ sacramentum est permanenter institutum. Aliundè est à Christo institutum, etc.; ergo Eucharistia est sacramentum propriè dictum.

Superflua videtur probatio ex SS. PP. et Conc., ut potè quòd nobis ab adversariis dimittuntur, qui Traditionem rejiciunt, et auctoritatem Conciliorum spernunt.

Obj. 1.° Christus instituendo Eucharistiam, productionis gratiæ mentionem non facit; ergo Eucharistia non est, etc.

Resp. Nego consequent. Quia efficacitas Eucharistiæ aliundè constat, nempè ex verbis promissionis et Traditione, ut dictum est, et infrà fusiùs dicemus.

Obj. 2.° Si Eucharistia sit sacramentum existens sub speciebus panis et vini, ergo duo erunt sacramenta in Eucharistiâ : falsum consequens; ergo et antecedens.

Resp. Dist. maj. Duo erunt sacramenta physicè, *conc.;* moraliter, *nego.* Sacramentum physicè, est entitas signi; moraliter, est significatio : porrò species quidem entitatis distinctæ sunt, undè duo sunt physicè sacramenta; eamdem verò gratiam operantur; ergo est unum moraliter.

Obj. 3.° Si Eucharistia esset sacramentum, posset assignari quid in eâ rationem habeat sacramenti : atqui illud non potest assignari; ergo, etc.

Resp. 1.° *Nego maj.* Certò enim cognoscimus ex definitione Ecclesiæ Eucharistiam esse sacramentum, dùm è contrà rationem sacramenti liberæ disputationi permisit.

Resp. 2.° *Nego min.* Ratio enim sacramenti convenit corpori Christi, prout delitescit sub speciebus panis et vini; ipsam enim gratiam per species significat; aliundè vi propriâ gratiam operatur, ut evincunt mox laudata verba : porrò cui significatio et productio gratiæ convenit, ipsi quoque ratio sacramenti conveniat necesse est; ergo, etc. Et verò, sacramenti ratio non consistit in consecratione, ipsa enim animæ refectionem nec significat, nec producit; nec in susceptione, quæ est conditio ad productionem gratiæ, non verò causa illius; nec in solis speciebus, quæ seorsìm à corpore Christi gratiam non producunt; nec in corpore solo, quod sejunctum à speciebus sensibile non est; ergo superest ut tribuatur aggregato ex corpore Christi et speciebus.

COROLLARIUM PRIMUM.

Ergo Eucharistia est sacramentum permanens; consistit enim in corpore Christi permanenter delitescenti sub speciebus.

COROLLARIUM II.

Ergo Eucharistia non constat rebus tanquam materiâ, et verbis tanquam formâ, ut contingit in aliis sacramentis: sed ex iis perficitur tantùm, ita ut panis sit materia *ex quâ*, et consecratio forma *per quam* fiat sacramentum.

ARTICULUS II.

De reali Præsentiâ Christi in Eucharistiâ.

Realem Christi præsentiam in Eucharistiâ impugnârunt indirectè quotquot negârunt veram à Christo carnem assumptam fuisse, de quibus in *Tractatu de Incarnatione*. Directè verò, IX seculo, Joannes Scotus Erigena, id est, Hibernus; XI seculo, Berengarius, Andegavensis Archidiaconus; XII, Petro-Brussiani et Henriciani, sic dicti, priores à Petro de Bruis; posteriores, ab Henrico, ejusdem Petri discipulo; XIV, Wiclefus, qui, juxta nonnullos, solam impugnavit transsubstantiationem; XVI, Carlostadius; eodem circiter tempore, Zuinglius, deindè Calvinus, qui errorem suum longè latèque disseminavit. Ex adverso, dogma catholicum à pluribus strenuè vindicatum est, præsertim in tractatu quem de Eucharistiâ gallico idiomate scripsit Cardinalis Perronius, et in opere eximio cui titulus, *Perpetuité de la foi*. Contra omnes Hæreticos, sit sequens

PROPOSITIO.

In sanctissimæ Eucharistiæ sacramento continentur verè, realiter et substantialiter corpus et sanguis Christi, unà cum animâ et divinitate ipsius, ac proindè Christus totus.

Est *de fide,* decisa in Concilio Tridentino, cujus sunt ipsa verba propositionis, can. 1, Sess. 13.

Ex quadruplici fonte suas in gratiam præsentiæ realis probationes depromunt Catholici, 1.° ex Scripturâ sacrâ, 2.° ex Traditione, 3.° ex Præscriptione, 4.° ex Momentis theologicis.

PROBATIO PRIMA.

Ex Scripturis.

Scripturæ triplex nobis argumentum suppeditant, 1.um sumitur ex verbis promissionis, iis scilicet quibus usus est Christus Eucharistiam promittendo; 2.um ex verbis institutionis, ex iis nempè quæ idem Christus usurpavit Eucharistiam instituendo; 3.um ex iis Scripturæ locis in quibus fit mentio usûs sive participationis Eucharistiæ.

ARGUMENTUM PRIMUM.

Ex verbis promissionis.

Hæc verba leguntur apud S. Joannem, c. 6, parte ultimâ, tres enim sunt hujusce capitis partes: in 1.â agitur de multiplicatione panum; in 2.â, nempè à versu 25 ad 52, agitur de Incarnatione Verbi, et manducatione ejus metaphoricâ, per fidem scilicet in Christum Messiam; in 3.â nempè à versu 52 ad 67, habet Christus de Eucharistiâ. Ista sunt autem promissionis verba : *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vitâ. Litiga-*

bant ergo Judæi ad invicem, dicentes: Quomodò potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum? Dixit ergo eis Jesus: Amen, amen dico vobis: nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam.... Caro enim mea verè est cibus: et sanguis meus verè est potus. Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo..... Multi ergo audientes ex discipulis ejus, dixerunt: Durus est hic sermo, et quis potest eum audire? Sciens autem Jesus apud semetipsum, quia murmurarent de hoc discipuli ejus, dixit eis: Hoc vos scandalizat? Si ergo videritis Filium hominis ascendentem ubi erat prius?.... Ex hoc multi discipulorum ejus abierunt retrò: et jam non cum illo ambulabant. In iis de Eucharistià sermonem fieri negant omnes Sacramentarii, necnon pauci inter Catholicos, qui in opinionem à verà interpretatione alienam adducti sunt, quia non posse aliàs revinci existimabant Wiclefum et Joannem Hus; isti enim textu S. Joannis abutebantur ut propugnarent communionem sub utrâque specie omnibus indiscriminatim præcepto divino esse necessariam. His exceptis, omnes omninò Catholici contendunt Eucharistiæ promissionem in relato Joannis testimonio contineri, quibus assentimur.

Prob. 1.° Christus haud dubiè suam adimplevit promissionem; *fidelis* enim *Dominus in omnibus verbis suis,* ait Psaltes regius: atqui apud Joan. c. 6 superiùs citato, promisit se daturum carnem suam verè et realiter in Eucharistià manducandam. Verba enim quibus in illo capite usus est,

litteraliter intellecta, promissionem ejusmodi continent, ut evidens est, nec ipsis diffitentibus adversariis : porrò litteraliter intelligi debent. Etenim, juxta regulam interpretandi Scripturas à S. Aug. traditam, lib. 3 de Doctrinâ Christi, cap. 16, *Scriptura litterali sensu intelligenda est, quotiescunquè juxta litteram intellecta, nec sanæ fidei, nec bonis moribus* (addi potest, nec evidenti rationi) *contradicit* : atqui verba promissionis litteraliter accepta, 1. non repugnant sanæ fidei. cùm nulli alii proferantur textus Scripturæ aut Traditionis clariores, qui cum verbis promissionis conciliari non possint. 2. Nec bonis moribus ; sola enim manducatio Christi sensu Capharnaïtico intellecta, bonos mores lædit, non verò sacramentalis illa perceptio quam credimus. 3. Nec evidenti rationi ; quod enim est tantùm supra rationem, evidenti rationi non repugnat : atqui Eucharistia, ut potè mysterium, est tantùm supra rationem ; ergo evidenter non contradicit rationi ; ergo, etc. : aliundè nec, etc. ; ergo, etc.

Prob. 2.° Vel illa promissionis verba in sensu litterali, seu de reali manducatione intelligenda sunt, vel in sensu metaphorico, seu de manducatione per fidem : atqui posterius dici nequit, ut constat tum ex ipsismet verbis quibus Christus usus est, tum ex circumstantiis.

1.° *Ex ipsismet verbis Christi.* Etenim dici non potest Christum, verba promissionis usurpando, contra receptas sermonis leges locutum fuisse : atqui tamen illud dicendum est, si verba promissionis intelligenda sint in sensu metaphorico, nimirùm de manducatione carnis Christi per fidem. Namque eæ sunt receptæ sermonis leges, 1.ª ut sensus metaphoricus auditorum intel-

lectui sit accommodatus; 2.ª ut metaphora insolita et paululùm obscura, obiter tantùm proferatur; 3.ª ut explicetur metaphora, ubi qui eam adhibet animadvertit verba sua ab auditoribus sensu litterali et proprio intelligi : atqui eas omnes sermonis leges infregisset Christus, si verba promissionis ad sensum manducationis per fidem usurpasset. Primò enim sensus metaphoricus quem Christus intellexisse supponitur, non esset auditorum captui accommodatus; quis enim, nisi priùs admonitus, intelligat carnem hominis manducare, et bibere ejus sanguinem, significare fidem quæ in ipsum habetur? Deindè manducationem carnis suæ Christus non semel et obiter, sed sæpiùs indicat, ter quaterque repetit, ut patet ex contextu. Postremò, nedùm ab auditorum mente sensum manducationis realis removeat, ubi intelligit ipsum ab iis percipi, illud è contrà multis modis confirmat, ut posteà dicemus; ergo, si sensu metaphorico verba promissionis intelligenda sunt, Christus contra sermonis leges locutus est : porrò quid sibi vult hæc agendi ratio? nonne mendacis hominis esset et impostoris?

2.º *Ex circumstantiis.* 1. *Ex scandalo Judæorum et discipulorum.* Nimirùm discipuli scandalizantur, ubi intelligunt Christum loqui de manducatione reali ipsius carnis, et obmurmurantes quòd *durus* esset *hic sermo*, litigant inter se de sensu quo loquitur : *Quomodò potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?* ille verò eumdem realem sensum confirmat et inculcat, et nedùm Judæorum errorem emendet, quin potiùs difficultatem adauget, cùm subdit : *Hoc vos scandalizat? si ergo videritis Filium hominis ascendentem ubi erat priùs?* quibus

verbis significat rem prænuntiatam difficiliorem fore conceptu post ejus ascensionem : atqui res è contrario eveniret, si ageretur de solà manducatione per fidem in sensu Calvinistarum; faciliùs enim creditur in Christum in cœlos assumptum, quàm si in terris degeret; dùm substantialis manducatio carnis Christi, ad sensum Catholicorum, reverà difficiliùs concipitur post ejus ascensionem. Præthereà, Christus juramento asserit carnem suam esse *verè* cibum, et sanguinem suum *verè* potum : *Amen, amen dico vobis*, etc. : porrò Religio et ratio nos edocent quòd ubi juramentum interponitur, verba clara esse et aperta necesse sit. Demùm, sinit suos abire discipulos, dùm merà et facili explicatione, unoque verbo illos revocare potuisset, dicendo se figuratè loqui; quinimò se paratum exhibet pati potiùs se à cæteris discipulis deserendum, quàm sua dicta inflectere in sensum à proprio et naturali diversum : *Nunquid et vos*, inquit, Apostolos alloquens, *vultis abire?* porrò incredibilis sanè est hæc agendi ratio optimi Pastoris, adeò hominum amantissimi et præsertìm Apostolorum, quos *non jam servos, sed amicos dicebat.* 2. *Ex personâ Evangelistæ verba Christi referentis;* quippe nisi de manducatione reali in Eucharistià intelligantur, dicendum erit S. Joannem dilectum Christi discipulum, qui in cœnâ super pectus illius recubuit, qui in tradendis ipsius mysteriis adeò fuit diligentissimus, nullibi tamen de sacramento Eucharistiæ locutum fuisse.

Prob. 3.° Tandem verba promissionis mirè consentiunt cum verbis institutionis, quæ, ex infrà dicendis, litteraliter et in sensu realis præsentiæ sunt accipienda; ergo hìc promittitur

quod alibi datur; proindèque promissionis verba litteraliter, seu de manducatione reali sunt intelligenda.

Et verò, eo sensu textus Scripturæ intelligendus est, quo eum intellexit Traditio : porrò textum de quo hic agitur intellexerunt SS. PP. et Concilia, non de manducatione metaphoricâ sive per fidem, sed de manducatione reali : ita S. Cyprianus, lib. de Oratione dominicâ; Origenes, Homil. 16 in Numeros; S. Cyrillus Jerosolym. Catech. 4; S. Hilarius, lib. 8 de Trinitate; S. Ambrosius, lib. de Init.; S. Aug. Tract. in Joannem; S. Chrysost. Homil. 45 et 46 in Joannem; etc.; Concilium Ephesinum, Nicænum II, Tridentinum, etc.; ergo, etc. Ergo totus loci citati contextus, ipsa Christi loquendi et agendi ratio, Judæorum, discipulorum et Apostolorum sensus, et doctrina Patrum, illum ad veram, realem et oralem corporis et sanguinis Christi perceptionem absolutè determinant; ergo ex verbis promissionis invictè probatur realis Christi præsentia.

Obj. 1.° Ex c. 6 Joannis probari non potest præsentia realis, nisi certum sit in eo sermonem esse de Eucharistiâ : atqui in eo capite sermo non est de Eucharistiâ; ergo, etc.

Resp. Nego min. ex probatis.

Inst. 1.° *Prob. min.* Scilicet, hi sunt characteres manducationis de quâ loquitur Christus in eo capite, 1.° certò dat vitam; 2.° ita dat vitam, ut citra illam vita à nemine obtineri possit; 3.° dat vitam antecedenter ad institutionem Eucharistiæ; namque quandò Christus hæc verba protulit, nondùm instituta erat Eucharistia, et tamen dabat vitam quo tempore loquebatur Christus, ut constat tum ex his verbis, *Qui manducat*

meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, quæ indicant manducationem actualem; tum ex aliis, *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis,* quæ clarè exprimunt actualem manducandæ carnis Christi necessitatem: porrò tres illi characteres manducationi eucharisticæ nullatenùs conveniunt, ut attendenti patebit; ergo in prædicto capite Joannis, minimè sermo est de Eucharistiâ.

Resp. ad 1.am *partem maj. Dist.* Manducatio eucharistica certò dat vitam, positis conditionibus ponendis, *conc.*; secùs, *nego.* Itaque quemadmodùm non omnis qui petit accipit, licèt generatìm scriptum sit, *Qui petit, accipit;* sic nec omnis qui manducat carnem Christi, et bibit ejus sanguinem, habet vitam æternam: ratio est, quia sicut ad petitionis effectum requiritur pietas et perseverantia, ex aliis Scripturæ textibus; ita ad effectum eucharisticæ manducationis, certæ requiruntur dispositiones, nempè ut *probet se ipsum homo: et sic de pane illo edat.* I Cor. c. 11, ℣. 11.

Ad. 2.am *partem, Nego.* Præceptum enuntiatum per illa verba, *Nisi manducaveritis,* etc., non respicit infantes, sed solos adultos, quia infantes hoc ipso quòd baptizati, facti sunt filii Dei et hæredes regni cœlorum, ac proindè non possunt excludi à vità æternâ seu à regno cœlorum, etiamsi decedant Eucharistiâ non perceptâ.

Ad 3.am *partem, Nego.* Quoad textus qui in probationem adducuntur, *dico:* Hæc verba, *Qui manducat meam carnem, et bibit,* etc., non indicant manducationem actualem, respiciunt tempus futurum, quod evidenter patet ex istis

aliis quæ citata præcedunt, *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum : et panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vitâ*, cùm actu manducari non possit quod in futuro duntaxat dandum proponitur. Verba autem, *Nisi manducaveritis carnem*, etc. non magis actualem manducandæ carnis Christi necessitatem probabant pro Judæis, quàm ista Christi verba quæ leguntur Joannis c. 3, ℣. 5, *Nisi quis renatus fuerit ex aquâ*, etc., actualem Baptismi suscipiendi necessitatem probaverant pro Nicodemo et aliis : atqui, etc. ; ergo, etc.

Inst. 2.° Atqui si in isto Joannis testimonio sermo sit de Eucharistiâ, saltem verba Christi non sunt intelligenda ad sensum Ecclesiæ Romanæ, sed ad sensum Calvinistarum, id est, sensu spirituali et metaphorico; ergo, etc.

Prob. ant. tum quia id indicant ipsa Christi verba sequentia, *Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt*, id est, spiritualiter intelligenda; tum quia si verba Christi acciperentur litterali sensu, indè sequeretur manducationem de quâ agit, ipsius carnem attingere : atqui illud dici non potest; namque ipse Christus ait manducationem carnalem nullatenùs prodesse, tantùm verò spiritualem : *Spiritus est qui vivificat : caro non prodest quidquam ;* ergo manducatio de quâ Christus loquitur non attingit ipsius carnem; ergo est spiritualis; ergo textus Joannis, etiamsi in eo sermo sit de Eucharistiâ, intelligi debet sensu metaphorico, ac proindè præsentia realis Christi probari non potest ex illo textu.

Resp. Nego ant. Ad cujus probationem, *resp.* 1.° Si per hæc verba, *Caro non prodest quid-*

quam ; Verba quæ ego locutus sum vobis , spiritus et vita sunt ; si per hæc , inquam, realem et oralem manducationem rejicit Christus, non erat cur ab eo recederent discipuli ejus : atqui tamen statim atque prolata sunt hæc verba, multi discipulorum ejus abierunt retrò ; ergo , etc.

2.° Textus objectus, *Caro non prodest quidquam ,* non est intelligendus de ipsâ carne Christi. Per illa verba non explicat Christus quomodò carnem suam ad manducandum daturus sit, aut quomodò caro sua à nobis manducata , possit dare vitam , quod Judæi intelligere non poterant ; sed eos reprehendit quòd mysteria quæ illis de carne suâ manducandâ proponebat, carne, id est , humanâ ratione , carnali ingenio metirentur , ideòque intelligere non possent. Itaque , ut observat Maldonatus et P. *Mauduit ,* quotiescunquè in Scripturis nomen carnis opponitur nomini spiritûs, non pro substantiâ carnis, sed pro infirmitate intellectûs humani accipitur ; cùm ergo Christus, in textu objecto, opponat carnem spiritui , *Spiritus est, qui vivificat : caro non prodest quidquam,* dici non potest quòd ibi loquatur de carne suâ ; sed ipsius verba intelligenda sunt de carnali Judæorum ingenio. Ita hunc locum exponunt Patres plurimi, et inter eos S. Chrysost., qui sic habet, in Joan. Homil. 47 : *Quomodò ait Christus , « caro non prodest quidquam ? » non de suâ carne dicit; absit : sed de iis qui dicta carnaliter accipiunt.* Igitur quod subdit Christus, *Verba quæ ego locutus sum vobis , spiritus et vita sunt,* spiritualiter est intelligendum , non quòd figuratè tantùm et metaphoricè carnem Christi manducemus solâ fidei apprehensione , sed per exclusionem carnalis sensûs Judæorum.

Et certè Christus, c. 6, ℣. 65, Judæis et discipulis exprobrat eorum incredulitatem : jam verò duplex tantùm afferri potest ratio illius increpationis, scilicet, vel quia non credebant manducationem carnis Christi per fidem necessariam esse ad vitam æternam, vel quia rejiciebant realem et oralem carnis Christi manducationem : atqui 1.um dici non potest : alioquin ipsius increpatio injusta fuisset ; nam illi non intelligebant verba, quæ primo intuitu designant manducationem realem, nihil aliud significare præter manducationem spiritualem : atqui, hoc posito, Christus non potuit eos incredulitatis arguere, sed ad summum tardioris ingenii, præsertim cùm nullatenùs rejicerent manducationem spiritualem ; imò plures ex eis, credentes in Christum, hoc ipso spiritualis per fidem manducationis, cujus necessitatem exigebat Christus, jamjam participes facti fuissent ; ergo ideò Christus eos ut incredulos increpat, quia non credebant necessitatem manducationis realis et oralis ; ergo verba Christi intelligenda sunt de manducatione reali et orali, per exclusionem sensùs carnalis Judæorum.

Quòd si quis velit objecta verba, *Caro non prodest quidquam*, de ipsâ Christi carne interpretari, sensus iste erit : Caro sensu Capharnaïtarum manducata, id est, à spiritu sejuncta, nihil prodest ; verba quæ ego locutus sum intelligenda sunt, non de solâ carne, sed de carne conjunctâ cum spiritu vivificante. Ita S. Aug. tract. 27 in Joannem : *Quid est*, inquit, *non prodest quidquam caro ? non prodest quidquam : sed quomodò illi intellexerunt : carnem quippe sic intellexerunt, quomodò in cadavere dilaniatur,*

aut in macello venditur, non quomodò spiritu vegetatur... Accedat spiritus ad carnem, et prodest plurimùm; nam si caro nihil prodesset, Verbum caro non fieret, ut inhabitaret in nobis.

Obj. 2.° S. Aug. sic exponit caput 6 S. Joannis, ut realis manducationis sensum prorsùs excludat; nam 1.° in versum 27 sic loquitur: *Hoc est manducare cibum qui non perit, credere in Christum: utquid ergo paras dentes et ventrem? crede, et manducasti.* 2.° Versum 50, *Hic est panis de cœlo descendens: ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur*, exponit de eo qui manducat intùs non foris; qui manducat in corde, non premit dente. 3.° In Psalm. 98, sic inducit Christum loquentem de manducatione carnis suæ: *Spiritualiter intelligite quod locutus sum. Non hoc corpus quod videtis manducaturi estis, et bibituri illum sanguinem quem fusuri sunt qui me crucifigent; sacramentum aliquod vobis commendavi; spiritualiter intellectum vivificabit vos.* 4.° Lib. 3 de Doctrinâ Christianâ, cap. 16, hanc tradit regulam ut dignoscatur verus Scripturæ sensus: *Si præceptiva locutio est aut flagitium aut facinus vetans, non est figurata; si autem flagitium aut facinus videtur jubere, figurata est.* Deindè addit: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem*, etc.; *facinus aut flagitium videtur jubere; figura est ergo præcipiens passioni dominicæ esse communicandum, et suaviter atque utiliter recondendum in memoriâ quòd pro nobis caro ejus crucifixa et vulnerata sit.*

Resp. Nego ant. Ad 1.um S. Aug. ibi non loquitur de sacramento Eucharistiæ, sed de fide in Christum incarnatum; et reverà versus 27, quem

ibi exponit S. Doctor, non debet intelligi de Eucharistiâ, sed de fide in Christum, ut manifestè patet ex verbis subsequentibus.

Ad. 2.um Ibi docet S. Aug. satis non esse ad salutem, si quis ore particeps fiat carnis Christi, sed præterea requiri, ut carnem illam comedat corde, id est, cum debitis dispositionibus; undè nedùm excludat, imò expressè admittit in loco objecto realem et oralem carnis Christi manducationem; idque manifestum est ex verbis subsequentibus verba in objectione allata: *Hoc est*, ait, *manducare illam escam et bibere potum, in Christo manere, et illum manentem in se habere: ac per hoc, qui non manet in Christo, et in quo non manet Christus, procul dubio nec manducat spiritualiter carnem ejus, nec bibit ejus sanguinem, licèt carnaliter et visibiliter premat dentibus sacramentum corporis et sanguinis Christi.*

Ad. 3.um S. Aug. non opponit spiritualem manducationem carnis Christi manducationi reali et orali quam admittimus, sed manducationi carnali, ad sensum Capharnaïtarum, ut colligitur ex ipso contextu; sic enim habet: *Illud stultè acceperunt* (Capharnaïtæ), *carnaliter illud cogitaverunt et putârunt quòd præcisurus esset Dominus particulas quasdam de corpore suo, et daturus illis, et dixerunt: Durus est hic sermo.* Hanc manducationem carnalem rejicit S. Aug., addens verba Christi esse spiritualiter intelligenda.

Ad. 4.um *Resp.* 1.° S. Aug. excludit tantùm manducationem carnalem ad sensum Capharnaïtarum; namque eam solam excludit manducationem carnalem, quæ facinus importaret: atqui

facinus quidem importat manducatio sensu Capharnaïtarum intellecta, nullum verò manducatio sensu Catholicorum, ut ipsa sola ratio demonstrat. 2.° Reverà juxta S. Aug., verba Christi, *Nisi manducaveritis*, etc., debent figuratè intelligi : verùm nihil indè contra nos; namque, juxta S. Doctorem, ideò debent figuratè intelligi, quia flagitium exprimere videntur; ergo cùm illa verba sensu Catholicorum accepta nullum flagitium exprimant, evidens est S. Aug. non loqui de illis verbis juxta sensum Catholicorum, sed juxta sensum Capharnaïtarum, cùm dicit illa verba figuratè accipienda esse.

ARGUMENTUM II.

Ex verbis Institutionis.

Verba institutionis sunt ea quibus usus est Christus Eucharistiam instituendo, Matth. c. 26, ℣. 26 : *Accepit Jesus panem, et benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, et ait : Accipite et comedite* : HOC EST CORPUS MEUM, etc. Iisdem ferè verbis usi sunt Marc. c. 14, Luc. c. 22, et et Paulus I Cor. c. 11.

Ex illis efficaciter probari dogma præsentiæ realis docent Catholici, negant Calvinistæ, inter Sacramentarios præcipui, quorum expositiones in verba institutionis adeò excreverunt, ut jam ab anno 1577 prodierit libellus in quo 200 numerantur. Duæ præcipuæ notandæ sunt : 1.ª est Carlostadii, qui ex Patris cœlestis revelatione didicisse se asserit, *hoc* idem esse quòd *hìc*, ita ut sensus sit : Hìc est, seu hìc sedet corpus meum. 2.ª est Zuinglii, qui contendit verbum, *est*, idem esse ac, *significat*, ita ut sensus sit : Hoc signi-

ficat corpus meum, seu, Hoc est figura corporis mei. Hac autem ultimâ expositione semel confutatâ, cæteræ omnes quasi ultrò concidunt.

Jam verò ut hanc verborum expositionem, vel potiùs corruptionem, manifestent Sacramentarii, multa proferunt exempla in quibus similis adhibetur locutio : sic de imagine Cæsaris quotidiè dicitur : Hic est Cæsar, seu, Hæc est figura Cæsaris. Verùm ista exempla nihil juvant adversarios; namque sicut fatemur libenter nomen rei significatæ sumi aliquandò pro nomine rei significantis, item fateantur adversarii necesse est hanc nominum commutationem aliquandò fieri non debere. Hinc sanè ineptè loqueretur homo qui, nullâ præmonitione habitâ, de quercu quam apud se in signum Alexandri Magni commemorativum instituisset, amicis seriò loquens diceret : Hic est Alexander Magnus. Ut ergo suam verborum institutionis explicationem exemplis confirment adversarii, ipsis probandum incumbit regulas in metonymiâ seu mutatione nominum servandas, in suâ verborum institutionis explicatione servari; istud verò nondùm præstiterunt, nec unquàm præstabunt. Regulas in hâc figuratâ loquendi ratione servandas sic tradit illustrissimus *Bossuet*, lib. cui titulus, *Exposition de la Doctrine de l'Eglise Catholique*, cap. 10 : *Les lois du discours nous apprennent que le signe qui représente naturellement, reçoit souvent le nom de la chose, parce qu'il lui est comme naturel d'en ramener l'idée à l'esprit. Le même arrive aussi, quoiqu'avec certaines limites, aux signes d'institution, quand ils sont reçus et qu'on y est accoutumé. Mais quand établissant un signe qui de soi-même n'a aucun rapport à la chose signi-*

fiée, par exemple, un morceau de pain pour signifier le corps d'un homme, on lui en donne le nom sans rien expliquer, et avant que personne en soit convenu, comme a fait Jésus-Christ dans la cène; c'est une chose inouie, et dont nous ne voyons aucun exemple dans l'Ecriture sainte, pour ne pas dire dans tout le langage humain.

Itaque cum omnibus tenendum Catholicis, per verba institutionis invictissimè probari dogma realis præsentiæ.

Prob. 1.° Verba institutionis litteraliter intellecta, probant præsentiam realem : atqui debent ad litteram intelligi; ergo, etc. Toties enim sunt litteraliter intelligenda verba Scripturæ, quoties nulla nos cogit ratio ad ea figuratè intelligenda : atqui verba institutionis figuratè intelligere nulla nos cogit ratio; litteraliter enim intellecta nec sanæ fidei, nec bonis moribus, nec evidenti rationi adversantur; ergo, etc. *La présence réelle*, inquit *Bossuet*, loco citato, *est solidement établie par les paroles de l'institution, lesquelles nous entendons à la lettre, et il ne nous faut non plus demander pourquoi nous nous attachons au sens propre et littéral, qu'à un voyageur pourquoi il suit le grand chemin; c'est à ceux qui prennent des sentiers détournés, et qui ont recours au sens figuré, à rendre raison de ce qu'ils font : pour nous qui ne trouvons rien dans les paroles dont Jésus-Christ s'est servi pour l'institution de ce mystère, qui nous oblige à les prendre dans un sens figuré, nous estimons que cette raison suffit pour nous déterminer au sens propre et littéral.*

Prob. 2. Verba institutionis litteraliter intellecta,

lecta, præsentiam realem adstruunt : atqui sensu litterali intelligi debent. Vel enim sensu litterali sunt intelligenda, ut patet Catholicis; vel figuratè, ut volunt Sacramentarii : atqui posterius dici nequit : res ita est, modò verba institutionis figuratè intellecta, exhibeant sensum obscurum et coactum; modò insuper à verbis institutionis procul esse debeat significatio obscura, abstrusa et coacta : atqui hæc duo vera sunt.

1.° Quidem figuræ sensus, juxta quem verba institutionis, *Hoc est corpus meum*, sic redduntur, Hoc est figura corporis mei, est abstrusus, obscurus et nimis coactus, quod triplici ratione potest evinci : 1. ex eo quòd is figuræ sensus, per quindecim priora Ecclesiæ secula, in nullius fermè mentem venerit, et à paucis, ut à Berengario, interdum propositus, statim à cæteris per orbem Christianis tanquam extraneus rejectus sit. 2. Ex eo quòd ipsimet præsentiæ realis infensi hostes, in eo detegendo sensu plurimùm laboraverint : ipse enim fatetur Zuinglius in Epist. ad Pomeranium, se cùm valdè torqueretur Evangegelii verbis simplicibus et apertis, neque satis sciret quà ratione ab iis sese expediret, sensum suum per annos quatuor quæsiisse, et clavem figuræ, quasi felicem margaritam, in epistolâ cujusdam hominis invenisse. 3. Quia ipse Lutherus, peroptans figuræ sensum adoptare in odium Ecclesiæ Romanæ, eò tamen, veritate superatus, venire non potuit ut eum amplecteretur : *Vellem*, inquit in Epist. ad Argentinenses, *ut posset aliquis mihi persuadere nihil esse in Eucharistiâ præter panem et vinum : jam sæpè gravibus curis in hâc materiâ desudavi, quia videbam me hoc modo plurimùm posse papatui*

nocere. Verùm me captum video, nulla evadendi via relicta est; textus Evangelii nimis est apertus. Ergo 1.° figuræ sensus non potest tribui verbis Christi, nisi supponendo ipsum obscurè locutum fuisse et abstrusè et nimis coactè.

2.° Tamen dici nequit Christum instituendo Eucharistiam, obscurè, abstrusè et nimis coactè locutum fuisse. Res ita est, modò natura rei de quâ loquitur Christus, conditio personarum quas alloquitur, temporis circumstantia quo loquitur, exigant ipsum clarè locutum fuisse : atqui natura rei, etc.; ergo, etc. 1. Quidem natura rei. Tunc enim dogma tradebat credendum ab omnibus, sacramentum ritu perpetuo celebrandum instituebat, legem simul et testamentum morti proximus condebat : atqui hæc omnia claris verbis exprimi postulant, si non in omnibus Scripturæ textibus, saltem in aliquibus, quod imprimìs verum est in sententià Calvinistarum, qui pro solà fidei regulà Scripturam venerantur, Traditionem respuentes. 2. Idem exigit conditio personarum quas tunc Christus alloquebatur; verba enim dirigebat ad duodecim Apostolos, quibus, ipso teste, datum fuerat nosse mysteria regni cœlorum, quibus omnia quæcunque audiverat à Patre nota fecerat, quibus parabolas suas exponere solebat. 3. Circumstantia temporis. Siquidem instituit Christus pridiè mortis suæ, quo tempore clariùs et apertiùs loqui solent homines. Ergo tum temporis circumstantia, tum conditio personarum, tum ipsa rei natura, exigunt Christum clarè locutum fuisse : sed verba institutionis figuratè intellecta non sunt clara; ergo litteraliter sunt intelligenda : sed realiter intellecta, probant præsentiam realem;

ergo ex verbis institutionis adstruitur præsentia realis.

Prob. 3.° Christus dicendo, *Hoc est corpus meum*, vel significare voluit rem præsentem quam præ manibus tenebat, vero et reali sensu esse corpus suum; vel, ut contendunt Sacramentarii, tantùm intendit Eucharistiam esse figuram corporis sui : atqui posterius dici nequit. Namque repugnat Christum ita locutum fuisse contra receptas sermonis leges, ut aliud verbis expresserit, aliud ab auditoribus intelligi voluerit; tamen si Christus dicendo, *Hoc est corpus meum*, significare tantùm voluit rem præsentem quam præ manibus tenebat, esse figuram corporis sui, jam contra sermonis leges receptas locutus fuisset. Enim verò sermonis leges vetant ne signum nomine rei significatæ appelletur, quandò non est signum naturale, vel arbitrarium auditoribus cognitum usu vel præviâ monitione : porrò si Christus dicendo, *Hoc est corpus meum*, significare tantùm voluit rem præsentem quam præ manibus tenebat, esse figuram corporis sui, tùm signum, id est, panem appellavit nomine rei significatæ, id est, nomine corporis sui, licèt panis non fuerit signum naturale corporis sui, aut signum arbitrarium usu vel præviâ monitione discipulis cognitum; ergo Christus dicendo, *Hoc est corpus meum*, significare voluit panem quem præ manibus tenebat, non esse figuram corporis sui; ergo per hæc verba significavit rem præsentem esse corpus suum, in sensu vero et reali; ergo Christus verè præsens est in Eucharistiâ : quod erat probandum.

Confirmatur. Et verò, potuit Christus panem convertere in corpus suum, et vinum in sangui-

nem : porrò si potuit, fecisse dicendus est. Nam si voluisset, non potuisset verbis clarioribus hanc suam voluntatem manifestare quàm istis, *Hoc est corpus meum*, quæ profectò æquè clara sunt ad significandam præsentiam realem, ac ista, *Ego et Pater unum sumus*, ad probandum contra Socinianos Christum esse Patri consubstantialem; undè si liceat Calvinistis priora verba metaphoricè intelligere contra naturalem et obvium sensum, quidni licebit Socinianis posteriora metaphoricè interpretari de unitate affectûs et voluntatis?

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1.° Præsentia realis non potest probari ex verbis institutionis, modò verba illa non sint accipienda sensu litterali et obvio, sed spirituali et metaphorico : atqui res ita est. Nam si Christus per illa verba enuntiet de pane quòd sit corpus suum, cùm panis non possit dici corpus Christi nisi sensu metaphorico, indè concludendum verba institutionis accipienda esse sensu metaphorico, non litterali : porrò certum videtur ex ipso propositionis contextu, Christum enuntiare de pane quòd sit corpus suum. Scilicet, pronomen, *hoc*, non potest aliud demonstrare quàm panem; demonstrat enim id quod Christus habebat præ manibus : sed quod Christus habebat præ manibus, quandò protulit pronomen, *hoc*, erat adhuc panis; ergo, etc. Prætereà, si non demonstrat panem, demonstrat ergo vel corpus Christi, vel species panis : verùm neutrum dici potest : non 1.um, siquidem corpus Christi præsens non est, juxta nos, nisi prolatâ totâ propositione; non 2.um, species enim nec

sunt, nec dici possunt corpus Christi sensu proprio; ergo pronomen, *hoc*, demonstrat panem. Confirmatur ex eo quòd Apostolus, I Cor. c. 11, ℣. 27, Eucharistiam vocat simpliciter panem: *Quicunque manducaverit panem hunc*, etc.: jam verò panis non potest dici corpus Christi sensu litterali, sed tantùm metaphorico; ergo verba institutionis accipienda sunt sensu spirituali et metaphorico, ac proindè ex illis probari non potest præsentia realis.

Resp. 1.° *indirectè*, ipsis adversariis solvendam esse objectionem propositam; namque licèt præsentiam realem rejiciant, attamen panem eucharisticum non habent ut quid commune et merè profanum, sed ut aliquid sacramentale et gratiæ productivum; undè agnoscere debent panem quem Christus præ manibus tenebat, quandò protulit hæc verba, *Hoc est corpus meum*, vi et efficaciâ illorum verborum transiisse ab usu profano ad esse sacramentale. Hoc posito, sic argumentari licet: Pronomen, *hoc*, designat id quod Christus habebat præ manibus: atqui quandò protulit pronomen, *hoc*, quod habebat præ manibus erat panis communis et merè profanus; ergo pronomen, *hoc*, demonstrat panem communem et merè profanum: sed panis communis et merè profanus non potest dici corpus Christi, etiam metaphoricè, nec gratiæ productivus; ergo panis eucharisticus non potest dici figura corporis Christi et gratiæ productivus, ac proindè Christus non dedit discipulis suis nisi panem communem et merè profanum. Quidquid dixerint Calvinistæ ad solutionem istius argumenti, id à nobis dictum putent.

Et verò, etiamsi concederemus pronomen, *hoc*,

demonstrare panem, ita ut sensus sit, *Panis est corpus meum,* non ideò nutaret veritas catholica; sed illa propositio intelligenda foret sicuti intelligitur hæc Christi propositio, *Cæci vident, surdi audiunt, mortui resurgunt.*

Resp. 2.° *directè. Nego min.* Ad cujus probationem, *dico* 1.° : Supponamus Christum, cùm aquam in vinum convertit, dixisse, *Hoc est vinum;* si quis contenderet aquam non fuisse in vinum conversam, et probare conaretur isto argumento verba Christi, *Hoc est vinum,* intelligenda esse metaphoricè : Pronomen, *hoc,* designat id quod erat in hydriis : atqui quod erat in hydriis, quandò Christus protulit pronomen, *hoc,* erat adhuc aqua; ergo pronomen, *hoc,* demonstrat aquam : sed aqua non potest dici vinum, nisi metaphoricè; ergo verba Christi intelligenda sunt metaphoricè, proindèque aqua non fuit in vinum conversa : quid reponerent adversarii? non aliud profectò, nisi solam aquam fuisse quidem in hydriis antequàm Christus verbis suis illam in vinum converteret; sed, prolatis illis verbis, non ampliùs fuisse aquam, sed vinum. Idem et nos dicimus de Eucharistià : antequàm Christus diceret, *Hoc est corpus meum,* quod præ manibus tenebat, erat panis communis; sed post absolutam istam propositionem, vi et efficacià illius, panis fuit conversus in corpus Christi. Itaque pronomen, *hoc,* neque panem, neque species panis, neque corpus Christi distinctè demonstrat; sed, quod commune est omnibus propositionibus practicis, demonstrat id quod præsens est : undè sensus est iste : Id quod præsens est, est corpus meum; et in hypothesi jam factà, id quod continetur in hydriis est vinum. Quod ut meliùs intelligatur, duo

sunt observanda : 1.um propositiones alias esse speculativas, alias practicas : speculativæ aliquid enuntiant, et nihil operantur, talis est ista : *Deus est justus.* Practicæ illud operantur quod enuntiant : v. g., quandò dixit Deus, *Fiat lux.* 2.um Propositionem practicam non verificari, nisi cùm absoluta et completa est propositio ; undè ut quis intelligat propositionem practicam, debet eam considerare completam et absolutam. His observatis, nulla superesse potest difficultas circa intelligentiam propositionum istarum : *Id quod præsens est, est corpus meum ; Id quod continetur in hydriis, est vinum,* nempè considerari debent illæ propositiones completæ et prolatæ.

Ad confirmationem, Resp. Eucharistia appellari potest panis tres ob causas, 1.° quia fit ex pane in ipsam converso : sic Exod. c. 7, ℣. 12, serpens à Moyse productus, appellatur virga, quia ex virgâ in ipsum conversâ factus fuerat. 2.° Et præcipuè, quia cibus est hominis ; generatim autem hebraicâ phrasi, cibus omnis nomine panis exprimitur, undè in Scripturâ Manna pluries vocatur panis. 3.° Quia remanent species panis ; ita Angeli sæpiùs in Scripturis vocantur viri, quia sub specie viri apparebant.

Obj. 2.° Verba Christi, *Hoc est corpus meum, Hic est calix,* etc., ad sensum spiritualem et metaphoricum determinant omnes circumstantiæ :

1.° Agendi ratio Christi, qui sæpiùs in parabolis et figuris loquebatur, qui semetipsum jam appellaverat *panem, ostium, vitem,* et Patrem suum *agricolam.*

2.° Actiones Christi panem et vinum separatim accipientis, benedicentis, frangentis, et cum Apostolis comedentis et bibentis ; quis enim credat

Christum semetipsum comedisse et proprium sanguinem bibisse?

3.° Silentium Apostolorum, qui ad hanc propositionem, *Hoc est corpus meum*, rei novitate non sunt turbati.

4.° Verba propositionem, *Hoc est corpus, etc.*, consequentia; Christus enim ait, Luc. c. 22, ℣. 19, se Eucharistiam instituisse in suî memoriam : *Hoc facite in meam commemorationem* : atqui memoria non est rei præsentis, sed absentis; et Matth. c. 26, ℣. 29, Christus liquorem in calice contentum appellat genimen vitis seu vinum.

5.° Verbum, *est*, in Scripturis sæpè sumitur pro, *significat;* sic Gen. c. 17, ℣. 2, *circumcisio* dicitur *fœdus*, id est signum fœderis; ejusdem libri c. 41, ℣. 26, legitur : *Septem boves pulchræ et septem spicæ plenæ, septem ubertatis anni sunt*, id est, significant septem annos ubertatis. Exod. c. 12, ℣. 11, Agnus paschalis *est phase*, id est, *transitus Domini*, quia nempè erat signum transitûs. Matth. c. 13, ℣. 37, 38 : *Qui seminat bonum semen, est Filius hominis, ager est mundus*. I Cor. c. 10, ℣. 4, de veteribus Judæis ait Apost. : *Bibebant.... de spiritali, consequente eos petrâ : petra autem erat Christus*, per figuram scilicet, non in rei veritate. Ex his omnibus sequitur verbum, *est*, in hâc Christi propositione, *Hoc est corpus meum*, reddi posse per verbum, *significat*.

6.° In consecratione calicis, duæ istæ voces, *Calix* et *Testamentum*, figuratè sumuntur, calix pro liquore contento in calice, et testamentum pro signo voluntatis Christi.

7.° Deniquè S. Lucas et S. Paulus dicunt calicem esse testamentum in sanguine; ergo non erat san-

guis in calice, alioquin hic esset sensus manifestè absurdus : *Hic sanguis est testamentum in sanguine.*

Resp. Nego ant. Ad 1.um Quòd Christus parabolas et figuras multas proposuerit, non indè sequitur illum in parabolis semper locutum fuisse, alioquin vincunt Sociniani, qui concludent omnes Christi sermones circa suî ipsius divinitatem et alia mysteria, esse figuratè et metaphoricè accipiendos. Prætereà, Christus parabolas suis Apostolis exponere solebat. Deniquè, ex iis propositionibus in quibus Christus se appellavit *panem,* et *ostium,* et *vitem,* Patremque suum *agricolam,* nihil inferri potest; namque 1.° istæ propositiones nihil habent commune cum istà propositione, *Hoc est corpus meum.* Siquidem Christus panem aliquem, vitem aliquam, ostium aliquod demonstrando, non dixit : Ego sum hæc vitis, etc.; et demonstrando aliquem agricolam : Hic est pater meus. 2.° Ita evidens est istas Christi propositiones, *Ego sum vitis*, etc., metaphoricas esse, ut nemo hucusquè eas sensu litterali acceperit; satis patet per eas designari aliquas Christi et Dei Patris proprietates, quæ cum pane, et ostio, et vite, et agricolà analogiam habent : porrò nihil simile dici potest de pane in ordine ad corpus Christi; imò etiamsi instituisset Christus ut panis esset sui corporis figura, malè tamen diceretur, Panis est corpus Christi, sicuti malè dictum esset, Manna est corpus Christi, et malè diceretur, Hedera est vinum. 3.° Christus exposuit ipse objectas propositiones, *Ego sum vitis*, etc.; ergo nulla paritas.

Ad 2.um Reverà Christi actio panem et vinum separatìm accipientis et consecrantis, fuit symbolica, sed non ad sensum Calvinistarum; fuit sym-

bolum, tum sacrificii cruenti crucis paulò post futuri, tum sacrificii incruenti quod instituebat Christus, in quo fit mystica sanguinis Christi ab ipso corpore separatio. Ad id quod subjicitur, non constat utrùm Christus in ultimâ cœnâ proprium corpus et sanguinem ore sumpserit; id tamen fecisse Christum, eumque simul fuisse convivam et convivium, docent plures Patres : neque in eo ulla est repugnantia, propter duplicem et valdè diversum existendi modum corporis Christi, naturalem scilicet, prout visibile erat, et nunc in cœlo est; et sacramentalem, prout subsistit sub speciebus panis et vini.

Ad 3.um Mirum non est si Apostoli, qui ad verba promissionis obstupuerant, ad verba institutionis minimè sint turbati, certi jam de promissione, et in fide confirmati.

Ad 4.um 1.° Memoria non absentiæ sed oblivioni opponitur; cùm ergo res præsens, sed latens et insensibilis, possit oblivioni tradi, mirum non est si aliquod signum instituatur per quod rei latentis præsentia in memoriam revocetur. 2.° Eucharistia est rei absentis ac præteritæ signum et commemoratio, scilicet mortis ac passionis Christi; ita S. Paulus, I Cor. c. 11, ℣. 26 : *Quotiescunquè manducabitis panem hunc...., mortem Domini annuntiabitis.*

Sicut corpus Christi post consecrationem vocatur panis, ut suprà observatum est, sic et ejus sanguis potest dici genimen vitis. Plures referunt hæc Christi verba, *Non bibam amodò de hoc genimine vitis,* ad vinum quod in cœnâ legali hauserat, quia S. Lucas eadem verba recitat c. 22, ℣. 18, ante Eucharistiæ institutionem.

Ad 5.um 1.° Etiamsi verbum, *est*, sumeretur

pro, *significat*, in omnibus textibus objectis, nihil indè concludere possent adversarii, nam huc reduceretur eorum objectio : Verbum, *est*, in pluribus locis sumitur pro, *significat* : atqui in verbis institutionis occurrit verbum, *est* ; ergo, etc. : porrò nemo nescit vitiosam esse consequentiam ex particularibus deductam. 2.° Si semel licitum sit verbum, *est*, metaphoricè interpretari in istâ propositione, *Hoc est corpus meum*, jam nullum fidei dogma poterit certò probari ex Scripturâ : sic Catholico urgenti verba hæc, *Ego et Pater unum sumus*, Joan. c. 10, ℣. 30, respondebit Socinianus : Verbum, *sumus*, metaphoricè est intelligendum. 3.° Facilè solvitur objectio expositione textuum objectorum. Gen. 17, circumcisio dicitur non pactum seu fœdus, sed conditio pacti ineundi et fœderis initi signum. C. 41, quærit Pharao interpretationem somnii, ac proindè quærit quid significent boves et spicæ quas vidit per somnium. Exod. c. 12, verbum, *est*, non sumitur pro, *significat*, sed in sensu naturali et obvio, et sensus est : Agnus est victima transitùs ; nempè hebraicæ linguæ familiare est sacrificia denominare à rebus pro quibus offeruntur : sic Sacerdotes dicuntur comedere peccata populi, quia comedunt victimas pro peccato oblatas.

Matth. c. 13, Parabola est, cujus expositionem exspostulant Apostoli : porrò omnis parabola figurativa est. I Cor. c. 10, nomine petræ intelligitur petra materialis, quæ Christum figurat, vel ipsa petra spiritualis, Christus, de cujus plenitudine omnes, etiam veteres Judæi, acceperunt. Si 1.um, verbum, *est*, sumitur pro, *significat* ; verùm illud ex materiâ subjectâ et ex circumstantiis facilè intelligitur. Si 2.um verbum, *est*, in sensu proprio

accipitur, quia Christus verè et propriè erat petra illa spiritualis, de quâ ipsi Judæi biberunt; nullus siquidem justificari et salvari potuit, nisi per merita Christi.

Ad 6.um Christus secundùm communem et apud omnes receptum usum, nomen calicis adhibuit ad significandum liquorem in calice contentum; Eucharistiam vocavit testamentum, eo quòd in ipsâ divitias omnes suæ humanitatis et divinitatis nobis legaverit, novique fœderis et melioris testamenti instrumentum sit.

Ad 7.um En sensus textùs objecti: Hic calix sanguinis mei, novum est testamentum, in hoc ipso meo sanguine, seu per sanguinem meum firmatum: porrò cuilibet leviter attendenti patet hunc sensum rejici non posse velut absurdum et violentum.

Obj. 3.° Verba quæ, nisi metaphoricè intelligantur, pugnant cum aliis evidentibus Scripturæ textibus, metaphoricè intelligi debent: atqui verba institutionis, etc. Namque 1.° Matth. c. 24, ℣. 23, dicitur: *Si quis vobis dixerit: Ecce hìc est Christus, aut illìc, nolite credere;* ergo credendum non est Catholicis, qui dicunt: Ecce Christus est in hoc vel in illo altari, in hâc vel in illâ hostiâ.

2.° C. 26, ℣. 11, Christus dicit: *Semper pauperes habetis vobiscum, me autem non semper habetis*, seu, quod idem est, habebitis: porrò si Christus realiter præsens esset in Eucharistiâ, jam eum semper habuissent Apostoli.

3.° Marc. c. 16, ℣. 19, de Christo dicitur: *Assumptus est in cœlum, et sedet à dextris Dei.* Et Act. c. 3, ℣. 21: *Quem oportet cœlum suscipere usque in tempora restitutionis omnium*, id est, donec veniat judicare vivos et mortuos: jam

verò qui sedet in cœlis, et ibi sedebit usque ad ultimum judicium, non potest præsens esse in Eucharistiâ.

4.º *Deus.... non in manufactis templis habitat,* Act. c. 17, ℣. 24 : atqui Christus est Deus; ergo non habitat in pyxide.

5.º Ad Coloss. c. 3, ℣. 1 : *Quæ sursùm sunt quærite, ubi Christus est in dexterâ Dei sedens;* cui textui consonat illud Christi ad Mariam Magdalenen, Joan. c. 20, ℣. 17 : *Noli me tangere, nondùm enim ascendi ad Patrem meum.* Ex his concludit Calvinus, Christum non alibi quàm in cœlo quæri velle et tangi.

Resp. Nego min. Ad 1.um *Nego consequent.* Pseudo-Christi, et Pseudo-Prophetæ quibus Christus credi vetat, debent facere signa magna et prodigia, ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi : porrò quid indè contra realem Christi præsentiam in Eucharistiâ?

Ad 2.um Loquitur Christus de præsentiâ suâ corporali et sensibili, ita ut homines in eum exercere possint charitatis officia : nempè, ea verba protulit occasione effusionis unguenti factæ à Mariâ Magdalene, et pronuntiat Christus se non semper futurum cum Apostolis in eo statu in quo similia possit ab eis recipere charitatis obsequia : sed non ideò negat se semper cum illis futurum; Luc. enim c. 24, ℣. 44, dicit : *Hæc sunt verba quæ locutus sum ad vos, cùm adhuc essem vobiscum;* non negat tamen se actu esse cum Apostolis, sed vult duntaxat dicere se cum eis non esse, ut ante passionem, in statu morti obnoxio. Hunc esse loci objecti sensum, patet ex c. 14, ℣. 7 Marc. : *Semper pauperes habetis vobiscum, et cùm volueritis potestis illis benefacere : me*

autem non semper habetis, id est, ita ut possitis mihi similiter benefacere.

Ad 3.um Juxta Catholicos, necesse non est quòd Christus cœlum deserat ut sit realiter in Eucharistià præsens; undè hìc non agitur de conciliando dogmate præsentiæ realis cum ascensione Christi, sed agitur de omnipotentià Dei, utrùm scilicet possit corpus Christi simul pluribus in locis constituere; porrò circa hanc quæstionem, dicimus 1.° Christum fuisse simul in cœlo et in terrà, quandò Paulo apparuit, Act. c. 9; 2.° SS. Patres docuisse possibilitatem reproductionis : sic S. Chrysost. lib. 3 de Sacerdotio, cap. 4. : *O miraculum,*...... inquit, *qui cum Patre sursùm sedet, illo ipso temporis articulo omnium manibus pertractatur !* 3.° Adversarios nihil probare posse contra præsentiam realem, nisi directè probent impossibilitatem reproductionis; ratio est quia cùm probaverimus verba ista, *Hoc est corpus meum,* in sensu naturali et obvio importare præsentiam realem, Calvinistæ non possunt illud dogma rejicere, nisi probent sensum naturalem et obvium verborum Christi, manifestam involvere repugnantiam, ac proindè non esse legitimum : porrò facilè solvuntur omnia argumenta quæ proponi possunt contra possibilitatem reproductionis.

Ad 4.um Loco objecto, non agitur de Christo et ipsius sacratissimo corpore, sed de Deo, de quo dicitur quòd in manufactis templis non habitet, quasi in iis includatur, vel iis indigeat; patet ex ipso contextu, c. 17, ℣. 24 et 25 Act. : *Hic cœli et terræ cùm sit Dominus, non in manufactis templis habitat, nec manibus humanis colitur indigens aliquo.*

Ad 5.um Apostolus præcipit quidem ut mens sursùm feratur, ubi Christus sedet ad dexteram Dei ; verùm non ideò negat Christum alibi esse quàm in cœlo : illud vult duntaxat, ut mens terrenis non immoretur et sensibilibus objectis, quæ eam à spiritualibus impediunt.

Cùm Christus passus sit se à mulieribus tangi, Matth. c. 28, ideò plures eruditi sic interpretantur objecta verba Christi ad Magdalenen : Noli immorari tangendis pedibus meis, illud tibi deinceps facere licebit, quia nondùm ascendo ad Patrem meum; nunc igitur vade ad fratres meos, eisque meam resurrectionem annuntia.

ARGUMENTUM III.

Ex usu Eucharistiæ.

Apostolus, I Cor. c. 11, ℣. 27, 28, 29, relatis verbis institutionis, hæc addit : *Itaque quicunque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis et sanguinis Domini. Probet autem seipsum homo : et sic de pane illo edat, et de calice bibat. Qui enim manducat et bibit indignè, judicium sibi manducat et bibit, non dijudicans corpus Domini.*

Ex quibus verbis, sic licet argumentari : 1.o Constat ex Apostolo dari homines qui indignè recipiunt corpus et sanguinem Christi : atqui in sententià Calvinistarum, nemo potest indignè recipere corpus et sanguinem Christi ; namque, juxta Calvinistas, nemo corpus et sanguinem Christi recipit, nisi per fidem vivam et in spiritu : porrò impius et indignus non accedit ad Eucharistiam cum fide vivâ et in spiritu ; ergo non re-

cipit corpus et sanguinem Christi, quod est contrarium animo Apostoli; ergo aliter recipitur corpus Christi, quàm fide et spiritu; ergo ore recipitur; ergo Christus realiter præsens est in Eucharistià.

2.° Qui ad Eucharistiam accedit indignè, scelus immane perpetrat, ita ut Apostolus eum exhibeat, tanquam reum corporis et sanguinis Domini, eumque sibi judicium manducare asserat: atqui hæc Apostoli verba evincunt Christum non esse in Eucharistià figurativè tantum, sed realiter; namque inauditum est reos fuisse corporis et sanguinis Christi, qui vel manna, vel agnum paschalem, Christi figuras, comederunt in statu peccati, vel irreverenter exceperunt aliquam Christi imaginem.

Obj. Qui indignè accedunt ad Eucharistiam, dici possunt rei corporis Christi, tum quia oblatum sibi corporis hujus symbólum recipere nolunt, quod idem est ac ipsum pedibus conculcare; tum quia injuriosè afficiunt symbolum seu imaginem corporis Christi: porrò injuria imaginis refertur ad prototypum; ergo, etc.

Resp. ad 1.um Non dicit Apostolus peccare impios eo quòd non recipiant corpus Christi, sed quia recipiunt indignè; ergo crimen constituit in ipsâ sumptione corporis Christi, non in omissione sumptionis: undè addit eos sibi judicium manducare et bibere. Deindè, juxta Apostolum, ideò peccant impii indignè accedentes ad Eucharistiam, quia non dijudicant corpus Domini, id est, quia illud sumunt instar cibi communis: sed qui aliquid sumit instar cibi communis, illud reverà sumit; ergo, etc.

Ad 2.um Mirum sanè Calvinistas, qui Christi

et Sanctorum imagines fœdè conculcant, summum tamen sacrilegium iis affingere, qui figuram tantùm Christi indignè recipiunt. Et verò, quamvis reus sit qui Christi imaginem injuriâ afficit, attamen nullibi traducitur velut reus corporis et sanguinis Christi.

PROBATIO II.

Ex Traditione.

Observandum est 1.° Traditionis auctoritatem à Calvinistis negari; nihilominùs ex eâ in gratiam præsentiæ realis argumentamur, tum quia alibi probatur Traditionem unà cum Scripturis esse fidei nostræ regulam, tum etiam quia Traditio Patrum non potest favere dogmati præsentiæ realis, quin hoc ipso constet fides Ecclesiæ priorum seculorum, cujus Pastores et Doctores erant SS. PP.; porrò fides Ecclesiæ priorum seculorum, Ecclesiæ, inquam, ab Apostolis fundatæ, innumeris illustratæ miraculis, et sanguine Martyrum dedicatæ, fides ejus nonnisi vera esse potest.

2.° Ut certò sciamus quæ circa Eucharistiam fuerit sententia Doctorum et Ecclesiæ cujusdam temporis, necesse non est ut omnium qui hoc tempore vixerunt curiosiùs inquiratur sententia; sed sufficit unius vel alterius Patris hujus temporis vel seculi testimonium proferre. Cùm enim Eucharistiæ dogma populare sit, et ab omnibus etiam imperitis distinctâ et explicitâ fide credendum, non potest supponi Patrem ullum et S. Doctorem ignorasse de Eucharistiâ id quod fideles sui temporis noverant; vel repugnare voluisse fidei Ecclesiæ cujus erat membrum, et in quâ Pastoris vices gerebat.

His præmissis, præsentia realis adstruitur ex SS. PP. I Seculo, S. Ignatius Martyr, Episcopus Antiochenus, Joannis Evangelistæ discipulus, in Epist. ad Smyrnæos, sic loquitur de quibusdam Hæreticis ætatis suæ : *Ab Eucharistiâ et oblatione se abstinent, eo quòd non confitentur ipsam esse carnem salvatoris nostri J. C., quæ pro peccatis nostris passa est;* ergo non mera corporis Christi figura est, ut volunt Calvinistæ, sed vera ipsius caro. *Nota* epistolas B. Ignatii ævo recentiori corruptas, à Vossio et Usserio, ad fidem manuscriptorum optimæ notæ, fuisse restitutas : hinc omnimodam merentur fidem. Aliundè textus in probationem citatus, legitur apud Theodoretum, Dialogo 3 contra Eutychianos.

II Seculo, S. Justinus, in Apologiâ 2.ª Imperatori Antonino oblatâ pro Christianis, sic exponit fidem christianam circa Eucharistiam : *Non enim ut communem panem, neque ut communem potum ista suminus, sed quemadmodùm per verbum Dei caro factus Jesus Christus, servator noster, carnem et sanguinem salutis nostræ causâ habuit : ad eumdem modum, etiam, eam in quâ per preces Verbi ejus ab ipso profecti gratiæ actæ sunt, alimoniam, undè sanguis et caro nostra per mutationem aluntur, incarnati illius Jesu carnem et sanguinem esse edocti sumus. Nam Apostoli... ita tradiderunt præcepisse sibi Christum, eumque pane accepto, cùm gratias egisset, dixisse : « Hoc facite in meam commemorationem; hoc est corpus meum.»* Undè sic : Juxta S. Justinum, panis et vinum eo modo per verba à Christo determinata, fiunt corpus et sanguis Christi, quomodò per verbum Dei homo factus est salvator noster J. C. : atqui

Christus non metaphoricè tantùm et in figurâ, sed verè et substantialiter factus est homo, ita ut verè carnem et sanguinem causâ salutis nostræ habuerit; ergo, etc.

III. Seculo, Tertullianus, lib. de Resurrectione carnis, cap. 8, ait : *Caro abluitur, ut anima emaculetur; caro ungitur, ut anima consecretur;..... caro corpore et sanguine Christi vescitur, ut et anima de Deo saginetur.* Jam verò caro non vescitur corpore Christi per fidem apprehenso, cùm illius apprehensionis sit incapax; nec eo vescitur si recipit figuram corporis Christi, nam eodem modo vescitur corpore Christi, juxta Tertull., quo abluitur et ungitur : atqui non abluitur et ungitur in figurâ, sed realiter, ergo, etc.

IV Seculo, S. Cyrillus Jerosolymitanus, Catechesi 4.ª edocens recèns baptizatos circa Eucharistiam, hæc habet : *Cùm ipse Christus dixerit de pane : Hoc est corpus meum, quis audebit deinceps ambigere? Et cùm ipse dixerit : Hic est sanguis meus, quis unquàm dubitaverit, aiens non esse ejus sanguinem? Aquam olìm in vinum in Canâ Galilææ transmutavit,... et eum parùm dignum existimabimus cui credamus, cùm vinum in sanguinem transmutaverit......? Quamobrem ne tanquam nudis et communibus elementis, pani et vino eucharisticis attende; sunt enim corpus et sanguis Christi,... non judices rem ex gustu, sed ex fide; certissimè crede, quòd qui videtur panis, panis non est, sed corpus Christi; et quod videtur vinum, non est vinum,... sed sanguis Christi.* Hæc clariora sunt quin interpretatione indigeant.

V. Seculo, S. Ambrosius, lib. de Mysteriis,

cap. 9, n. 50, 51, 52 : *Fortè dicas · Aliud video* (in Eucharistiâ); *quomodò tu mihi asseris quòd corpus Christi accipiam? et hoc superest nobis ut probemus. Quantis igitur* (ad hoc) *utimur exemplis?... nunquid non præter naturam operata est gratia ut aquam vomeret petra? quòd si tantùm valuit humana benedictio, ut naturam converteret, quid dicemus de ipsâ consecratione divinâ, ubi verba ipsa Domini salvatoris operantur?*

S. Ephrem, de naturâ Dei non curiosiùs perscrutandâ, cap. 5 : *Participa immaculatum corpus et sanguinem Domini tui fide plenissimâ, certus quòd Agnum ipsum integrè comedas :* porrò si Agnum ipsum, Christum scilicet, comedimus in Eucharistiâ, ergo non in figurâ tantùm præsens est in illâ.

S. Chrysost. Homil. 83 in Matth., n. 4 : *Quia dixit Christus : Hoc est corpus meum, nullâ teneamur ambiguitate, sed credamus... Quot sunt qui modò dicunt : Vellem formam Christi, vellem ipsa ejus vestimenta videre. ecce ipsum vides in Eucharistiâ, ipsum tangis, ipsum comedis... Quis pastor unquàm membris suis oves suas nutrit?... ipse proprio corpore nos alit, et nos sibi conjungit, atque conglutinat.*

S. Aug. Concione I in Psalm. 33, explanans ista versionis LXX Interpretum, *Ferebatur manibus suis*, sic habet : *Hoc verò, fratres, quomodò posset fieri in homine, quis intelligat? quis enim portatur in manibus suis? Manibus aliorum potest portari homo, manibus suis nemo portatur. Quomodò intelligatur in ipso David? secundùm litteram non invenimus; in Christo autem invenimus; ferebatur enim Christus in*

manibus suis, quandò commendans ipsum corpus suum, ait : Hoc est corpus meum; ferebat enim illud corpus in manibus suis. Ex quibus : Christus conficiens Eucharistiam, corpus suum in manibus suis gestabat eo modo quo simplex et purus homo manibus quidem aliorum portari potest, suis verò nullatenùs potest : atqui modus ille quo purus homo potest, etc., est modus juxta quem verè, realiter et substantialiter potest portari; ergo Christus conficiens Eucharistiam, verè, realiter et substantialiter in manibus suis portabat corpus suum, ac proindè in Eucharistià verè ac realiter præsens erat.

Hanc Ecclesiæ Doctorum catholico realis præsentiæ dogmati faventium catenam longiùs producere, vel ad hæc usque nostra tempora, non difficile, sed nimis longum foret. Hæc itaque sufficiant. Indè concludere nobis datur, Ecclesiam nostri temporis ab Ecclesià priorum seculorum in suà circa Eucharistiam fide nunquàm discessisse.

Brevitatis et memoriæ juvandæ causâ, quæ ex SS. PP. in gratiam præsentiæ realis allegantur, ad quædam capita reduci possunt.

ARGUMENTUM GENERALE PRIMUM.

Ex traditione sumptum.

SS. PP. existimârunt verba institutionis, *Hoc est corpus meum, Hic est calix sanguinis mei*, esse clara et aperta quoad significationem, ita ut ne imperiti quidem commentario et interpretatione indigerent ad illa ritè intelligenda : aliâ ex parte, SS. PP. judicârunt eadem institutionis verba esse valdè obscura, difficilia, et supra om-

nem sensum ac rationem posita, quoad rem verbis significatam : atqui evidens est institutionis verba sensu præsentiæ realis et litteraliter intellecta, esse clara et aperta quoad significationem, plurimùm verò difficilia, imò supra rationem posita, quoad rem significatam ; è contrario illa institutionis verba figuratè, id est, de præsentiâ Christi in figurâ tantùm intellecta, sunt valdè obscura, et ne quid ampliùs dicam, nimis intricata, quoad significationem; plana verò et aperta, quoad rem significatam; ergo SS. PP. intellexerunt verba institutionis non sensu figurato sed litterali, id est, sensu præsentiæ realis. De *majori* hujus argumenti lis unicè moveri potest, quæ sic probatur : SS. PP., etsi plurimùm in aliis enucleandis Scripturæ textibus obscuris et figuratis intenti, nunquàm sic se gerunt erga verba institutionis, sed illa nudè ac simpliciter proferunt, omnibusque credenda proponunt : istud factum notum est omnibus qui parumper versati sunt in lectione SS. PP., et nullum hucusquè textum objecère Sacramentarii, textum, inquam, clarum et apertum, huic facto contrarium ; ergo SS. PP. existimârunt verba institutionis esse clara et aperta quoad significationem : censuerunt quoque eadem verba esse plurimùm obscura quoad rem significatam, imò supra rationem posita; siquidem occurrunt sæpiùs dubitationi quæ mentem fidelium subire potest occasione illorum; illa verba confirmant ex aliis quæ Deus fecisse in Scripturâ legitur miraculis; recurrunt ad omnipotentiam Dei, qui plus facere valet quàm homo intelligere : ista agendi ratio ex scriptis eorum adeò clarè colligitur, ut nec diffiteantur adversarii ; ergo SS. PP. censuerunt verba institutionis

esse plurimum obscura, imò supra rationem posita quoad rem significatam; ergo vera *major* probanda.

ARGUMENTUM II.

SS. PP. Eucharistiam frequentissimè vocant corpus Christi, imò sæpiùs adjiciunt Eucharistiam esse ipsum verum et proprium Christi corpus; nullibi verò de Eucharistiâ pronuntiant ipsam esse figuram corporis Christi inanem et vacuam: atqui si Eucharistia non verè sed in figurà tantùm contineret corpus Christi, non ita se gessissent Patres, nisi dicatur, quod nimis absurdum est, ipsos semper dixisse Eucharistiam esse id quod propriè non erat, nunquàm verò id quod erat præcisè ac propriè.

Objiciunt Calvinistæ, 1.° plures ex SS. PP. quorum textus referre nimis longum foret, quosque ab argutiis eorum Hæreticorum solidè vindicatos reperies, præsertim apud Card. *Du Perron, Traité de l'Eucharistie.* 2.° Silentium Paganorum: Si enim, inquiunt, dogma præsentiæ realis primis Ecclesiæ seculis fuisset creditum, illud cognovissent Gentiles; et si cognovissent mysterium tantæ in speciem absurditatis, et ex quo sequitur Christianos propriam Dei sui carnem comedere, illud fidelibus exprobrassent: porrò altum est apud veteres Paganos fidei nostræ obtrectatores de mysterio Eucharistiæ silentium; de eo siluit ipse Julianus Apostata, qui in Ecclesiâ Catholicâ lector fuerat.

Resp. ad 1.um Facilè solves quæ ab adversariis ex SS. PP. objici solent, modò præ oculis habeas regulas sequentes.

1.° SS. PP. vocant Eucharistiam figuram, si-

militudinem, imaginem, typum, speciem, repræsentationem, signum corporis Christi : verùm hæc multiplici et vero sensu intelligi possunt, absque detrimento præsentiæ realis : Eucharistia dicitur figura, signum, etc., ratione specierum panis et vini, quæ ex institutione Christi sunt signum et figura corporis sui, non absentis quidem, sed præsentis et sub ipsis contenti. Dicitur quoque signum et figura corporis mystici Christi, quod est Ecclesia, cujus unitas per panem ex multis granis confectum, et vinum ex multis racemis expressum repræsentatur, ut explicat Aug. tract. 26 in Joannem.

2.° Quidam Patres dicunt in Eucharistiâ non esse idem corpus quod de Virgine Christus assumpsit, in quo mortem subiit, resurrexit, et ascendit in cœlum; qui loquendi modus fuit frequentior scriptoribus noni seculi : at sensus eorum est non esse idem corpus quoad statum et affectiones, licèt sit idem quoad substantiam.

3.° Dùm SS. PP. ita commendant manducationem spiritualem, ut aliam videantur non admisisse, volunt tantùm externam et realem sine spirituali nihil omninò prodesse : ita docet Aug. tract. 26 in Joannem.

4.° Cùm quidam Patres dicunt panem benedictum non esse corpus Christi, intelligunt panem ante consecrationem, vel Eulogias seu panem benedictum, qui non communicantibus dabatur in signum unionis, et quem S. Augustinus vocat lato sensu sacramentum.

5.° Si quandoquè Patres asserunt nostra corpora nutriri et augeri corpore Christi, id intelligunt eodem sensu quo dicitur corpus Christi manducari, tangi, dentibus teri, impropriè scilicet,

licet, et mediatè, ratione specierum quibus involvitur, ita ut rei significatæ nomen signo tribuatur, ut frequens est : vel loquuntur de nutrimento et augmento corporis, non quidem transitorio, quale ex communibus cibis fit ; sed de permanente, quatenùs corpus nostrum, ex conjunctione reali cum corpore Christi, incorruptionis et immortalitatis semina recipit.

6.° Deniquè, si fortè quidam antiquiores minùs accuratè de hàc materià scripserint, nihil indè contra catholicum dogma erui potest; ideò enim strictiori loquendi modo non se adstringebant, quia sciebant se à fidelibus bono sensu intelligi : quidam etiam parcè et subobscurè locuti sunt, propter disciplinam arcani, juxta quam, prioribus seculis, sacratiora Religionis mysteria Paganis et Judæis et Catechumenis occultabantur, tum quia erant ad illa intelligenda impares, tum ne ea irriderent et profanarent.

Resp. ad 2.um 1.° Illud argumentum Calvinistis solvendum est; namque sic argumentari licet contra eos : Veteres Pagani non leguntur quidquam objecisse Christianis circa virtutem et efficaciam panis eucharistici, quæ tamen tanta est et tam stupenda; ergo stupenda panis eucharistici virtus quam agnoscunt adversarii, fuit primis Ecclesiæ seculis planè incognita.

2.° Tam accuratè servata fuit à veteribus Christianis disciplina arcani seu lex silentii, in occultandis fidei mysteriis, ut mirum videri non debeat si ne unus quidem ex ipsis qui Christi fidem scripto impugnârunt, Juliano excepto, mysterium Eucharistiæ cognoverit. Hanc silentii legem non incœpisse nisi IV seculo contendit Minister Claudius; verùm eam primis seculis observatam fuisse

patet, tum ex Tertull., qui cap. 7 Apologet. quærit *undè extraneis rituum nostrorum, et quæ in iis perpetrari dicebantur criminum notitia, cùm etiam piæ initiationes arceant profanos, et arbitris careant?* tum ex querelis Ethnicorum, quos inter Cæcilius, apud Minutium Felicem, de Christianis Octavio ait, pag. 8 : *Latebrosa et lucifugax natio, cur occultare et abscondere quidquid colunt magnoperè nituntur, cùm honesta semper publico gaudeant?* tum quia si vulgo Gentilium jam à primis Ecclesiæ seculis nota fuissent Eucharistiæ mysteria, frustrà IV seculo vetuisset Ecclesia ne ea propalarentur; ut quid enim præcipitur ne publicum fiat quod jam publicum est?

Quod ad Julianum Apostatam attinet, incertum est utrùm nihil objecerit contra Eucharistiam, cùm ex tribus libris quos conscripsit adversùs Christianos, unus duntaxat supersit apud S. Cyrillum Alex.

3.° Constat Gentiles intentasse in Christianos infanticidii accusationem. Hinc Tertull. c. 7 Apologet. : *Dicimur sceleratissimi de sacramento infanticidii.* Hinc Cæcilius, apud Minutium Felicem, objicit infantem occisum, cujus Christiani sitientes sanguinem bibunt, certatim membra dispertiuntur. Hinc Christianorum servi apud Eusebium, lib. 5 Hist., cap. 1, Christianos accusant quòd in mensis sacris vescantur infantium carnibus : porrò hæc accusatio nata videtur ex confusâ quâdam mysterii Eucharistiæ notitiâ. Vide de hoc argumento opus D. D. *de Trevern*, Episc. olim Adurensis, nunc Argentinensis, cui titulus, *Discussion amicale sur l'établissement et la doctrine de l'Eglise Anglicane*, etc., *lettre* 8, et appen-

dicem, *Discipline du secret pendant les cinq premiers sièles.*

PROBATIO TERTIA.

Ex Præscriptione.

Argumentum præscriptionis est certa quædam argumentandi ratio, juxta quam ex professione alicujus dogmatis communi apud Christianos seculis posterioribus, certò concluditur ipsum, ob mutationis repugnantiam, creditum fuisse in Ecclesiâ, etiam seculis prioribus. Via præscriptionis ex eo imprimis est commendanda, quòd ipsâ discussione facilior et brevior sit : hinc Minister Claudius tanti argumenti pondere pressus, in eo discutiendo totis incumbit viribus. Sic autem proponi solet :

XI Seculo, cùm Berengarius insurrexit adversùs dogma præsentiæ realis, hujus dogmatis professio communis erat in Ecclesiâ Catholicâ : atqui seculis præcedentibus mutatio nulla contigerat; ergo dogma præsentiæ realis semper creditum est in Ecclesiâ Catholicâ. *Consequentia* evidens est : de *majori* et *minori* lis tantùm movetur ; itaque

Prob. maj. Ex testimonio coætaneorum. Testes igitur hujus facti profero Adelmanum Episcopum, in Epist. quam scripsit ad Berengarium, ut ipsum ab errore revocaret; et Hugonem, Lingonensem Episcopum, lib. de Corpore et Sanguine Christi, ad Berengarium scripto; et Durandum Abbatem; et Guitmundum Cardinalem; et Lanfrancum, Cantuariensem Archiepiscopum; ipsum deniquè Berengarium : quorum omnium testimonium scribere quia nimis longum foret, unum et alterum proferemus. Sic habet Guitmun-

dus, lib. 3 ad Berengarianos : *Notissimum est, priusquàm Berengarius insaniisset, hujuscemodi vesanias nunquàm fuisse.* Clariùs adhuc loquitur Lanfrancus, lib. de Corpore et Sanguine Christi, cap. 22 : *Si verum est, Berengarie, quod de Corpore Christi adstruis, falsum est quod ab Ecclesiâ ubique gentium, eâdem de re creditur.* Ipse Berengarius sic loquitur apud Lanfrancum, cap. 23 : *Ecclesia malè intelligentium* (Eucharistiam), *erravit et periit : in nobis solis, et in iis qui nos sequuntur remansit.* Undè sic : Certè fides adhibenda est testi contra seipsum loquenti; item, summa debetur fides testibus coætaneis, factum eminenter publicum referentibus; in tali enim facto constat ipsos nec decipi potuisse, nec decipere voluisse : atqui tales sunt testes modò allati; ergo, etc.

Confirmatur eadem propositio ex modo quo impugnata est et defensa Berengarii hæresis. Scilicet, 15 habita sunt Concilia particularia, in quibus unanimiter damnata fuit cum ipsius auctore. Deindè adversùs eam insurrexerunt Doctores, Abbates, Episcopi, Sum. Pontifices Leo IX, Victor II, Gregorius VII, Urbanus II; Berengarius ipse, tanquam novator exagitatus, ad antiquam, cujus ignorabant sensum, Ecclesiam remittebat : atqui hæc omnia probant orbem catholicum undecimo seculo addictum fuisse præsentiæ reali; ergo, etc.

Prob. minor, scilicet, *seculis undecimo seculo anterioribus nulla circa fidem Eucharistiæ mutatio contigerat.* Mutatio enim duplex, sensibilis, et insensibilis : atqui neutra supponi potest. 1.° Quidem non insensibilis : nam mutatio insensibilis ea est quæ fit sensìm sine sensu, absque ullâ contradictione vel pugnâ : atqui talis mutatio circa

fidem Eucharistiæ non contigit nec contingere potuit. Etenim Eucharistiæ dogma ejusmodi est, ut semper fide *explicitâ* credi debuerit; est enim vulgare et practicum, cùm spectet sacramentum quod fideles semper frequentarent et venerarentur, de quo proindè ignorare minimè potuerunt an figuratè vel realiter Christum præsentem exhibeat: porrò repugnat circa dogma hujusmodi mutationem insensibilem contingere potuisse: 1. Quia cum indole et genio hominum pugnat; ea quippe est Christianorum natura et indoles, ut fidem antiquam sibi à novatoribus eripi et in novam præjudiciis omnibus contrariam commutari sedato animo et patienter non ferant, ut manifestum est ex omnium hæreseon quæ exstitère historiâ. 2. Quia facilius est credere Christum esse tantùm in figurâ præsentem in Eucharistiâ, quàm credere ipsum contineri realiter in hoc sacramento: atqui tamen, cùm Berengarius realem Christi præsentiam impugnare cœpit, tunc adversùs eum tota insurrexit Ecclesia, Doctores variis scriptis ipsius hæresim impugnârunt, damnâruntque Concilia; ergo à fortiori iis motibus agitata fuisset Ecclesia, si, ut fingunt adversarii, fides absentiæ realis sensim et temporum progressu in fidem contrariam præsentiæ realis fuisset immutata; ergo 1.° supponi non potest mutatio insensibilis.

2.° Neque contigit mutatio sensibilis circa fidem Eucharistiæ. Si enim facta fuisset, ipsa, ut potè factum tanti momenti, incredibile, stupendum, universale, ipsa, inquam, perennibus constaret monumentis, in antiquis describeretur historiis, assignarentur profectò auctor illius mutationis, locus quo incœpit, tempus quo accidit,

sicut in omnibus hæresibus factum fuisse novimus, quarum assignatur epocha, auctor et ejus asseclæ, impugnatoresque honorificè commendantur, acta Conciliorum in quibus damnatæ sunt recensentur: atqui nihil ejusmodi reperias de prætensâ mutatione quam circa præsentiam realem tam ineptè fingunt adversarii, ut inter illos alii aliis auctoribus, alii aliis seculis, eam mutationem tribuant. Prætereà, etiamnùm supersunt monumenta historica seculorum quibus præfata sensibilis mutatio, juxta adversarios, adscribi debet: cur ergo de facto tam mirabili nulla fit mentio, cur tam citò oblitterari potuit illius mutationis memoria, ut seculo XI, etiam docti eam ne suspicati quidem fuerint, sed indubitanter crediderint eamdem semper circa Eucharistiam fuisse Ecclesiæ fidem? Ergo 2.° non contigit mutatio sensibilis; aliundè nec insensibilis; ergo, quoniam seculo XI fides præsentiæ realis communis erat in Ecclesiâ Catholicâ, consequens est istud dogma semper viguisse: quod erat probandum.

Obj. 1.° Seculum decimum à Baronio appellatur seculum boni sterilitate ferreum, et inopiâ scriptorum obscurum; ergo tunc temporis contingere potuit mutatio insensibilis.

Resp. dato anteced. Nego consequent. Etenim 1.° absurdum est supponere ignorantiam tunc temporis adeò in Ecclesiâ invaluisse, ut nullus exstiterit Episcopus, nullus Pastor, qui animadverteret mutari fidem christianam erga sacramentum quod à fidelibus frequentabatur. 2.° Tunc floruerunt Sum. Pontifices, Episcopi, Abbates, non minùs sanctitate quàm scientiâ insignes, inter quos appellare sufficiat SS. Odonem, Mayeu-

lum, Odilonem, S. Dunstanum Episcopum Cantuariensem, Fulbertum Carnotensem, etc. Eodem seculo, promoventibus viris zelo, pietate et doctrinâ conspicuis, Dani, Sueci, Lithuani, Hungari, Poloni, Christianæ Religioni nomen dedère. Sed etsi istud ignorantiæ figmentum concederemus, ergone defecerat universalis Ecclesia, quæ est *columna et firmamentum veritatis*? I Tim. c. 3, ℣. 15.

Obj. 2.° Multa suppetunt nobis exempla mutationum insensibilium in Ecclesiâ: v. g., praxis communicandi sub utrâque specie, praxis utendi fermentato pane ad consecrationem, praxis jejunii non ante vesperas solvendi, in contrarias absque motu et reclamatione fidelium paulatim mutatæ sunt; ergo à pari, etc.

Resp. Duplici ex capite nutat objectio proposita; 1.° etenim duo valdè distincta, fidem nempè et disciplinam, confundit. Disciplinæ leges à liberâ Ecclesiæ dispositione pendent, ita ut possit veterem abrogare disciplinam, et in contrariam mutare, pro variis temporum circumstantiis, absque salutis fidelium dispendio: hinc facilè concipitur quomodò praxis communicandi sub utrâque specie, etc., mutari potuerit, absque magnis illis motibus occasione hæreseon contingere solitis. At non ita est de fide, quam sibi, ut potè necessariam ad salutem, eripi patienter ferre non possunt totius orbis Christiani. 2.° Nutat objectio, quia velut ubique factas obtrudit mutationes, quæ in certis tantùm locis invaluerunt; namque Græci etiamnùm fermentato pane utuntur, et jejunium protrahunt ad vesperam, et Eucharistiam sub utrâque specie sumunt.

Obj. 3.° Mutationis in fide circa Eucharistiam initium et consummatio assignantur, VII nempè et X Ecclesiæ seculum; auctores illius nominantur, Anastasius scilicet Sinaïta, in tractatu contra Hæreticos, et Paschasius Ratbertus, Abbas Corbeiensis, lib. de Corpore et Sanguine Domini; tandem ejusdem impugnatores cognoscuntur, nempè Rabbanus Archiepiscopus Moguntinus, Ratramnus Monachus, et Scotus Erigena; ergo mutatio sensibilis contigit. Ita Albertinus Minister.

Resp. Nego ant. Illius prætensæ mutationis tempus assignat quidem Albertinus, sed absque fundamento. Deindè mutationis ejusdem auctores fuisse Anastasium et Paschasium audacter pronuntiat, sed contra manifestam rei evidentiam; uterque enim doctrinam præsentiæ realis ut constantem et jam suo tempore ubique receptam proponit : Anastasius quidem, in libro quem inscripsit, *Dux viæ,* cap. 23; Paschasius verò in lib. 12 in Matth. et in Epist. ad Frudegardum, in quâ expressè docet negantes realem præsentiam agere contra *omnem Ecclesiam,* et contradicere doctrinæ quam *totus orbis credit ac confitetur.* Postremò, Rabbanum, Ratramnum et Scotum Erigenam velut impugnatores novi dogmatis, id est, ut ipsi videtur, præsentiæ realis, appellare amat prædictus Minister, sed immeritò. Rabbanus etenim præsentiam realem clarè docet, lib. 7 de Sacris Ordinibus, cap. 10. Quoad Ratramnum, quamvis ut Sacramentarius rejiciatur, à quibusdam Catholicis, dico librum ejus de Corpore et Sanguine Domini, ad sensum catholicum inflecti posse. De Scoto, fateor quòd præsentiam realem impugnaverit, sed in hoc non contra novitatem, sed contra antiquum et commune dogma

ipse novator, debacchatus est. De hoc argumento lege Nicolii opusculum cui titulus, *Perpétuité de la foi catholique touchant l'Eucharistie.*

PROBATIO IV.

Ex Momentis theologicis.

Primum sic proponitur : Legitur in Calvinistarum Confessione : *L'Ecriture est la règle de vérité, contenant tout ce qui est nécessaire pour le service de Dieu, et à notre salut ; il n'est pas loisible aux hommes, ni même aux Anges, d'y ajouter, diminuer ou changer.* Undè sic argumentor : Non legitur in Scripturâ hæc verba, *Hoc est corpus meum*, sic esse intelligenda, *Hoc est figura Corporis mei ;* ergo id credere non debent Calvinistæ.

Secundum : Synodus nationalis Charentoniana, anno 1631, in decreto unionis cum Lutheranis transacto, declaravit opinionem asserentium realem corporis Christi in Eucharistiâ præsentiam, nihil habere veneni : hujus Synodi Præses Mestrezatius in Apologiâ à Dallæo scriptâ sic loquitur : *Il ne nous est pas possible de croire que le corps du Seigneur soit réellement présent dans le pain de l'Eucharistie : mais cette question demeurant dans ces termes, n'a aucun venin.* Porrò Calviniani omnes Synodo Charentonianæ, ut potè nationali et supremæ apud ipsos auctoritatis, se submittere debent, aut Calvinismum abjicere ; ergo fateri debent realem corporis Christi in Eucharistiâ præsentiam, verbo Dei non contradicere; quod enim verbo Dei contradicit, hoc pietati et honori Dei contrarium est, et multùm habet veneni.

Confirmatur quia Dallæus in epist. ad D. *de Monglas*, editâ pro defensione prædictæ unionis, sic loquitur : *Si l'Eglise Romaine n'eût point eu d'autre erreur que celle-ci, elle ne nous eût point donné un sujet suffisant de nous séparer d'avec elle.* Proindèque fateri debent Calvinistæ doctrinam de præsentiâ reali non opponi Scripturæ sacræ.

Solvuntur objectiones ex Ratione petitæ.

Obj. 1.° Dogma præsentiæ realis rationi evidenter repugnat; ergo admitti nequit.

Rep. 1.° Hæc argumentandi methodus ex ratione contra Religionis mysteria, pessima est, ut jam demonstravimus in *Tractatu de Religione*, eo quòd sit plena periculi, maximæ hominum parti, rudibus scilicet, impervia, doctioribus verò plurimùm difficilis; ergo à solvendis objectionibus ex ratione contra Eucharistiam petitis, abstinere possumus. Ampliùs dico, quilibet indoctus tenetur eas spernere, et ab iis discutiendis propter virium tenuitatem prudenter temperare. Eàdem lege doctus et in arguendo subtilis adstringitur, si disputatio fiat coram imperitis; quòd si testibus careat, vel si testes optimis instructi fuerint principiis, ad juris abundantiam, sophisticos Hæreticorum recessus subire poterit.

Resp. 2.° *Nego ant.* Illud dogma evidenti rationi non contradicit, quod à Deo revelatum est : atqui dogma præsentiæ realis revelatum est, ut constat ex Scripturis et traditione; ergo, etc. Et verò, nimis repugnat asserere dogma evidenter absurdum, licèt præjudiciis adversans et passionibus nullo modo favens, ab orbe Christiano fuisse constanter creditum : atqui doctrina præ-

sentiæ realis, licèt præjudiciis contraria et nullo modo cupiditatibus favens, ab orbe Christiano constanter fuit admissa; ergo, etc. Præterea, ut asseri posset duo inter se pugnare, priùs requireretur ut hæc duo clarè cognoscerentur; ridiculè enim concluditur à re incognitâ ad rem ignotam: sic, v. g., se ridendum certissimè præberet homo à nativitate cæcus, qui ex notionibus sibi propriis concluderet errore teneri genus humanum cùm testatur super facie planâ, ope colorum et umbrarum secundùm perspectivæ leges ritè dispositarum, apparere montes procminentes, recessus immensos, mare longinquum et cætera picturæ prodigia; quæ omnia homini cæco contradictoria judicantur: porrò ita comparati sumus erga mysteria: et respectu ipsorum aliquo sensu caremus: quid sit sacramentalis existentia, de quâ loquitur Concilium Trident.? quænam corporum proprietates post ressurrectionem, de quibus Apostolus, I Cor. c. 15: *Surget corpus spiritale, in incorruptione, in gloriâ, in virtute?* rerum ipsarum quæ quotidiè oculis obversantur quænam intima essentia? quid materia, in quo à spiritu differat; quid locus, quid spatium? in his omnibus investigandis frustrà desudant Philosophi; ergo ibi repugnantiam affirmare, tam ridiculum quàm prædicto cæco disputare de distantiis et coloribus, de phænomenis optices, etc.

Inst. 1.° Repugnat evidenter corpus in infinitis propemodùm locis simul existere: atqui, admissâ semel præsentiæ realis doctrinâ, corpus Christi simul est in cœlo, et in infinitis, ut ita dicam, terræ partibus; ergo, etc.

Resp. Nego maj. Quòd naturaliter, id est, juxta consuetas naturæ leges, corpus multiloca-

tionem non habeat certissimum est; quòd verò miraculosè et juxta leges extraordinarias non possit habere, nunquàm demonstrabunt adversarii. Et verò possibilitatem multilocationis suadere conantur Theologi ex diffusione mentis per singulas corporis humani partes, suîque per totidem loca distributione; ex immensitate Dei, per quam totus et integer omnia replet loca, etc.; imò nonnulla excogitata fuêre systemata, quibus corporum multilocatio probabilis utcunque redderetur. *Observandum* autem sedulò quòd, quandò Theologi systema aliquod proferunt, nullatenùs assignare præsumant modum et media quibus utitur infinita potentia in tanto mysterio : absit hujusmodi temeritas. Id unum volunt, scilicet ut ostendant non repugnare rationi mysterium Eucharistiæ, cùm ipsa ratio aliquod suggerat rei conficiendæ medium. Non ergo objiciendum est quòd systemata sint sine ullo fundamento, aut aliquid contineant minùs Deo dignum : difficultates istæ ad rem non pertinent; nam, ut ait D. *de Lignac*, in libro cui titulus, *Présence corporelle de l'homme prouvée possible*, etc., *Une hypothèse pourra bien ne pas rendre le plan sur lequel le Tout-puissant a formé l'Eucharistie; mais elle ne démontrera pas moins l'inconséquence des raisons dont s'appuient* les adversaires. *Par cette hypothèse, on ne présentera pas d'une main sacrilége le flambeau au mystère : on ne prétendra pas même l'expliquer; mais on prouvera que si l'homme peut lier les connaissances qu'il a de la nature avec le dogme révélé, l'auteur souverain de la physique a dans la partie immense de la physique et de la métaphysique, qu'il ne lui a pas plu de nous*

révéler, bien d'autres moyens d'effectuer ce qu'il prononce. C'en est assez pour justifier la créance de l'Eglise.

Hâc præmissâ admonitione, pergit citatus auctor, et ipse novam fingit hypothesim, quam nemo, quæcunque sit de eâ opinio, ingeniosi admodùm animi opus esse diffitebitur.

Supponit 1.° hominem eumdem remanere, licèt non eamdem retineat materiæ quantitatem; in cujus assertionis gratiam profert quod quisque nostrûm experitur in decursu vitæ, scilicet corpus minui, vel crescere, vel mutari, perfectâ remanente identitate hominis. Et certè, nullus asserat corpus infantis in utero materno, et corpus ejusdem hominis postquàm ad senectutem pervenerit, semper idem remansisse quoad materiæ quantitatem. Ergo identitas hominis non ex quantitate materiæ, sed ex identitate organisationis æstimanda est.

2.° Supponit eamdem animam duo posse simul corpora animare; si enim unio animæ et corporis nihil aliud sit, ut philosophis videtur, quàm sensus intimus coexistentiæ, ob decretam Dei ordinationem, ex quâ fit ut occasione motuum corporis, sensationes excitentur in animâ, et vicissim motus fiant in corpore occasione voluntatum animæ; quidni Deus hanc ordinationem servare poterit respectu duplicis corporis, ita ut varii istorum corporum motus sensationes in unicâ animâ excitent?

His duobus præsuppositis, quæ nullam impossibilitatem includunt, fingitur hypothesis. Si Deus bipartitum faceret cujusdam hominis corpus, non secando per medium, sed accuratè deduplicando quodlibet membrum, quamlibet

cujusque membri partem, vel tenuissimam, sic ut è nervulo duo nervula efficeret, è digito duos digitos, duplicem manum èsingulis, etc., uno verbo, ex uno corpore duo corpora componeret perfectæ similitudinis, simulque eamdem animam juberet duplici præesse corpori; jam idem homo duplex evaderet : de utroque enim affirmare liceret, hic est, v. g., Petrus, filius Andreæ, natus Parisiis, tali functus munere, etc. Quòd si prima hypothesis nihil repugnat, ope similis deduplicationis jam propè in infinitum, ob infinitam divisibilitatem materiæ, multiplicari homo iste poterit. Cæterùm, vide ipsius auctoris nitidam et perspicuam expositionem, in opere præcitato, *Présence corporelle de l'homme, etc.*

Inst. 2.° Repugnat corpus Christi quintupedale aut sextupedale, ad particulam ferè insensibilem redigi; ergo, etc.

Resp. Nego ant. Et 1.° evanescit difficultas si admittatur corpora posse divinitùs sese penetrare, ita ut corpus ad minimum punctum reducatur : atqui illud supponi potest; non magis enim repugnat partes ejusdem corporis sese mutuò penetrare, quàm unum corpus penetrare alia: atqui posterius non repugnat, cujus habentur exempla in Christo, cùm ex sepulcro vivus prodiit non revoluto lapide, vel cœnaculum januis clausis ingressus est. 2.° Etsi non admitteretur compenetratio corporum, saltem fatendum est, partibus extra alias remanentibus, ita condensari posse corpus, ut in angustissimis limitibus contrahatur. Si in ovi germine pullus continetur integer; si in semine tenuissimo integra planta et immensa quercus, imò et germina aliarum quercuum reperiuntur, quis negaverit Deum

facere posse in Eucharistiâ quod quotidiè facit in naturâ ?

Inst. 3.° Dici nequit Christum in Eucharistiâ contineri, quin simul admittatur accidentia panis et vini, v. g., odorem, saporem, pondus, etc., separata à subjecto suo in aere retineri : atqui talis doctrina manifestam involvit contradictionem ; ergo, etc.

Resp. Nego maj. Fides catholica non exigit ut admittantur accidentia absoluta, potiùs quàm accidentia relativa : independens enim est ab arbitrariis hominum opinationibus ; ergo hoc ipso concidit difficultas. Quod ut planius omnibus fiat, advertendum duas esse de accidentibus physicis Philosophorum sententias. Volunt alii esse formas absolutas et materiales, realiter à subjecto et entitativè, ut loquuntur, distinctas ; quæ accidentia Deus, peractâ consecratione, et converso pane et vino in corpus et sanguinem Christi, à subjecto suo abstrahit, et in aere circa corpus filii sui per miraculum retinet : addunt has formas non secùs ac corpus à quo separatæ fuêre, corruptioni esse obnoxias. Ita veteris scholæ Philosophi.

Alii inter recentiores contendunt accidentia in corporibus non distingui ab ipsâ substantiâ, v. g., figuram panis nihil aliud esse quàm dispositionem partium panis certo modo et ordine : undè, cùm tota substantia panis per consecrationem convertatur in corpus Christi, et nihil ex illâ maneat, dici non potest ipsius figuram superesse. Sed species quæ perseverant, mentales sunt tantùm, seu consistunt in sensationibus quas Deus imprimit, et quæ prorsùs similes sunt iis quas imprimeret, si adesset substantia panis

et vini. Nimirùm, inquiunt, Deus est auctor omnium sensationum animæ, ita ut, ex Physicâ ordinatione, statuerit ut quoties corpora externa agerent in organa nostra, ipse interiùs sensationes excitaret in mente : sed quod ordinariè non operatur nisi præsentibus corporibus, supernaturaliter agere potest etiam remotis corporibus, et ita reverà operatur in Eucharistiâ.

Cui talis arriserit opinio, eam amplecti omninò licitum est, quæ nec rationi repugnat, nec fidei. 1.° Non rationi contradicit, imò ipsi magis consentanea videtur; nihil enim habet prædictum systema quod Dei potentiam superet, nihil quod non admittant uno ore optimæ notæ Metaphysici. Vide si lubet, *Para du Phanjas, Théorie des Êtres insensibles*, tom. 3. 2.° Non repugnat fidei. Nihil enim circa accidentia ab Ecclesiâ fuit definitum. Reverà Conc. Constantiense hanc proscripsit Wiclefi propositionem : *Accidentia non manent sine subjecto;* verùm eam damnavit in sensu Wiclefi, qui ita ratiocinabatur : Peractâ consecratione, manent accidentia panis : atqui accidentia illa non manent sine subjecto; ergo panis remanet post consecrationem. *Minorem* propositionem damnavit Concilium, non in se præcisè spectatam, sed in sensu auctoris, qui pro certo tenebat manere accidentia panis. Undè iste est sensus damnationis : Accidentia, si maneant post consecrationem, manent sine subjecto, quia de fide est panem ampliùs non manere : porrò hunc esse genuinum Concilii, Const. sensum testatur Cardinalis *de Alliaco*, Cameracensis Episcopus, qui gestorum in hoc Concilio pars magna fuit.

Nihil pariter Concilium Tridentinum circa ac-

cidentia definivit, tum quia videtur Concilium, ex industriâ omisso vocabulo accidentium, semper adhibuisse vocem, *species* : si enim ipsius mens fuisset aliquid definire circa opinionem accidentium absolutorum, certè non omisisset vocem accidentium; tum quia vox, *species*, magis significat apparentias, quàm accidentia, undè in omnibus ferè Catechismis sic exponitur doctrina præsentiæ realis : Christus totus præsens est *sub speciebus* vel *apparentiis* panis et vini. Ergo Ecclesia nihil definiit circa opinionem accidentium absolutorum.

Et verò, illustrissimus *Bossuet*, in opere cui titulus, *Exposition de la doctrine de l'Eglise Catholique*, approbato à Romano Pontifice et à Clero Gallicano, exponens fidem catholicam circa præsentiam realem, ne unum quidem verbum habet de accidentibus absolutis, imò nec usurpat vocem accidentium; sed è contrà expressè asserit apparentias externas quæ manent peractâ consecratione, esse signa præsentiæ corporis Christi.

ARTICULUS III.

De modo Præsentiæ realis Christi in Eucharistiâ.

Duo hìc quæruntur, 1.° utrùm Christus sit realiter præsens in Eucharistiâ per transsubstantiationem; 2.° utrùm sit realiter præsens modo permanenti : quæ duplici paragrapho expendemus.

§ I.

Utrùm Christus sit realiter præsens in Eucharistiâ per Transsubstantiationem.

Lutherani unâ voce, sed diversâ ratione, reji-

ciunt transsubstantiationem : alii volunt Christum esse præsentem in Eucharistiâ per *impanationem,* alii verò per *consubstantiationem.* Impanatio esset unio hypostatica Verbi cum pane ; undè quemadmodùm hæc verba, *Verbum caro factum est,* intimam naturæ humanæ cum divinâ personâ Filii conjunctionem significant ; ita hæc verba, *Hoc est corpus meum,* significant, Hic panis per unionem hypostaticam est corpus meum. Consubstantiatio esset consociatio substantiæ panis et vini cum substantiâ corporis et sanguinis Christi ; undè sic reddi deberent verba institutionis : Hic est corpus meum et sanguis meus, simul cum substantiâ panis et vini.

Transsubstantiatio definitur, *Conversio totius substantiæ panis et vini in substantiam corporis et sanguinis Christi.*

PROPOSITIO.

Christus præsens est in Eucharistiâ per transsubstantiationem.

Propositio est *de fide,* definita in Conc. Trid. Sess. 13, can. 2, his verbis : *Si quis dixerit in sacrosancto Eucharistiæ sacramento remanere substantiam panis et vini unà cum corpore et sanguine D. N. J. C., negaveritque mirabilem illam et singularem conversionem totius substantiæ panis in corpus, et totius substantiæ vini in sanguinem, manentibus duntaxat speciebus panis et vini : quam quidem conversionem Catholica Ecclesia aptissimè Transsubstantiationem appellat ; anathema sit.*

Prob. 1.° *ex Script.* Ex verbis institutionis. Matth. c. 26, ℣. 26, 27 et 28 : *Accepit Jesus*

panem, et benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, et ait : Accipite, et comedite; hoc est corpus meum. Et accipiens calicem gratias egit; et dedit illis, dicens : Bibite ex hoc omnes; hic est enim sanguis meus.

Hæc verba non in alio quàm præsentiæ realis sensu intelligi possunt, ut ipsimet fatentur adversarii : atqui verba Christi sensu præsentiæ realis intellecta, impanationis et consubstantiationis systemata funditùs evellunt. 1.° Impanationis : nam, juxta illius systematis defensores, verba Christi hunc habent sensum : Hic panis per meam cum ipso unionem, est corpus meum : atqui iste sensus verbis Christi apertè repugnat; Christus enim non dixit tantùm, *Hoc est corpus meum*, sed addidit, *quod pro vobis tradetur*, I Cor. c. 11, ℣. 24 : atqui corpus pro nobis traditum, non fuit corpus panaceum; ergo, etc. Et verò, in hypothesi impanationis seu unionis hypostaticæ panis cum corpore Christi, falsa esset hæc propositio, *Hoc est corpus meum*, ut constat ex regulis in communicatione idiomatum admittendis; ergo, etc.

2.° Verba Christi systema consubstantiationis pariter convellunt. Etenim, juxta illius systematis patronos, iste est sensus Verborum Christi : Hìc, seu in loco isto, est corpus meum : atqui sensus iste repugnat verbis Christi, namque essentialiter differunt pronomen, *hoc*, et adverbium, *hìc* : atqui tamen in sententiâ adversariorum pronomen, *hoc*, et adverbium, *hìc*, sunt quid unum et idem, et promiscuè sumi debent; ergo, etc. Et verò, cùm Christus protulit verba institutionis, affirmavit corpus suum de illâ re quam præ manibus tenebat : atqui, non admissâ transsubs-

tantiatione, Christus non potuit affirmare illam rem quam manibus tenebat, esse corpus suum; nam, non admissâ transsubstantiatione, res illa quam præ manibus suis habebat Christus, erat utraque substantia panis, et corporis ejusdem Christi : atqui Christus non potuit affirmare corpus suum de utrâque substantiâ panis et corporis sui; utrique enim non convenit. Etenim 1.° si quis demonstrando panem in quo lapis includeretur, diceret absque præviâ ullâ monitione : Hic est lapis, ille procul dubio falsum ennuntiaret; ergo à pari, Christus falsò locutus fuisset, si de pane in quo corpus suum occultaretur, illud idem corpus suum affirmasset, absque ullâ præcedenti monitione. 2.° Juxta patronos consubstantiationis, in verbis Christi admittenda est synecdoche, id est figura per quam continens pro contento sumitur, ita ut sensus eorum sit : Quod continetur sub hoc pane, est corpus meum : atqui figura ejusmodi removeri debet à verbis Christi; namque, juxta sermonis leges, continens pro contento non debet sumi, nisi cùm ex usu communi, vel præviâ admonitione, pro continente habetur ab auditoribus : atqui panis, neque ex usu communi, neque ex monitione Christi præviâ, ut continens haberi potuit ab Apostolis, ubi audierunt Christum verba institutionis proferentem; ergo, etc.

Prob. 2.° *ex SS. PP.* Illi enim docent transsubstantiationem, qui 1.° asserunt Eucharistiam non esse panem communem, sed corpus Christi verum quod ex Mariâ Virgine natum est, veram Christi carnem quæ crucifixa est, quæ sepulta, quæque à mortuis resurrexit; qui 2.° affirmant per verba consecratoria Christum ex pane efficere corpus suum, et vinum in suum sanguinem convertere, si-

cut in Cana aquam in vinum transmutavit; qui 3.° dicunt, prolatis consecrationis verbis, jam non superesse substantiam panis, licet aliter sensus referant; atqui hæc omnia docent SS. PP. partim in probationibus præsentiæ realis jam laudati, partim in decursu citandi, præsertim S. Irenæus, lib. 4 adversùs Hæreses, cap. 18; S. Hilarius Pictaviensis, lib. 8 de Trinitate; S. Ambr. lib. de Initiandis, cap. 9, lib. 4 de Sacram. cap. 4 et 5, etc.; ergo, etc.

Prob. 3.° *argumento Præscriptionis.* Cùm Lutherus, seculo XVI, consubstantiationis figmentum inducere voluit, Ecclesia tum Latina, tum Græca, transsubstantiationem veluti dogma catholicum summâ consensione profitebatur, ut constat ex Latinorum et Græcorum liturgiis, et evidentibus eorum testimoniis; idemque Berengarii temporibus contigerat; undè in Concilio Romano, anno 1079 celebrato, sub Gregorio VII adversùs Berengarium, definierunt Patres panem et vinum substantialiter converti in corpus et sanguinem Christi: atqui indè sequitur dogma transsubstantiationis, ob mutationis repugnantiam, semper in Ecclesiâ creditum fuisse; ergo, etc.

Obj. 1.° Ex verbis institutionis certò deduci non potest dogma transsubstantiationis, modò illa verba intelligi possint et verificari sensu consubstantiationis: atqui res ita est; nam qui dolium vel ferrum candens demonstrat, potest dicere, Hoc est vinum, Hic est ignis; ergo à pari, etc.

Resp. Nego min. propter rationes allatas. Ad prob. *nego paritatem.* Etenim ferrum candens rectè dicitur ignis, quia usu receptum est ut ignis dicatur quidquid habet ignis proprietates;

undè hìc nullum est respectu audientium deceptionis periculum; idem dicendum est de dolio. At non ita est de pane; panis enim nec ex rei naturâ, nec ex communi usu, destinatus est ad continendum Christi corpus; ergo nisi Christus subvertisse dicatur consuetas sermonis leges non potuit exprimere corpus suum præsens esse cum pane, dicendo, pane demonstrato, *Hoc est corpus meum.*

Obj. 2.° Credendum est testimonio sensuum, cùm sensus benè dispositi constanter et uniformiter aliquid idem renuntiant : atqui, admissâ transsubstantiatione, credendum non esset sensibus benè dispositis, constanter et uniformiter idem renuntiantibus; nam sensus constanter et uniformiter renuntiant in Eucharistiâ esse panem : atqui tamen, positâ transsubstantiatione, credendum non est esse panem; ergo, etc. Et certè ideò credendum esset non esse panem in Eucharistiâ, licèt sensus constanter et uniformiter referant ibi esse panem, quia Deus revelavit non manere substantiam panis : jam verò, cùm de revelatione constet per solum auditum, juxta illud Apostoli, *Fides ex auditu*, sic ratiocinari licet : Testimonium unius sensûs tantùm cæterorum sensuum collectivè sumptorum testimonio prævalere non debet : atquì si crederetur non esse panem in Eucharistiâ propter revelationem, jam unius sensûs testimonium prævalebit testimonio cæterorum sensuum; ergo, etc.

Resp. Nego min. Ad probationem, *nego maj.* Sensus non renuntiant esse panem in Eucharistiâ, renuntiant tantùm esse apparentias panis : porrò, licèt adsint apparentiæ panis, credendum est non esse panem, quia Deus revelavit substantiam pa-

nis non manere post consecrationem. Tunc autem non prævalet testimonium sensûs unius testimonio aliorum sensuum; siquidem nulla est oppositio inter testimonium illius sensûs, et testimonium aliorum; quatuor enim sensus referunt adesse apparentias panis, unus auditus refert non esse substantiam panis, licèt maneant apparentiæ: certè inter utrumque testimonium nulla est oppositio, ac proindè utrique credendum; ergo fides transsubstantiationis non exigit ut denegemus fidem testimonio sensuum, qui benè dispositi idem constanter et uniformiter referunt.

Obj. 3.° Panis eucharisticus corporis nutriendi vim retinet, alteratur, corrumpitur, et ex eà corruptione fit nova substantia: atqui hæc omnia supponunt aliquam substantiam, in Eucharistià, post consecrationem remanere; ergo, etc.

Resp. Neg. min. Etenim ex his id unum sequitur, nempè, post certum temporis intervallum, tunc à Deo produci substantiam ei similem quæ ex pane et vino corruptis naturaliter remaneret, et ex illà substantià hominem nutriri, vermes generari, etc. Nec ibi est novum miraculum; quæ enim fiunt ad rerum exigentiam, miracula non sunt, inquit Bellarminus.

Obj. 4.° Jubet Apostolus vocum profanas vitare novitates: atqui vox *Transsubstantiatio*, nova est, cùm ante Concil. Later. IV nullibi reperiatur; ergo, etc.

Resp. Dist. min. Quoad ipsum terminum, *conc.*; quoad rem termino significatam, *nego.* Itaque vox, *Transsubstantiatio*, quoad rem termino significatam, nova non est nec dici debet, cum veteres Patres, quorum testimonia retulimus, uno ore docuerint panem et vinum mutari,

transmutari, converti in corpus et sanguinem Christi : porrò illa verba eumdem exhibent sensum quem exhibet vox, Transsubstantiatio; ergo nova non est quoad rem termino significatam.

Quòd autem Ecclesiæ licitum sit novis quoad sonum vocabulis uti, ut antiquam fidem clariùs exprimat, et Hæreticorum novitates faciliùs conterat, probatur ex constanti Ecclesiæ praxi : sic olim Nicæni Patres adhibuerunt vocem, *Consubstantialis*, contra hæresim Arii, qui divinitatem Verbi negabat.

SCHOLIUM PRIMUM.

In asserendo transsubstantiationis dogmate consentiunt Theologi, de modo illud exponendi tantùm disputant, salvâ fide. Omissis eorum variis opinionibus, sufficiat dicere ipsam esse actionem quâ Deus, ad verba Sacerdotis, omnem panis substantiam destruit, et corpus Christi in locum illius sub eàdem specie præsens sistit.

Mirabilis illa conversio tria essentialiter exigit, 1.° ut substantia panis et vini totaliter desinat; 2.° ut corpus Christi succedat; 3.° ut sit aliqua dependentia sive connexio inter desitionem substantiæ panis, et successionem corporis Christi, alioquin non erit una actio quæ dici possit conversio, sed erunt duæ actiones totales ac distinctæ, quarum 1.ª erit destructio, 2.ª autem productio.

Hæc de transsubstantiatione constant apud omnes Catholicos. Verùm, salvâ fide, disputant an conversio illa actionem directè, vel meram relationem significet; utrùm actio illa sit adductiva, vel reproductiva corporis Christi; deniquè, utrùm dependentia sive connexio inter destructionem panis et substitutionem corporis Christi fundetur

in

in solâ Dei voluntate, vel in solâ rerum naturâ, ita ut positio corporis Christi sub speciebus panis incompossibilis sit, saltem naturaliter, cum ipsius substantiâ; de his, inquam, disputant Theologi, quos in tam intricatis et tam inutilibus enucleandis desudantes, non imitaturi, demiramur; *demus* enim *Deum aliquid posse quod fateamur nos investigare non posse; in talibus rebus tota ratio facti est potentia facientis;* S. Aug. Epist. 137 aliàs 3, ad Volusianum.

Notandum substantiam panis et vini per consecrationem omninò desinere, non solùm in Eucharistiâ, sed etiam in rerum naturâ, alioquin non esset conversio substantiæ panis in substantiam corporis Christi, sed mera substitutio.

SCHOLIUM II.

In quo expendentur variæ quæstiones præsentiæ realis appendices.

Quæres 1.° an Corpus Christi præsens in Eucharistiâ, ipsum sit quod ex Mariâ Virgine natum, subindè passum et crucifixum, nunc gloriosum in cœlis habitat.

Resp. affirm. ex Script. Hoc est corpus meum, inquit Christus, *quod pro vobis tradetur:* atqui corpus Christi pro nobis in cruce traditum, ex Mariâ Virgine natum est; ergo, etc. Idem docent SS. PP.

Ergo graviter erravit Joannes Parisiensis, ex Dominicanorum familiâ insignis Theologus, XIV ineunte Ecclesiæ seculo, juxta quem corpus Christi in Eucharistiâ, erat ipse panis hypostaticè unitus Verbo, non immediatè quidem, sed mediante carne Christi: quâ de causâ damnatus est à Facultate Parisiensi.

Erravit et Durandus, Meldensis Episcopus, XIV

seculo, cum suo commentatore Callio, in Universitate Cadomensi Professore Philosophiæ. Corpus in Eucharistiâ præsens, in mente eorum, ipse panis est vi consecrationis in corpus humanum *transformatus*, cui anima Christi unita est.

Quæres 2.° an corpus et sanguis Christi, imò Christus totus sub quâlibet specie contineatur.

Resp. affirm. Prob. 1.° *ex Script.* I Cor. c. 11, ℣. 27: *Quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis et sanguinis Domini:* porrò si satis sit alterutrum sumere indignè, ut quis reus sit utriusque, ergo, inquiunt Theologi plures, utrumque sub specie panis, item sub vini specie, imò Christus totus existit.

Prob. 2.° *Ratione*. Quandò plura ita copulata sunt, ut inseparabiliter existant, non potest aliquid eorum esse alicubi, quin cætera ibi quoque sint: atqui corpus et sanguis Christi, unà cum ipsius divinitate et animâ, ita copulata sunt, ut inseparabiliter existant; *Christus* enim *resurgens ex mortuis, jam non moritur,* ait Apost. Rom. c. 6, ℣. 9; ergo, etc.

Notandum tamen cum Concil. Trid. Sess. 13, cap. 3, semper fidem in Ecclesià Dei fuisse, verum Christi corpus existere sub specie panis, et sanguinem sub specie vini, ex vi verborum; ipsum autem corpus sub specie vini, et sanguinem sub specie panis, animamque cum divinitate sub utràque, vi naturalis connexionis et concomitantiæ. Et verò, illud tantùm dicitur esse in Eucharistià vi verborum, quod verba tantùm significant: atqui verba super panem prolata, corpus solum, et prolata super vinum, sanguinem unicè significant; ergo vi verborum, solum

corpus est sub specie panis, et solus sanguis sub specie vini; cætera verò per concomitantiam.

Quæres 3.° an Christus totus existat sub singulis partibus cujuslibet speciei.

Resp. Vel agitur de præsentiâ Christi sub quâlibet parte uniuscujusque speciei ante divisionem, vel post: in utroque autem casu, totus continetur sub quâlibet utriusque speciei parte. Et 1.° quidem post divisionem factam, ut canit Ecclesia: *Fracto demùm sacramento, ne vacilles, sed memento tantùm esse sub fragmento, quantùm toto tegitur;* et definitum est à Conc. Trid. Sess. 13, can. 3: *Si quis negaverit in venerabili sacramento Eucharistiæ sub unaquâque specie, et sub singulis cujusque speciei, partibus, separatione factâ, totum Christum contineri; anathema sit.* Undè 1.ª ista pars est *de fide.*

Prob. insuper ex praxi Ecclesiæ, quæ sæpiùs, materiam consecratam in varias partes dividit, sacramentum administrando; et ex ipsâmet agendi ratione Salvatoris, qui calicem unum inter omnes divisit Apostolos.

2.° Ante divisionem: et huic sententiæ, quamvis nondùm ab Ecclesiâ definitæ, subscribit pars longè major Theologorum, qui eam solent inferre ex eo quòd Christus sit totus sub quâlibet speciei uniuscujusque parte sensibili, post divisionem; divisio enim specierum quæ à quolibet etiam laico perfici potest, corporis Christi præsentiam multiplicare nequit.

§ II.

Utrùm Christus sit realiter præsens in Eucharistiâ modo permanenti.

Status quæstionis est utrùm statim post prolata

consecrationis verba, independenter ab usu seu sumptione, corpus et sanguis Christi sint realiter præsentia sub speciebus panis et vini, et sub illis tandiù perseverent quandiù species integræ remanent, vel utrùm fiant tantùm præsentia cùm actu manducatur panis eucharisticus, et bibitur vinum, sive corpus Christi realiter sumatur, ut volunt Lutherani, sive nonnisi per fidem apprehendatur, ut placet Calvinianis. Sit igitur

PROPOSITIO.

Corpus Christi permanenter existit in Eucharistiâ, et independenter ab usu, quandiù panis et vini species stant incorruptæ.

Est *de fide* definita in Conc. Trid. Sess. 13, can. 4, his verbis : *Si quis dixerit, peractâ consecratione, in admirabili Eucharistiæ sacramento non esse corpus et sanguinem Domini nostri Jesu Christi, sed tantùm in usu, dùm sumitur, non autem antè vel post; et in hostiis seu particulis consecratis quæ post communionem reservantur, vel supersunt, non remanere verum corpus Domini; anathema sit.*

Prob. 1.° *ex Traditione.* Ea doctrina admitti debet, quæ ab Ecclesiæ initio ubique admittebatur : atqui talis est doctrina juxta quam corpus Christi est permanenter in Eucharistiâ. Etenim 1.°, teste S. Justino, in 2.â Apologiâ, post peracta sacra, Diaconi ad absentes Eucharistiam deferebant. 2.° Mos erat ut magnarum Sedium Episcopi, alii ad alios Eucharistiam in signum communionis mitterent, et testatur S. Irenæus in Epist. ad Victorem Papam, Anicetum Romanum Pontificem eam misisse ad Polycarpum. 3.° Eu-

charistia ad ægrotos deferebatur, ex facto Serapionis senis, quod refert S. Dionysius Alex. apud Euseb. lib. 6, cap. 44. 4.° Sævientibus persecutionibus, domum asportabatur à fidelibus, ex Tertull. lib. 2 ad Uxorem. 5.° Fidelibus datâ pace, asservabatur in Ecclesiis, et recondebatur in columbis aureis vel argenteis, aut in turriculis, ex S. Chrys. Epist. ad Innoc. I, et ex vitâ S. Basilii; ergo, etc.

Prob. 2.° *Rationibus theologicis.* 1.ª Dicendum est præsens esse corpus Christi, vel in solo usu seu sumptione, vel in serie omnium actionum Cœnæ, vel ad certum et determinatum tempus, aut cum Catholicis tenendum extra usum et permanenti modo Christum existere in Eucharistiâ; non datur aliud medium: atqui tria priora admitti nequeunt. Non primum: statim enim ut Christus protulit hæc verba, *Hoc est corpus meum,* corpus ejus fuit verè præsens; siquidem verba Christi, statim ut pronuntiata sunt, vera fuêre: atqui verba hæc ante usum protulit Christus, nempè, antequàm corpus suum discipulis traderet manducandum; *nondùm enim,* ut ait Conc. Trid. Sess. 13, cap. 3, *Eucharistiam de manu Domini Apostoli susceperant, cùm verè tamen ipse affirmaret corpus suum esse quod præbebat.* Non 2.um et 3.um: si enim ante et post sacramenti susceptionem, per aliquod tempus permanet in Eucharistiâ corpus Christi, dicant Lutherani undè limites habeant quos huic durationi figant?

2.ª Eucharistia, ut sæpius dictum est, instituta fuit à Christo per modum cibi spiritualis animarum; ergo sicut cibus corporalis, licèt ad usum sit ordinatus, est quid permanens, et habet completam nutriendi vim antequàm accipiatur; ita et

Eucharistia, cujus sumptio est tantùm conditio requisita ut reipsâ nutriat.

Dixi in propositione, corpus Christi in Eucharistiâ permanere, *quandiù panis et vini species stant incorruptæ;* cùm enim Christus voluerit suum nobis exhibere corpus sub specie panis, et sanguinem sub specie vini, ut significaret ipsum esse animæ nostræ cibum, ad modum quo panis et vinum reficiendo corpori nata sunt, consequens est ipsum ab Eucharistiâ discedere, ubi esse desinunt species panis et vini.

Obj. 1.° Sacramenta non sunt nisi secundùm institutionem Christi: atqui jussit quidem Christus corpus suum distribui et manducari, non autem servari; ergo corpus Christi est quidem præsens in usu, sed non extra usum. Et verò, sacramenta reliqua in usu posita sunt; ergo et Eucharistia.

Resp. ad 1.um *Nego maj.* in sensu adversariorum; eorum enim mens est sacramenta non esse nisi secundùm quod Christus expressè designavit: atqui illud falsum est, quia Christus, expressè quædam significando, non alia quæcunque excludit, et multò minùs ea quæ, ex constanti omnium seculorum Traditione, constant ab eo non exclusa fuisse.

Ad 2.um In iis quæ ex instituentis arbitrio pendent, non est ratiocinandum à pari, sed inquirenda voluntas instituentis: atqui in præsenti quæstione, Christi voluntas aperta est per Traditionem; ergo, etc.

Obj. 2.° Ex antiquâ Traditione nihil concludi potest; namque Clemens Romanus, Epist. 2, præcipit *ut tanta duntaxat in altare holocausta offerantur, quanta populo sufficere debent;*

quòd si manserint, in crastinum non reserventur; Origenes, in cap. 17 Levit. dicit: *Dominus panem, quem discipulis dabat, non distulit, nec differri jussit in crastinum.* Undè moris erat ut sacramenti reliquiæ innocentibus pueris darentur, prout referunt Gregor. Turonensis et Nicephorus, et ita sanxit Conc. Matisconense II, can. 6.

Resp. Nego ant. Ne unus quidem in totâ retrò antiquitate scriptor nobis adversatur : 1.° non adversatur Clemens Romanus, tum quia ejus non est epistola quæ nobis objicitur, ut jam receptum est apud eruditos; tum quia auctor illius epistolæ prohibet quidem ne plus quàm præsentibus et absentibus necesse sit consecrati panis in crastinum reservetur, sed non prohibet absolutè ne quid reservetur : undè ait : *Ministri cum timore et tremore reliquias fragmentorum corporis dominici custodire debent, ne qua putredo in sacrario inveniatur, ne portioni corporis Domini gravis inferatur injuria :* porrò si nihil reservabatur, nullum erat putredinis periculum. 2.° Non adversatur Origenes. Reverà Christus panem à se consecratum, quem discipulis dedit, continuò manducari jussit; id unum docet Origenes : verùm indè non sequitur Christum prohibuisse ne Eucharistia reservetur in gratiam eorum qui alioquin eâ privarentur. 3.° Mos ille antiquus nobis cedit in probationem, quia constat etiam ex citato Matisconensi Concilio, illas reliquias non statim, saltem ubique, post celebratam Missam traditas pueris fuisse, sed quatuor vel quinque posteà diebus. Aliundè pueris dabantur tantùm particulæ superabundantes, non autem omnes, ita ut nulla pro infirmis superesset.

COROLLARIUM PRIMUM.

Ergo Christus in Eucharistiâ cultu latriæ, etiam exteriori, est adorandus.

Est *de fide*, ut potè definitum in Conc. Trid. Sess. 13, cap. 5, et can. 6.

Nam Christus realiter et modo permanenti præsens est in Eucharistiæ sacramento : porrò Christus cultu latriæ, etiam exteriori, est adorandus ubicunque præsens est; ergo, etc. Consonat Traditio, cujus unicum hìc testem, S. Augustinum, appellare satis est, in Psalm. 98 : *Quia in carne*, inquit, *hìc ambulavit Christus, et ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit, nemo autem illam carnem manducat, nisi priùs adoraverit, inventum est quemadmodùm adoretur tale scabellum pedum Domini; et non solùm non peccemus adorando, sed peccemus non adorando.*

COROLLARIUM II.

Ergo licita est ac pia praxis, ab Ecclesiâ instituta, exponendi SS. Sacramentum.

Hinc enim non parùm accenditur fides et devotio erga Christum, utiliterque ad orationes ferventiores excitantur, in iisque constantiùs fideles perseverant.

Cùm autem sæpè eveniat ut rebus etiam optimis abutantur homines, sedulò hìc observabis ad hanc augustissimi sacramenti expositionem plures requiri conditiones : 1.° quidem requiritur gravis causa; undè S. Carolus sic statuit in Synodo XI diœcesanâ : *SS. Eucharistia ne quâvis causâ sed publicâ tantummodò, eâque gravi, expo-*

natur. Act. Conc. Med. parte II, p. 349, edit. Patav. in-f.° Idem sancitum est à Clero Gallicano in Comitiis ann. 1625 et 1635, in quibus publicam causam exigunt Præsules ad expositionem SS. Sacramenti. Vide *Mémoires du Clergé,* tom. 5, part. 3, tit. 4, num. 21 et 22. 2.° Requiritur expressa Episcopi diœcesani facultas; ita pluries sanxerunt in Comitiis generalibus Præsules Gallicani, quorum votis annuens Ludovicus Magnus, anno 1665, decreto vetuit ne Sacerdotes, seu seculares, seu regulares, ineant contractus fundationum, quibus, certis diebus, SS. Sacramentum exponere teneantur, nisi pro causâ publicâ, eâque ab Episcopo approbatâ. 3.° Requiritur ut altaria honestè ac decenter ornentur, in iisque cerei luceant.

COROLLARIUM III.

Ergo piè et religiosè admodùm in Dei Ecclesiam inductus est mos ille, ut SS. Sacramentum solemniter in publicis processionibus circumferretur.

Ita Conc. Trid. Sess. 13, cap. 5 : *Æquissimum est enim,* inquiunt Patres Concilii, *sacros aliquos statutos esse dies, cùm Christiani omnes singulari ac rarâ quâdam significatione, gratos et memores testentur animos erga communem Dominum et Redemptorem, pro tam ineffabili et planè divino beneficio, quo mortis ejus victoria et triumphus repræsentatur. Atque sic quidem oportuit victricem veritatem de mendacio et hæresi triumphum agere; ut ejus adversarii in conspectu tanti splendoris, et in tantâ universæ Ecclesiæ lætitiâ positi, vel debilitati et*

fracti tabescant, vel pudore affecti et confusi aliquandò resipiscant.

Quæres an ad exstinguenda incendia, turbinesve avertendos Corpus Christi deportare liceat.

Resp. id prorsùs illicitum esse, 1.° quia illud prohibuêre sapientissimi Præsules : sic S. Carolus in Concilio Mediolanensi III, Act. Eccl. Med. parte 1.â, pag. 78. In quibusdam verò diœcesibus sub pœnâ suspensionis prohibetur asportatio Eucharistiæ extra Ecclesiam tempore tempestatis vel incendii. In hâc Tolosanâ diœcesi, districtè ac severè idipsum prohibetur, inquit Rituale, pag. 90. 2.° Quia licèt nonnunquàm ad Eucharistiæ præsentiam exstincta sint incendia, aliquandò tamen contigit et contingere potest, ut non exstinguantur, tuncque deperit aliquid pietatis in fidelibus, præsertim in mulierculis aliisque id genus, qui de rerum sanctitate ex eventu sæpiùs judicant. 3.° Quia fieri nequit in tumultu incendiis annexo, ut honor debitus tanto sacramento impendatur. 4.° Quia periculum est ne Eucharistiæ ad incendia vel contra turbines deportatio quamdam Dei tentationem importet.

CAPUT II.

De Materiâ et Formâ sacramenti Eucharistiæ.

Duplex erit hujus quæstionis articulus : in 1.° agemus de materiâ, in 2.° de Formâ.

ARTICULUS PRIMUS.

De Materiâ Eucharistiæ.

Observandum 1.° Materia Eucharistiæ est res

sensibilis quæ adhibetur ad conficiendum corpus et sanguinem Christi, scilicet panis et vinum. Id autem Eucharistiæ sacramento speciale est, quòd dùm actu conficitur sacramentum, ipsius materia substantialiter transmutetur in corpus et sanguinem Christi; undè à scholæ Doctoribus appellatur materia remota, seu potiùs removenda, et in corpus Christi transmutanda.

Observandum 2.° Omissis impuris Gnosticis et Catharistis cruentisque Montanistis, quorum horrenda scelera describit S. Augustinus, Hæresi 26, errârunt circa materiam Eucharistiæ *Artotyritæ*, qui panem et caseum consecrabant; *Aquarii*, qui solam aquam offerebant in calice; et ex Calvinianis nonnulli, qui, deficientibus pane et vino, quidquid habet rationem cibi et potùs consecrari posse censent. His prænotatis, agemus 1.° de pane; 2.° de vino eucharistico; 3.° expendemus quomodò utraque materia Sacerdoti consecranti præsens esse debeat, et per consecrantis intentionem determinata.

§ I.

De pane Eucharistico.

PROPOSITIO PRIMA.

Panis triticeus magnitudinis hujus quæ sensibus percipi possit, est necessaria materia Eucharistiæ.

Tres sunt partes propositionis.

Prob. 1.ª *pars, de pane.* Illud enim est materia necessaria Eucharistiæ, quod ipse Christus adhibuit, Eucharistiam instituens, quod adhiberi præcepit, et semper in Ecclesiâ adhibitum

fuit : atqui 1.° Christus, Eucharistiam instituens, adhibuit panem. Luc. c. 22, ℣. 19 : Jesus, *accepto pane, gratias egit, et fregit, et dedit eis, dicens : Hoc est corpus meum.* 2.° Adhiberi præcepit; nam alloquens Apostolos, eorumque successores in personâ Apostolorum, dixit : *Hoc facite in meam commemorationem.* 3.° Semper adhibuit Ecclesia : constat ex testimoniis SS. Patrum suprà relatis, ubi de Præsentiâ reali, in quibus dicitur per verba consecrationis panem mutari et converti in corpus Christi.

Prob. 2.ª *pars, de pane triticeo.* 1.° Ex modò dictis, Christus, Eucharistiam instituens, panem accepit, et panem adhiberi præcepit : atqui panis simpliciter dictus, est panis ex tritico seu frumento; ergo, etc. 2.° Ex constanti utriusque Ecclesiæ praxi : usus Ecclesiæ Græcæ constat ex his verbis Conc. Flor. Sess. ultimâ : *De pane, sive azymus, sive fermentatus fuerit, non curant Græci, dummodò ex tritico constet.* Praxim Ecclesiæ Latinæ testantur Rubricæ Missalis Romani : *Si panis non sit triticeus, non conficitur sacramentum.* Item ex unanimi Theologorum consensu.

Prob. 3.ª *pars.* Eucharistia, ut potè sacramentum, signum est sensibile : atqui si validè consecrari posset particula insensibilis, tunc Eucharistia signum sensibile non esset; ergo, etc.

Hinc colliges 1.° quidquid juxta prudentium hominum æstimationem non est, nec vocatur panis simpliciter et absolutè, et quidem panis triticeus, illud non esse validam materiam ad consecrandum corpus Christi; igitur validè non potest consecrari panis confectus ex castaneis, amygdalis, fabis, pisis, et aliis hujusmodi, quæ

intra cortices nascuntur; nec etiam panis hordeaceus, vel avenaceus; imò, si panis triticeus admixtus sit granis alterius generis in tantâ quantitate, ut non maneat panis triticeus, vel sit alioqui corruptus, non conficitur sacramentum.

De pane secalitio *(de seigle)*, censuit D. Thomas hunc validè consecrari posse, ratus scilicet secale ejusdem esse speciei cum tritico, quippe, juxta quosdam veteres, in segnioribus terris illud ex isto nascitur. Hæc opinio falsa est, ut potè falso nixa principio.

Prætereà panis debet esse aquâ naturali subactus, et puro igne coctus; ideò nec farina aquæ non immixta, nec cruda farinæ massa validè consecrari potest, ut potè quæ non est panis, nec cibus humanus. Item farina oleo subacta, vel butyro frixa, non est valida Eucharistiæ materia.

Colliges 2.° nullam esse consecrationem, si panis sit substantialiter corruptus, quod quidem aliquandò judicatu difficile est, et vulgò colligendum ex mutatione coloris, saporis, et ex ejus facili in cineres solutione. Si verò sit mucidus, et ad corruptionem disponatur, erit valida, sed illicita consecratio.

PROPOSITIO II.

Validè conficitur Eucharistia tum in azymo pane, tum in fermentato.

Est contra Græcos schismaticos, et præsertìm Michaelem Cærularium, Photii schismatis instauratorem.

Prob. 1.° *ex constanti usu Ecclesiæ* Latinæ in azymo, et ex antiquissimo Græcorum more in fermentato consecrandi, quem utriusque Eccle-

siæ usum approbans Concilium Florentinum, sic definit in Decreto unionis: *Definimus... in azymo sive fermentato pane triticeo, corpus Christi veraciter confici, Sacerdotesque in altero ipsum Domini corpus conficere debere, unumquemque scilicet juxta suæ Ecclesiæ, sive Occidentalis, sive Orientalis, consuetudinem.* Concil. Labb. tom. 13, col. 1167.

Prob. 2.° *Rationibus theologicis.* 1.ª Ad Eucharistiæ materiam sufficit verus panis: atqui uterque, et fermentatus, et azymus, est verus panis, habens uterque conditiones omnes ad verum et propriè dictum panem; nimirùm similiter ex tritico constat, aquâ elementari solâ coagmentatur, et igne coquitur.

2.ª In eo pane valida est certè consecratio, in quo ipse Christus primùm consecravit, Eucharistiam instituens: atqui Christus in ultimâ Cœnâ, Eucharistiam instituens, consecravit in azymo pane; ergo, etc. Quia verò *minoris* hujus propositionis probatio longiorem exigit disquisitionem, ideò speciali appendice ad calcem hujusce partis, de eâ fusiùs disseremus.

Obj. Christus legalia abrogavit: atqui azymus panis ad legalia pertinebat; ergo, etc. Et verò, solus panis usualis potest esse materia Eucharistiæ: atqui nullibi usualis est panis azymus; ergo, etc.

Resp. ad 1.um *Dist.* Abrogavit legalia quæ Messiæ adventum significabant, vel evangelicis institutis adversabantur, *conc.;* abrogavit omnia legalia, *nego:* alioquin non licet jejunare, festivitates celebrare, etc.

Resp. ad 2.um *Dist.* Materia Eucharistiæ est panis usualis, id est, quo homines tanquam pane proprio et simpliciter dicto uti possunt, *conc.;*

quo homines frequentiùs uti consueverunt, *nego*. Certè non desunt amplissimæ regiones ubi rarior est triticei panis usus; neque tamen his in regionibus alio uti licet pane quàm triticeo; ergo, etc.

COROLLARIUM.

Ergo Græcis in pane fermentato, Latinis in pane azymo, juxta Ecclesiæ suæ consuetudinem Eucharistiam conficere licitum est, imò et Jure ecclesiastico præceptum.

Constat tum ex Concilio Florentino jam citato, tum ex utriusque Ecclesiæ praxi, quæ vim legis habet.

Hinc graviter peccaret Latinus Sacerdos, si apud Latinos consecraret in fermentato pane; et Græcus similiter, si apud Græcos in azymo consecraret. Etenim nemini licet suæ Ecclesiæ ritum mutare, cùm illa mutatio legitimâ auctoritate sit prohibita : porrò sanxit Conc. Flor. in *Decreto unionis*, ut unusquisque, juxta suæ Ecclesiæ, sive Occidentalis, sive Orientalis, consuetudinem consecret. Et Benedictus XIV, Constitut. *Etsi pastoralis*; Bullar. tom. 1, N. 57, § 6, n.° 10, Florentinæ Synodi legem inculcans, « Districtius, inquit, inhibemus, etiam sub pœ-» nis perpetuæ suspensionis à divinis, ne Pres-» byteri Græci Latino more, et Latini Græco » ritu, sub quovis licentiarum, et facultatum » Missas, et alia divina Officia, Græci Latino » more, et Latini Græco ritu celebrandi, ab » Apostolicâ sede, vel ejus Legatis, ac etiam Ma-» jori Pœnitentiario pro tempore existente obten-» tarum prætextu, Missas, et alia divina Officia » celebrare, vel celebrari facere præsumant. »

Quæres 1.° an constans semper fuerit usus fermentati panis in Ecclesiâ Orientali, et azymi in Occidentali.

Resp. Consentiunt ferè omnes, vel à primis Ecclesiæ seculis, in Orientali Ecclesiâ fermentatum panem communiter adhibitum fuisse; dissentiunt verò de usu Occidentalis Ecclesiæ : alii ad ipsa Apostolorum tempora eum referunt; alii recentiorem esse judicant. Constat tamen, saltem à decimo seculo, communiter ab omnibus acceptum esse; atque etiam ab undecimo præsentem vigere praxim, quâ nec in furno, nec sub cineribus, sed intra ferri laminas, ad hunc usum fabrefactas et sculptas, coquitur panis ad consecrationem assumendus, atque in formam orbicularem, majorem quidem pro Missâ celebrandâ, minorem verò pro fidelibus communicandis, disponitur.

Quæres 2.° an liceat uti fermentato pane in Ecclesiâ Latinâ, ne populus die festo careat Missâ, vel æger Viatico, vel mutilum maneat sacrificium, v. g., si, consecratâ utrâque specie, detegatur corruptam esse speciem panis, nec alius haberi possit præter fermentatum.

Resp. 1.° illud illicitum esse in utroque priori casu, tum quia alioquin, similes ob causas, liceret Sacerdoti minimè jejuno Sacrum facere, quod tamen nemo admittit; tum quia noluit Deus, nec vult Ecclesia, servari leges positivas cum tantâ sacri ritûs immutatione.

Resp. 2.° aliter sitatuendum pro tertio casu, quia id exigit sacrificii integritas, cui, ut potè de jure divino, cedere debet præceptum ecclesiasticum. Undè eâdem de causâ, sacrificium à Sacerdote minimè jejuno perfici potest. Itaque Sacer-

dos non modò posset in eo casu, sed et deberet uti pane fermentato.

§ II.

De Vino Eucharistico.

PROPOSITIO PRIMA.

Vinum ex necessitate sacramenti est necessaria Eucharistiæ materia.

Prob. Illud est materia Eucharistiæ necessitate sacramenti necessaria, quod Christus, instituendo Eucharistiæ sacramentum, adhibuit, adhiberi præcepit, et semper in Ecclesiâ adhibitum fuit : atqui, etc. 1.° Vinum adhibuit; etenim Marc. c. 14, ỳ. 23, 24 et 25 : Jesus, *accepto calice.., ait,* discipulis scilicet : *Hic est sanguis meus.... Amen dico vobis, quia jam non bibam de hoc genimine vitis ;* ergo genimen vitis sive vinum erat in calice. Et verò, juxta phrasim Scripturæ et usum consuetum, nomine calicis simpliciter et sine addito, intelligitur vinum. 2.° Adhiberi præcepit, his verbis : *Hoc facite,* etc. 3.° Semper adhibuit Ecclesia, ut constat ex ipsius praxi constanti, quam testantur omnes liturgiæ, scripta SS. PP. et Conciliorum definitiones.

Colliges quidquid propriè et simpliciter non est nec vocatur vinum, illud non esse idoneam materiam ad sanguinem Christi consecrandum : idcircò nec aqua naturalis sola et pura validè consecrari potest, nec liquor elicitus ex pomis, vel pyris, nec etiam aqua vitæ, ut vocant, nec vinum aromaticis mixtum, nec vinum coctum. Item, ut dicitur in Rubricis Missalis, titulo *de Defectibus,* si vinum sit penitùs acetum, vel penitùs putri-

dum, vel de uvis acerbis seu non maturis expressum, vel si vino admixtum fuerit tantùm aquæ ut vinum sit corruptum, non conficitur sacramentum. Deniquè, consecrari non potest vinum in racemis et uvis adhuc contentum et nondùm ab eis elicitum. Ratio est, quia hæc omnia nec sunt, nec simpliciter dicuntur vinum. Secùs dicendum de musto, seu de succo ex uvis maturis recèns expresso, modò sit ad potandum aptus, nec per aliarum rerum immixtionem, vel per artem chymicam, aut alio modo corruptus. Peccaret tamen Sacerdos, qui ex musto sacramentum conficeret, inquit Rubrica, titulo *de Defectibus*. De vino congelato dissentiunt Theologi an validè possit consecrari. Cæterùm, si factâ consecratione, congelatio fiat, non ideò desinit esse sanguis Christi.

PROPOSITIO II.

Vino consecrando aquam admisceri necesse est, non tamen necessitate sacramenti.

Duæ sunt partes.

Prob. 1.ª *pars*, nempè *vino consecrando aquam admisceri debere.* 1.° *Ex decreto Eugenii IV* pro Armenis, qui aquam vino non miscebant : *Decernimus ut etiam ipsi Armeni se cum universo orbe christiano conforment, eorumque Sacerdotes in Calicis oblatione paululùm aquæ admisceant vino.* 2.° *Ex Conc. Trid.* Sess. 22, cap. 7 : *Monet sancta Synodus præceptum esse ab Ecclesiâ Sacerdotibus ut aquam vino in calice offerendo miscerent.*

Prob. 2.ª *pars*, nempè *non esse de necessitate sacramenti ut vino consecrando aqua admisceatur.* 1.° *Ex Rubricis* Missalis Romani; nam

si Sacerdos oblitus sit paululùm aquæ vino immiscere ante consecrationem, Rubricæ vetant ne post consecrationem immisceat, quia non est de necessitate sacramenti. 2.° Ex scriptis eorum qui redarguerunt praxim Armenorum; neque enim unus est qui asserere ausus sit calicem ab illis invalidè consecrari. 3.° *Ex Catechismo Conc. Trid.* parte 2, n. 77: *Quamvis aquæ admiscendæ ita graves rationes sint, ut eam sine* mortali peccato *prætermittere non liceat, ea tamen si desit sacramentum constare potest.*

Hujus autem mixtionis rationes sunt, prima quòd Christus ita fecisse credatur, tum ex veterum Traditione, tum ex usu apud omnes viros temperantiæ et sobrietatis amatores recepto. Secunda, quòd hâc mixtione exprimatur mysterium, quo è latere Christi, in cruce pendentis, aqua fluxit cum sanguine. Tertia, quòd cùm in Apocalypsi, c. 17, ℣. 15, populum aquæ designent, per illam mixtionem unio populi cum capite Christo repræsentetur.

Obj. contra 2.am partem. Ex S. Cypriano, Epist. ad Cæcilium, eadem est vini cum aquâ miscendi necessitas, quàm farinæ cum aquâ miscendæ: atqui posterior mixtio necessaria est necessitate sacramenti; ergo et prior.

Resp. Dist. maj. Eadem est vini cum aquâ miscendi necessitas, ut adæquatæ sint sacramenti significationes, *conc*; eadem est necessitas ut stet sacramenti essentia, *nego.* Itaque quemadmodùm ut grana multa fidelium unitatem significent, necesse est ut, mediante aquâ, unum totum efficiant: sic, ut per calicem repræsentetur unio fidelis populi cum Christo, duos in ipso misceri liquores necesse est, ita ut unum totum efficiant;

verùm non ideò par est utriusque conditio; panis enim qui ex granis pluribus aquâ minimè delibutis constaret, verus non esset panis, proindèque ad Eucharistiæ consecrationem non sufficeret. È contrà vinum sine aquæ mixtione, totam habet vini rationem, ideòque validè potest consecrari.

Quæres 1.° cujus speciei et quantitatis aquam vino misceri necesse sit.

Resp. ad 1.um aquam illam debere esse naturalem et elementarem, quia quam misceri jubent Concilia, hanc simpliciter aquam vocant: aqua autem simpliciter dicta, est elementaris.

Resp. ad 2.um Eugenium IV, in decreto ad Armenos, hæc habere: Vino *ante consecrationem modicissima aqua admisceri debet;* et Eugenio consonare Pium V, qui eos redarguit, qui non aquæ guttam, ut fieri debet, sed plus aquæ quàm vini in calicem effundebant. Juxta communiorem Theologorum sententiam, aqua quæ misceri debet, non debet excedere quintam partem; monet tamen P. *Le Brun,* quem citat *Collet,* scrupuli expertem esse debere, qui tertiam aquæ partem offerendo vino miscuerit; idque colligitur ex Concilio Triburiensi, can. 19.

Colliges irritam esse consecrationem, si eadem esset vini et aquæ quantitas; namque Eucharistia ex vino simpliciter dicto confici debet: atqui ubi est eadem aquæ et vini quantitas, jam non est vinum simpliciter dictum, sed mixtum aliquod, proprio nomine carens: sicuti ubi est compositum ex tritico et hordeo, jam non est panis simpliciter.

Quæres 2.° an aqua vino immixta convertatur in sanguinem Christi, et anteà in vinum.

Resp. triplicem fuisse eâ de re opinionem

tempore S. Thomæ : alii dicebant quòd aqua vino adjuncta per se manet, nec convertitur, vino solo in sanguinem Christi converso; alii dicebant quòd sicut vinum convertitur in sanguinem Christi, ita aqua convertitur in aquam quæ fluxit de latere ejus; alii, quibus adhæret S. Thomas, affirmârunt aquam converti in vinum, et posteà in sanguinem. Alii denique aquam per se et immediatè cum vino in sanguinem converti docent. Porrò circa hanc quæstionem hæc tenenda sunt :

1.° Licèt non sit de fide, attamen certissimum est, quocunque modo hoc fiat, in sanguinem converti : probatur, tum quia rigorosa veritas istius propositionis, *Hic est sanguis meus*, videtur exigere ut in sanguinem convertatur quidquid continetur in calice; tum quia id expressè docent SS. PP. quorum omnium instar sit S. Ambros. lib. 4 de Sacram. cap. 4 : *Vinum*, inquit, *cum aquâ mixtum, fit sanguis consecratione verbi cœlestis;* ergo juxta S. Ambros., non solum vinum, sed vinum cum aquâ transsubstantiatur.

2.° Certum videtur aquam immediatè converti in sanguinem, non autem mediante suî in vinum conversione, tum quia PP. citati velut certum docent ex vino et aquâ fieri sanguinem, aquam in sanguinem converti; tum quia non sunt multiplicanda miracula sine necessitate : atqui non repugnat aquam immediatè converti in sanguinem; ergo necesse non est ut priùs convertatur in vinum.

Quæres 3.° an et quo jure necessaria sit utriusque speciei panis et vini consecratio.

Resp. eam necessariam non esse necessitate sacramenti, sed tamen necessitate præcepti divini: duæ sunt partes.

Prob. 1.ª *pars*, tum quia ante calicis consecrationem, corpus Christi adoratur velut præsens; tum quia verba practica statim operantur ac prolata sunt, nisi aliter constituerit Deus : atqui verba consecrationis practica sunt, nec legitur Christum voluisse ut eorum effectus suspensus maneret; ergo, etc.

Prob. 2.ª *pars*, quia, ut animadvertit Conc. Trid. Sess. 22, cap. 1, Christus per hæc verba, *Hoc facite in meam commemorationem*, id ab Apostolis eorumque in sacerdotio successoribus fieri præcepit, quod ipse fecerat : atqui Christus utramque speciem consecraverat; ergo adest præceptum divinum utramque speciem consecrandi.

Nota. Illud præceptum adeò urget, ut Sacerdos qui, vini loco, aquam sumpsisset, vinum reponere, offerre, consecrare et sumere teneatur, ut præscribunt Rubricæ.

§ III.

Quomodò materia consecranda debeat esse præsens Sacerdoti, et quomodò per consecrantis intentionem debeat esse determinata.

PROPOSITIO PRIMA.

Materia consecrationis debet esse Sacerdoti moraliter præsens.

Certa est propositio; verba enim consecrationis, *Hoc est*, etc., *Hic est*, etc., designant rem moraliter præsentem.

Ad illam autem moralem præsentiam, non necesse est ut materia consecranda immediatè videatur, vel ut sonus verborum ad eam perveniat, sed hæc duntaxat requiruntur et sufficiunt : 1.° ut

materia consecranda non multùm distet à consecrante; 2.° ut ab illo quodammodò percipiatur, vel ratione suî, vel ratione vasis in quo continetur, vel ratione cumuli cui jungitur.

Hinc colliges 1.° validè et licitè consecrari posse cumulum hostiarum, quamvis inferiores nec videantur, nec tangantur; pariter si Sacerdos, ante consecrationem, omittat discooperire pyxidem, quà sunt hostiæ consecrandæ, non desinet illas in hostias validè consecrare, modò intentionem habuerit illas consecrandi : tamen, si reflectat debet pyxidem aperire, sicut præscribit Rubrica.

Colliges 2.°, juxta communem Doctorum sententiam, non consecrari hostias in Tabernaculo clausas, vel sub pede calicis delitescentes, vel à tergo positas, quia tunc non videtur adesse præsentia moralis necessaria ad servandam veritatem illorum verborum, *Hoc est corpus meum.*

PROPOSITIO II.

Materia consecrationis per consecrantis intentionem debet esse aliquo modo determinata.

Propositio certa est, et patet; non enim vera est et perfecta voluntas consecrandi, nisi versetur circa materiam determinatam : et generatìm loquendo, intentio non est practica, quandiù ad nullum objectum particulare determinatur; ergo si Sacerdos coram se centum formulas habens, intendat solummodò consecrare quinque, illas nullatenùs designando aut determinando, tunc nullas consecravit.

Adverte autem variis modis hanc materiam determinari posse, vel explicitè et particulatìm seu

in individuo, v. g., cùm dicitur, *Volo consecrare hanc hostiam, quam in manibus teneo;* vel solùm implicitè et acervatìm, v. g., cùm dicitur, *Volo consecrare hunc hostiarum cumulum.*

Verùm ad vitandos srupulos multaque incommoda, observa multùm expedire ut Sacerdos habeat intentionem consecrandi materiam super corporali, vel in pyxide, aut calice positam, quæ præsens est debito modo, et juxta præscriptum ab Ecclesiâ ritum consecrari potest. Quâ quidem intentione sic ritè directâ, licèt consecrans putet unicam in suis manibus esse hostiam, cùm sint plures; aut existimet decem formulas esse super corporali, cùm sint plures, vel pauciores; tamen omnes consecravit. Ratio est quia, licèt in æstimatione numeri decipiatur, non tamen in intentione, quæ fertur in totam materiam debito modo præsentem.

È contrà, si contingat ex hostiis appositis aliquam reperiri extra corporale, vel extra aram lapideam, aut forsan delitescere sub corporali, talis hostia non erit consecrata, eò quòd intentio Sacerdotis ad eas duntaxat directa fuerit hostias, quæ debito modo, et juxta sanctæ Ecclesiæ ritum, præsentes forent.

Ex eodem principio sequitur guttas vini quæ extra calicem aliquandò remanent, non consecrari virtute intentionis prædictæ. Quantùm autem ad guttulas quæ intra calicem è reliquo vino separatæ sunt, illas abstergere curet Sacerdos, ut totum vinum in calice positum per modum unius liquoris et unius potûs consecretur. Cùm autem dubium sit an illæ vini guttæ consecrentur, Minister non debet post consecrationem eas abstergere; eas igitur simul cum sanguine vel cum ablutionibus sumat.

Observa

Observa etiam quòd si advertat Sacerdos aliquam esse super altari hostiam, vel plures in pyxide inclusas, de quibus rationabiliter dubitet an sint consecratæ, non erunt populo distribuendæ, nec profanè tractandæ; sed vel post sumptionem sanguinis erunt sumendæ, si paucæ sint numero; vel si sint in nimiâ quantitate, asservandæ erunt, ut in aliâ Missâ consecrentur. Ita Benedictus XIV, pro casu quandoquè occurrente quo Sacrista, cui Sacerdos in sacristiâ declaravit se particulas populo distribuendas consecraturum, pyxidem hostiis refertam extra petram sacram, Sacerdote non advertente, posuerit: de sacrificio Missæ, sect. 2, n. 159.

ARTICULUS II.

De Formâ Eucharistiæ.

Observandum 1.° Forma Eucharistiæ consistit in verbis super materiam proferendis; duplex autem agnoscitur, una super panem, altera super vinum pronuntianda. Item, spectari potest vel in Christo Eucharistiam instituente, et quæritur utrùm verbis corpus et sanguinem suum fecerit ex pane et vino; vel in Sacerdote Sacrum faciente, et quæritur quibus verbis consecret.

Obs. 2.° Christum, Eucharistiam instituendo, verba quædam protulisse, nulla est difficultas; sed quorumdam veterum fuit opinio Christum alio modo quàm nos consecrasse: scilicet, juxta ipsos corpus suum consecravit sine ullis verbis, pro suæ potentis voluntatis imperio, vel ut alii volunt, externâ benedictione; ita ut ista verba, *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus*, quæ in ore Sacerdotis practica nunc sunt, in ore

Christi fuerint speculativa, sive historica tantùm. Huic opinioni, jam in scholis desertæ, adhæsit olim Innocentius III, lib. 3 de Sacrificio Missæ, cap. 6, Durandus, Mimatensis Episcopus, lib. 5 de divinis Officiis, cap. 41, cum pluribus aliis, teste Witassio. Porrò quænam sit illa forma quam ipse Christus adhibuit et à suis adhiberi voluerit, etiam inter Catholicos disputatur.

Recentiores Græci, quibus assentitur Pater *Le Brun, Explication littérale, historique et dogmatique des Cérémonies de la Messe,* ad consecrationem præter ista Christi verba, *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus,* ut necessariam requirunt precationem quâ Sacerdos orat ut panis fiat corpus, et vinum sanguis Christi : quæ quidem oratio verba Christi solemnia præcedit apud Latinos, et subsequitur apud Græcos. Sententia communis fert Eucharistiam confici his verbis Christi solis : *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus,* vel, *Hic est calix sanguinis mei,* etsi plures cum Scoto velint verba præcedentia, quibus declaratur agi de ipso Christi corpore ac sanguine, ut conditionem *sine quâ non* esse proferenda; si enim ea tollas, inquiunt, nec dixeris, *Accepit Jesus panem,* dicens, *etc.,* tunc per ista, *Hoc est corpus meum,* intelligitur corpus, non Christi, sed Sacerdotis.

PROPOSITIO.

Forma Eucharistiæ consistit in solis Christi verbis : HOC EST CORPUS MEUM, HIC EST CALIX SANGUINIS MEI, *vel* HIC EST SANGUIS MEUS.

Prob. 1.° *ex SS. PP.* S. Justinus, Apol. 2.ª : *Eam in quâ per preces Verbi.... gratiæ actæ*

sunt alimoniam, Jesu Christi carnem et sanguinem esse sumus edocti : porrò quid per illa verba intelligat Justinus, subdendo aperit : *Nam Apostoli*, inquit, *tradiderunt... Jesum..., pane accepto, cùm gratias egisset, dixisse : Hoc facite in meam commemorationem, Hoc est corpus meum.*

S. Irenæus, lib. 5 adversùs Hæreses, cap. 5 : *Quandò mixtus calix et confectus panis suscipit verbum Dei, fit Eucharistia* : at nullum aliud in confectione Eucharistiæ verbum Dei occurrit, præter ista, *Hoc est corpus meum, Hic est calix sanguinis mei*, vel, *Hic est sanguis meus.*

Tertull., lib. 4, cap. 4 contra Marcionem : *Acceptum* Jesus *panem... corpus suum illum fecit, Hoc est corpus meum dicendo.*

S. Greg. Nyss., in Oratione catechisticâ, cap. 37 : *Panis statìm per verbum in corpus mutatur, ut dictum est à Verbo (per os Sacerdotis) : Hoc est corpus meum.*

S. Gregor. Naz., Orat. 2 de Paschate : *Hoc est corpus meum, quibus prolatis à Sacerdote, qui non credit corpus Christi, sine dubio fidem derogat.*

S. Chrys., Hom. de proditione Judæ : *Sacerdos... dicit : Hoc est corpus meum; hoc verbo proposita dona consecrantur.*

Eusebius Emissenus, Serm. 5 de Paschate : *Invisibilis Sacerdos visibiles creaturas in substantiam corporis et sanguinis sui verbo suo secretâ potestate convertit, ita dicens.. Hoc est corpus meum.*

2.° *Ex ipsâ Græcorum confessione* in Concilio Florent. : *Sanctissime pater...*, inquiunt, *quia ab omnibus sanctis Doctoribus, maximè*

à S. Chrysostomo nos audivimus verba dominica, Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus, esse quæ transsubstantiant panem in corpus Christi, et vinum in sanguinem, ipsum Doctorem et eamdem ipsius sequimur sententiam.

3.° *Ex decreto Eugenii* IV ad Armenos : *Forma sacramenti Eucharistiæ, sunt verba Salvatoris quibus hoc conficit sacramentum. Sacerdos enim in personâ Christi loquens, hoc conficit sacramentum.*

4.° *Ex Liturgiis et Rubricis :* juxta Liturgiam Æthiopicam, statim atque prolata sunt verba Christi, ante invocationem ullam, exclamat populus : *Amen, amen credimus : Hoc est corpus tuum.* In rubricis verò omnium Missalium ritûs Latini, dicitur quòd si Sacerdos post consecrationem, advertat hostiam esse corruptam, positâ aliâ hostiâ, faciat oblationem et consecrationem, incipiat scilicet ab his verbis, *Qui pridiè quàm pateretur*, etc.; ergo cùm invocatio de donis in corpus Christi et sanguinem commutandis, in Missalibus nostris præcedat ista, *Qui pridiè quàm pateretur*, oportuisset, admissâ necessitate invocationis ad consecrationem, oportuisset, inquam, in casu proposito, Missam altiùs repetere; quod quia præceptum non est, sequitur hunc esse totius Ecclesiæ Latinæ sensum, sola verba Domini ad consecrationem conferre.

Notandum tamen contrariam Græcorum liturgiam, cui adhæserunt quidam ex nostris, v. g., Pater *Le Brun*, non esse hæreticam, quia nullo solemni Ecclesiæ judicio damnata est, imò procurante *Le Brun* in sacrâ Facultate Parisiensi Doctore, ab ipso Turnelio est defensa.

Obj. 1.° Christus benedicendo consecravit;

ergo et nos sic consecrare debemus, non autem per verba, *Hoc est*, etc., *Hic est*, etc.

Resp. Nego ant. ex probatis.

Inst. Si Christus benedicendo non consecravit, inutilis fuit illa benedictio; ergo, etc.

Resp. Nego ant. Illa siquidem benedictio fuit invocatio quædam divinæ virtutis super panem et vinum, ut per subsequentia mutarentur verba quæ invocatio non magis dici potest inutilis, quàm oratio Christi super Lazarum, etsi Lazarus non per orationem illam, sed per efficax illud mandatum, *Lazare, veni foràs*, vitæ redditus fuerit.

Nota quosdam, cum auctore catechismi Concilii Tridentini, sentire benedictionem panis non distingui ab ipsà prolatione verborum consecratorià, quæ dicitur benedictio, eo quòd Christus dicendo, *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis*, etc., benedixerit pani; sed illa opinio videtur falsa, ut potè minùs conformis textui Evangelistarum, qui benedictionem à prolatione verborum, *Hoc est corpus*, etc., distinguere videntur.

Obj. 2.° Marc. c. 14, ℣. 23 et 24, legitur: *Accepto calice, gratias agens, dedit eis, et biberunt ex illo omnes. Et ait illis: Hic est sanguis meus*, etc. Undè sic: Christus non consecravit per ea verba quæ non protulit nisi postquàm Apostoli sanguinem ejus biberunt: atqui ex adducto textu patet ista verba, *Hic est sanguis meus*, non fuisse à Christo prolata, nisi postquàm Apostoli sanguinem ejus jam biberant; ergo, etc.

Resp. Nego min. Hæc enim verba, *Et biberunt ex illo omnes*, per anticipationem dicta sunt; *non enim*, ut advertit Doctor Angelicus, *semper eumdem ordinem in recitando servaverunt Evangelistæ quo res sunt gestæ.* Idem docet

E 3

et fusè probat S. Augustinus, lib. 2 de consensu Evangelistarum. Et verò, conciliari debet S. Marcus cum SS. Matthæo, Lucâ et Paulo : atqui juxta tres istos, quibus tota consonat Ecclesia in canone Missæ, Christus pronuntiavit hæc verba, *Hic est sanguis meus,* priusquàm Apostoli de calice biberint; ergo ad hunc sensum flecti debent S. Marci verba, præsertìm cùm juxta ipsum Christus pronuntiaverit verba, *Hoc est corpus meum,* antequàm corpus suum Apostolis præberet; siquidem probabile non est Christum aliter corpus, aliter sanguinem consecrasse.

Obj. 3.° In Ecclesiâ Græcâ, Sacerdos post ista, *Hoc est,* etc., *Hic est,* etc., sic orat : *Emitte Spiritum tuum; et fac hunc panem pretiosum corpus Christi tui;* ergo per verba præcedentia non fit corpus Christi.

Resp. per hanc orationem Græcos non petere à Deo ut panis fiat simpliciter corpus Christi, sed ut fiat sumentibus *in purgationem animæ, in remissionem peccatorum, et non fiat in judicium et condemnationem* : hanc solutionem in Concilio Florentino Sess. ultimâ dederunt ipsi Græci. Et verò, S. Chrysostomus, qui liturgiæ nobis objectæ auctor esse traditur, disertissimè docet Eucharistiam verbis Christi consecrari, ut constat ex textu in probationibus laudato. Alia est solutio, juxta quam dicitur Græcos, etiam factâ consecratione, Deum precari ut panem faciat corpus Christi, ut sui desiderii vehementiam significent; aliquandò enim res ardenter concupita, immediatè post illius impetrationem, præ vehementi quo postulans in eam ferebatur desiderio, iterùm postulatur. Legatur appendix de Orientalis Ecclesiæ circa Eucharistiam disciplinâ,

apud *Antoine*, § 2 de Formâ, tom. 5 novæ edit. Avenion., p. 160.

Quæres quæ sint verba Christi ad consecrationem absolutè necessaria.

Resp. ista, *Hoc est corpus meum*, et, *Hic est calix sanguinis mei*, vel, *Hic est sanguis meus*, absolutè requiri et sufficere, ita ut quæ in Evangeliis et Missalibus præcedunt atque subsequuntur, etsi *graviter* præcepta, de necessitate sacramenti non sint : ita fert communis opinio. Namque sacramentorum verba operantur id quod significant : atqui verba, *Hoc est*, etc., *Hic est*, etc., vel, *Hic est calix sanguinis mei*, in personâ seu nomine Christi prolata significant præsentiam corporis et sanguinis Domini; ergo illam operantur. Et verò, si voces quæ præcedunt aut subsequuntur forent necessariæ ad consecrationem, in omnibus uniformiter legerentur Missalibus, tam Græcis quàm Latinis : porrò istud falsum est; ergo, etc.

Nota 1.° formulam consecrationis sufficienter determinari ad significandum corpus Domini per intentionem Ministri in personâ Christi loquentis, independenter ab iis quæ præcedunt vel subsequuntur. Tamen sententia Scoti superiùs exposita, omni probabilitate non caret; undè illa omitti non debent.

Nota 2.° formulam consecrationis sic immutatam, *Hoc est corpus Christi*, non valere, quia sensus immutatur substantialiter, cùm Sacerdos sic pronuntians, non exprimat se in personâ Christi loqui.

Nota 3.° formam consecrationis verificari, suumque sortiri effectum in fine prolationis verborum quibus constat.

De variis difficultatibus quæ circa materiam et formam hujus Sacramenti occurrere possunt, vide Rubricas, *de Defectibus,* et Opus D. *Collet,* nunquàm satis junioribus Sacerdotibus perlegendum, cui titulus : *Traité des Saints Mystères,* ult. edit.

CAPUT III.

De Ministro Eucharistiæ.

Minister Eucharistiæ duplex est, unus consecrans seu eam conficiens, alter dispensans : de utroque seorsim agendum.

ARTICULUS PRIMUS.

De Ministro consecrationis Eucharistiæ.

Præter veteres Hæreticos, hâc in parte errârunt Waldenses, qui docuêre Sacerdotem mortalis peccati reum minimè consecrare; benè verò probos quoslibet, etiam laicos. Eamdem potestatem laicis omnibus jure Baptismatis competere, variis in locis asseruit Lutherus, quamvis eam exercere non possint nisi urgeat necessitas, et ad hoc fuerint deputati.

PROPOSITIO.

Solus Sacerdos potest Eucharistiam conficere.

Prob. 1.° *ex Script.* Luc. c. 22, ℣. 19 : *Accepto* (Jesus) *pane, gratias egit et fregit, et dedit eis, dicens : Hoc est corpus meum... Hoc facite in meam commemorationem.* Undè sic : Potestas consecrandi iis tantùm confertur, ad quos hæc verba diriguntur : atqui ad solos Apos-

tolos et eorum in sacerdotio successores diriguntur; ergo, etc.

Prob. 2.° *ex Traditione.* 1. *Ex SS. PP.* S. Epiphanius, Epist. ad Joannem Jerosolymitanum, excusat se quòd Presbyterum in aliâ diœcesi ordinaverit, ne, inquit, multitudo fratrum sacris privaretur mysteriis, *cùm non haberent qui sibi divina sacramenta conficerent :* atqui excusatio illa manifestè supponit nullum, præter Sacerdotem, etiam in casu necessitatis, posse conficere sacramentum Eucharistiæ. S. Hieronymus, Dialogo contra Luciferianos, de Hilario quodam Diacono sic pronuntiat : *Neque Eucharistiam conficere potest;* ergo soli Presbyteri eam conficiunt. 2. *Ex Conciliis.* Sic enim disertè definit Concilium Lateranense IV : *Hoc Eucharistiæ Sacramentum nemo potest conficere, nisi solus Sacerdos qui ritè fuerit ordinatus.* Idem est sensus Concilii Florentini, in Decreto ad Armenos, et Tridentini, cap. 1, et can. 2.

Prob. 3.° *ex praxi Ecclesiæ.* Constat enim indubitatis historiæ monumentis, Eucharistiam olim missam fuisse ad absentes; peregrinos et Anachoretas eam à Sacerdotibus acceptam secum detulisse, atque Presbyteros cum magno vitæ periculo in carceribus Martyrum celebrasse : porrò nulla horum ratio fingi potest, si quilibet, absente Sacerdote, potest Eucharistiam conficere; ergo, etc.

Obj. 1.° Verba, *Hoc facite,* pertinent ad omnes baptizatos; ergo, etc.

Resp. Dist. ant. Prout significant obligationem communicandi, ad omnes pertinent baptizatos, *conc.;* prout sonant potestatem consecrandi, *nego.*

Itaque Christus dicendo, *Hoc facite*, tria præcepit, confectionem nimirùm, administrationem, et sumptionem Eucharistiæ : sed duo priora ad Sacerdotes spectant, posterius ad simplices etiam fideles; istudque innotescit non quidem ex Scripturâ, sed ex Traditione.

Inst. I Petri Epist. c. 2, omnibus fidelibus dicitur : *Vos genus electum, regale sacerdotium ;* ergo, etc.

Resp. Dist. ant. Sacerdotium spirituale, *conc.;* propriè dictum et reale, *nego.* Solutio patet ex verbis antecedentibus : *Sacerdotium sanctum, offerre spirituales hostias,* id est, hostias laudis et bonorum operum.

Obj. 2.° De Diaconis dicit Concilium Arelatense I, can. 15 : *Quos cognovimus multis in locis offerre* sacrificia, *placuit minimè fieri debere ;* et can. 18. *De Diaconis autem urbis Romæ, non sibi tantum præsumant, sed honorem Presbyteris reservent, ut sine ipsorum consensu nihil tale faciant ;* ergo saltem quidam Diaconi de consensu Presbyteri, Eucharistiam conficere possunt.

Resp. Nego consequent. Verbum, *offerre,* apud Concilium Arelatense, non sumitur pro sacrificare, sed pro distribuere, ita ut Patres Concilii prohibeant urbicis Diaconis ne distribuant Eucharistiam citra Episcopi vel Presbyteri licentiam.

Obj. 3.° S. Laurentius, apud S. Ambrosium, lib. de Officiis, cap. 4, dicit commissam sibi fuisse dominici sanguinis consecrationem; ergo, etc.

Resp. Nego consequent. Consecrationis nomen non ibi sumitur pro confectione, sed pro distributione sanguinis dominici, simul et pro actione

ministeriali quam exercet Diaconus erga Presbyterum consecrantem.

Obj. 4.° Tertull. lib. de Castitate, cap. 7 : *Vani erimus si putaverimus quod Sacerdotibus non liceat, laicis licere* (nempè bigamiam); *nonne laici Sacerdotes sumus? Ubi ecclesiastici ordinis non est consessus, et offers et tingis, et Sacerdos es tibi solus*; ergo, etc.

Resp. 1.° Tertullianum hæc scribentem *Ecclesiæ hominem non fuisse*, ac proindè nullam mereri fidem, quia tunc in hæresi Montanistarum versabatur.

Resp. 2.° Ibi Tertullianus Sacerdotis nomen accipit sensu metaphorico et spirituali, ut satis patet ex probatione quam affert : *Laici*, inquit, *Sacerdotes sumus; scriptum est enim : Regnum et Sacerdotes nos Deo et Patri suo fecit* (Christus). Textus autem ille sumptus ex cap. 1 Apocalypsis, de sacerdotio spirituali et metaphorico intelligitur. Tertulliani tempore, quandò aberat Sacerdos, in unum conveniebant fideles laici, preces fundebant supra panem qui loco Eucharistiæ distribueretur : porrò ex eo quòd per illam oblationem paululùm assimilarentur Presbyteris, ideò Tertullianus contendebat illis sicut istis prohibitam esse bigamiam.

Quæres an plures Ministri validè possint eamdem hostiam consecrare.

Resp. affirmativè, modò formam consecrationis supra panem singulis præsentem, debitâ cum intentione, simul et eodem instanti absolvant. Ratio est quòd hostia, post formæ prolationem à pluribus factam, indubiè sit consecrata : sed non potior est ratio cur ipsius consecratio uni magis quàm alteri tribuatur; ergo tribuenda est omni-

bus. Sunt qui hanc responsionem confirmant exemplo recentium ordinatorum, qui, unà cum Episcopo, verba consecrationis proferunt : sed exemplum istud non satis efficax videtur; disputant enim Theologi utrùm illi verè cum Episcopo consecrent. De hàc ultimâ quæstione, quæ non parùm vexat Doctores, legi possunt *Suarez*, Disput. 61, sect. 4; *Vasquez*, Disput. 219, cap. 2, 3 et 4; et Benedict. XIV, de Sacrificio Missæ, sect. 2, n. 137 et seqq.

ARTICULUS II.

De Ministro dispensationis Eucharistiæ.

PROPOSITIO.

Soli Sacerdotes sunt, jure divino, *ministri* ordinarii *Eucharistiæ dispensandæ; Diaconi autem, licèt ex institutione suâ, ac proindè* jure divino *sint Eucharistiæ dispensandæ ministri, illud tamen non possunt nisi ex speciali commissione Episcopi, aut Sacerdotis, vel in casu necessitatis; undè ministri sunt* extraordinarii.

Duæ sunt partes propositionis.

Prob. 1.ª *pars*, quòd nempè *Sacerdotes ministri sint ordinarii.* Quibus enim concessa est Eucharistiæ conficiendæ potestas, iis eodem jure concessa est illius administrandæ facultas; consecratio enim ad distributionem ut ad finem ordinatur : atqui Apostolis, eorumque in Sacerdotio successoribus, concessa est Eucharistiæ consecrandæ potestas, ex jam probatis; ergo, etc.

Quòd autem soli Sacerdotes ministri sint ordinarii, *prob.* 1.° quia eos solos in personâ Apos-

tolorum alloquebatur Christus, his verbis : *Hoc facite in meam commemorationem*, quæ verba et consecrationem, et Eucharistiæ consecratæ distributionem complectuntur. 2.° Quia ex Conc. Trid. Sess. 13, cap. 8, *In sacramentali sumptione, semper in Ecclesiâ Dei mos fuit, ut laici à Sacerdotibus communionem acciperent... Qui mos, tanquam ex Traditione apostolicâ descendens, jure ac meritò retineri debet.*

Prob. 2.ª *pars*, quòd nempè *Diaconi, ex institutione suâ, Eucharistiæ distribuendæ sint ministri.* Hoc patet ex eo quòd illud munus ab initio Ecclesiæ Diaconis commissum sit, ut constat ex S. Justino, in Apol. 2.â, ubi sic loquitur : *Qui apud nos vocantur Diaconi, distribuunt unicuique præsentium, ut participent eum, in quo gratiæ sunt actæ, panem et ad absentes perferunt.* Constat etiam ex Concilio Nicæno can. 14, ex S. Cypriano, de Lapsis, etc.

Quòd autem Diaconi sint extraordinarii tantùm ministri, *prob.*, tum ex Conc. Arelat. secundo, can. 15 : *In secretario, Diacono inter Presbyteros sedere non liceat, vel corpus Christi præsente Presbytero, tradere non præsumat;* tum ex Conc. Carthag. IV, cap. 38 : *Diaconus, præsente Presbytero, Eucharistiam corporis Christi populo, si necessitas cogat, jussus eroget.* Undè sic : Qui non passìm, ut quilibet Sacerdos, sed tantùm, vel absente Sacerdote, vel eo præsente, sed jussus, ob necessitatem, sacram Eucharistiam dispensare potest; is, etsi institutione suâ ad Eucharistiæ dispensationem deputari possit, non est tamen nisi extraordinarius illius dispensationis minister : atqui Diaconus, etsi institutione suà, etc.; ergo, etc.

Itaque posset, ac proindè teneretur Diaconus, absente Presbytero, viaticum deferre ad periculosè ægrotantem. Verùm, excepto isto casu, juxta hodiernam Ecclesiæ disciplinam, Diaconus non potest Eucharistiam administrare, absque Episcopi licentiâ. Quantùm ad Clericos Diaconis inferiores, quamvis ii olìm, quibusdam in casibus extraordinariis, ad alios Eucharistiam deportaverint, iisdem tamen, etiam Subdiaconis, nunc nunquàm licet sacram Eucharistiam dispensare. Utrùm autem, ipso sævientis pestis tempore, expediret illud ministerium Subdiaconis, defectu aliorum superiorum ministrorum, extraordinariè ab Episcopo committi, non consentiunt Theologi.

Quæres 1.° an ad Eucharistiæ dispensationem, requiratur jurisdictio, et quibus competat.

Resp. ad 1.um *affirmativè.* Nempè, cùm Pastorum sit oves suas pascere, ac proindè sacramenta ministrare, sine ipsorum licentiâ, alii Sacerdotes Eucharistiam non possunt ministrare: undè, juxta communem sensum Theologorum, peccaret mortaliter qui, sine Pastoris licentiâ, saltem præsumptâ, Eucharistiam ministraret.

Resp. ad 2.um jurisdictionem competere, 1.° Sacerdoti omni qui ad Sacrum faciendum in aliquâ Ecclesiâ admittitur, nisi Ecclesiæ Rector expressè contradicat. 2.° Cùm ex privilegio in quibusdam Oratoriis servatur Eucharistia, ibidem distribui potest, etiam extra Missæ sacrificium; ad hoc enim præcipuè conservatur ut possit fidelibus distribui; idemque licet in sacellis privatis, si ibi pariter conservetur Eucharistia, nisi obstet Episcopi prohibitio, quâ de re certior fieri debet Sacerdos celebrans. 3.° Regularis qui, sine debitâ jurisdictione, Viaticum ministraret seculari, ex-

communicationem incurreret summo Pontifici reservatam, ex Clementinâ *Religiosi, de Privilegiis.* 4.° Infantes, juxta disciplinam quæ satis ubique viget, nullibi primâ vice ad sacram mensam admittendi sunt sine proprii Parochi consensu. 5.° Soli Parochi vel ejus delegatus ægrotis suæ parochiæ Eucharistiam ministrare possunt. Vide Ritual. Tolos. pag. 87.

Quæres 2.° quo tempore possit et debeat dispensari Eucharistia.

Resp. 1.° Excepto Viatico, dispensari non potest tempore interdicti localis, neque die Parasceves, quia sic obtinuit usus, et exstat decretum sacræ Congregationis, datum die 19 februarii, anno 1622. Quâvis autem aliâ die, quâvis diei horâ, saltem ante meridiem, licitè dispensatur Eucharistia, quia nulla alia dies jure vel consuetudine excipitur, nullum diei tempus legitur determinatum. Dixi, *saltem ante meridiem*, quandiù scilicet Missæ celebrantur, quia sic obtinuit communis Ecclesiæ praxis: excipe infirmos. Non videtur tamen damnandus, qui, ex rationabili causâ, Eucharistiam dispensaret uni vel alteri secretò post meridiem.

Resp. 2.° Dispensandam esse Eucharistiam, in Missâ, post communionem celebrantis, ante purificationem, suadet Trid. Synod. Sess. 6. Posse post Missam ministrari, tradunt Conc. Mediol V, decreta sacræ Congregationis, sub Urbano VIII. Imò id expedire, quandò magnus est communicantium numerus, docet sapientissimus Pontifex Benedictus XIV, in lib. de Sacrificio Missæ, sect. 2, n. 162, quia adstantes non communicantes, possunt tædio affici, et causâ negotiorum urgeri.

Resp. 3.° Tenetur Pastor Eucharistiam suis

dispensare, non solùm in Paschate, sed etiam quoties rationabiliter petunt, seclusis tamen legitimis impedimentis, quia Pastores temporalia recipiunt à fidelibus, non solùm ut spiritualia necessaria, sed etiam utilia dispensent; alioquin non satis provisum esset illorum saluti. Utrùm verò ad id teneatur Pastor tempore pestis, cum gravi vitæ suæ periculo, disputant Theologi. At vel qui peste infecti sunt, confessione indigent, vel non : in priori casu, certum videtur Pastorem posse, imò teneri ipsis ministrare Eucharistiam, quia tenetur eorum confessiones audire, nec per dispensationem Eucharistiæ novum aliquod notabile periculum incurrit, præsertim cùm Eucharistiam possit ipsis ope alicujus instrumenti ministrare, modò absit periculum profanationis; in posteriori casu, non tam videtur certum, tum quia ex unâ parte instat magnum periculum vitæ pro Sacerdote, et ex alterâ levis necessitas in ægrotis; tum quia ex morte Pastoris gravis sequi posset jactura in populo, eò quòd alter nec citò nec facilè haberetur. Vide Benedict. XIV, de Synodo Diœces. lib. 13, cap. 19, n. 8.

Cæterùm, prætermittendum non est, ad licitam Eucharistiæ dispensationem, requiri 1.° statum gratiæ sanctificantis, juxta illud Isaiæ : *Mundamini, qui fertis vasa Domini :* undè peccaret mortaliter, qui peccati mortalis conscius, Eucharistiam ministraret. 2.° Ut in eâ ministrandâ serventur ritus à lege suæ Diœcesis præscripti, quos proindè ediscere necesse est : de iis lege Rituale, p. 93 et seqq.

Quæres 3.° utrùm, si desint minores formulæ, Sacerdos possit partem majoris in quâ consecravit, detrahere, ut det communionem petenti.

Resp. Id expressè prohibet Rituale Tolos. p. 72, nisi in casu quo infirmus Viatico carere deberet.

CAPUT IV.

De Subjecto Eucharistiæ.

Tres erunt articuli : expendemus in 1.° quibus dari debeat Eucharistia; in 2.° quænam requirantur dispositiones præcisè ad Eucharistiæ perceptionem; 3.° quænam verò ad frequentem communionem.

ARTICULUS PRIMUS.

Quibus dari debeat Eucharistia.

Certum est apud omnes Eucharistiam solis baptizatis exhibendam esse; sed inquiritur utrùm omnibus baptizatis dari possit et debeat, nempè infantibus, amentibus, surdis-mutis, energumenis, peccatoribus. De quibus per singula agemus.

Quæres itaque 1.° an Eucharistia infantibus ministrari possit.

Resp. Eucharistiam diù datam esse infantibus, ac proindè absolutè dari posse; ne autem hodiè detur, obstat præsens Ecclesiæ disciplina. An autem pueris, completo septennio, et jam usum rationis habentibus, dari possit aut debeat Viaticum, dari debere docent multi Theologi, quia Viatici receptio juris est divini, ac proindè eâ lege tenentur quotquot rationis usum habent. Huic opinioni, positâ piâ subjecti dispositione, adhærendum est, nisi contrarium statuat lex diœcesana; consonat Rituale Tolos. pag. 87.

Quæres 2.° quid dicendum de amentibus.

Resp. 1.° perpetuò amentium, qui nusquàm habuerunt rationis usum, eamdem esse conditionem ac infantium, undè absolutè concedi posset: attamen, secundùm præsentem Ecclesiæ disciplinam, etiam in articulo mortis denegatur. 2.° Amentibus qui lucida habent intervalla, tribui potest Eucharistia, etiam extra mortis articulum, modò ritè sint dispositi, et absit irreverentiæ periculum : ita Rituale Tolos. pag. 80. 3.° Iis qui ex rationis usu in perpetuam amentiam vel phrenesim inciderunt, Eucharistia in articulo mortis tribui potest et debet, nisi obstet lex diœcesana, modò laudabilem vitam duxerint, vel signa pœnitentiæ dederint, nullumque subsit irreverentiæ periculum : ita decernitur in Conciliis Carthag. IV, can. 7; Arausicano I, can. 3, et Catechismo Romano, n. 49.

Dixi, *nisi obstet lex diœcesana;* etenim si plerique libri rituales hanc Eucharistiæ administrationem præcipiant, prohibent alii, nec pauci; igitur unusquisque suæ diœcesis legem servare debet. Ubi autem moris est ut ejusmodi personis detur communio, opere pretium est ut Sacerdos formulam non consecratam priùs immittat in os phrenetici, hoc modo exploraturus an aliquid immineat irreverentiæ.

4.° Quoad semi-fatuos, id est, qui debilem habent rationis usum, tribui debet in Paschate et in articulo mortis, si sciant distinguere cibum hunc à profano; verùm non expedit ut frequentiùs ad sacram mensam admittantur, nisi specialem erga sacramentum altaris præ se ferant reverentiam.

Quæres 3.° an tribui debeat Eucharistia energumenis, an mutis-surdis à nativitate.

Resp. ad 1.um consulendum esse Episcopum, si commodè fieri possit; sin autem, expendendum an energumenus suâ culpâ possideri meruerit, an non : in primo casu, non ante ad sacram communionem admittendus est, quàm congruæ pœnitentiæ signa exhibuerit; in secundo casu, vel lucidis fruitur intervallis, et tunc sacrâ Eucharistiâ privari non debet : ita S. Thomas et alii passim Theologi; vel semper subjacet impetui dæmonis, ita ut immineat irreverentiæ periculum, et tunc tribui non debet Eucharistia.

Resp. ad 2.um Mutis-surdis à nativitate tribui potest Eucharistia (sed priùs consulto Episcopo, Ritual. Tol. p. 80), non in articulo mortis tantùm, sed in tempore paschali, si in iis sit aliqua hujus sacramenti cognitio, et ad minùs intelligant id quod recepturi sunt non esse profanum panem, sed aliquid ad animæ suæ salutem institutum, et aliundè peccata sua nutibus exprimant. Aliter dicendum de mutis-surdis simul et cæcis à nativitate, quia nullatenùs intelligere possunt naturam cibi Eucharistiæ.

Quæres 4.° an tribui debeat Eucharistia peccatoribus, sive occultis, sive publicis, an reis ultimo supplicio damnatis.

Resp. ad 1um Huic quæstioni jam responsum fuit in *Tractatu de Sacramentis in genere;* hìc unum duntaxat addere sufficiat, quòd peccator publicus, cui deneganda est communio, dicitur non is præcisè cujus peccatum est aut fuit publicum, sed alio duplici sensu : 1.° is cujus status peccaminosus est publicus, id est, de quo moraliter notorium est quòd sit in statu peccati, putà quia pergit in crimine, vel nulla apparet aut præsumitur pœnitentia. 2.° Dicitur peccator

publicus in ordine ad privationem communionis, is qui, licèt legitimè confessus et justificatus, nondùm tamen sic vitam emendavit, ut scandalum publicum ex enormitate et infamiâ secutum reparaverit : hi sunt qui referuntur in Ritualibus, excommunicati, interdicti manifesti, infames ut meretrices, concubinarii, fœneratores, magi, sacrilegi, blasphemi, et alii ejus generis peccatores. Propter alia igitur peccata communia, etsi publica, non est deneganda communio, saltem inconsulto Episcopo, quia per confessionem, imò et ipsam communionem reparatur scandalum ex his peccatis communibus natum; atque hæc est praxis communis.

Ad 2.um variam esse eâ de re variis in locis consuetudinem : in Italiâ et Germaniâ, usu receptum est ut iis tribuatur Eucharistia; alia jàm pridem invaluit consuetudo in Galliis, cui parendum est.

ARTICULUS II.

Quænam requirantur dispositiones ad perceptionem Eucharistiæ.

Dispositiones aliæ sunt ex parte corporis, aliæ ex parte animæ, undè duplex paragraphus.

§ I.

Quænam requirantur dispositiones ex parte corporis.

Tres sunt dispositiones ex parte corporis requisitæ ad Eucharistiæ perceptionem : 1.a est jejunium naturale, 2.a corporis mundities, 3.a debita corporis compositio.

1.a Dispositio est jejunium naturale, à primis

Ecclesiæ seculis observatum, ita ut sumptio cujuscumque rei, quantumvis in minimâ quantitate, per modum cibi aut potùs aut medicinæ, post mediam noctem, arceat sub peccato mortali à communione, nisi in certis casibus exceptis. *Liquidò apparet*, inquit S. Aug. Epist. 54 aliàs 118, cap. 6, *quandò primum acceperunt discipuli corpus et sanguinem Domini, non eos accepisse jejunos. Nunquid tamen proptereà calumniandum est universæ Ecclesiæ, quòd à jejunis semper accipitur? Ex hoc.... placuit Spiritui Sancto, ut, in honorem tanti sacramenti, in os Christiani priùs dominicum corpus intraret, quàm cæteri cibi. Nam ideò per universum orbem mos iste servatur.*

Dixi 1.° *jejunium naturale*, quod consistit in abstinentiâ ab eo omni quòd sumitur per modum cibi aut potùs, modò tamen sit per stomachum alterabile et digestibile; alioquin posset dici jejunium physicum, sed non naturale.

Dixi 2.°, *post mediam noctem*, quia in Ecclesiâ Romanâ initium diei naturalis sumitur à mediâ nocte, sicque hoc jejunium à mediâ nocte est æstimandum, et ita communi usu æstimatur. Undè qui dubitat an aliquid sumpserit post mediam noctem, debet, tutius sequendo, abstinere à communione; si dubium oriatur à diversis horologiis diverso tempore sonantibus, tunc licet illud sequi quod communiter habetur ut certa regula; si neutrum alteri prævaleat, à communione abstinendum: probabilius est autem ad primum ictum campanæ, horam duodecimam elapsam esse.

Dixi 3.°, *in quantumvìs minimâ quantitate*, quia jejunium naturale consistit in indivisibili; non enim magis est jejunus naturaliter, qui

parùm, quàm qui multùm manducavit : undè non admittit levitatem materiæ.

Dixi 4.°, *per modum cibi aut potûs ;* ad quod requiritur ut ab extrinseco intromittatur per os in stomachum, sitque ab eo alterabile aut digestibile, etiamsi fortè non nutriat. Sic in communi hominum sensu, intelligitur aliquod sumi per modum cibi aut potûs, non verò quod sumitur per modum respirationis aut salivæ.

Hinc 1.° humor ex capite vel ex gencivis sponte fluens, reliquiæ vini et aquæ quibus os abluitur, vel particulæ cibi ex præteritâ cœnâ dentibus inhærentes, fumus, pulvis, culex, floccus nivis aut guttæ pluviæ quæ indeliberatè et per modum respirationis aut salivæ deglutiuntur, non solvunt jejunium. Idem dicendum de tabaco per nares attracto, vel masticato, vel in fumum dissoluto; ista enim, si fortè præter intentionem et in parvâ quantitate stomachum subeant, se habent per modum salivæ aut pituitæ. Hinc 2.° si quid gustes vel sumas in ore, sed nihil deglutias, jejunus eris. Hinc 3.° aurum, argentum, stannum, etc., non frangunt jejunium naturale; secùs dicendum de chartâ, terrâ, carbonibus, etc.; hæc enim sunt digestibilia.

Dixi 5.°, *nisi in certis casibus exceptis :* 1.us est necessitas perficiendi sacrificium; integritas enim sacrificii est de jure divino : undè si Sacerdos hostiam corruptam sumpserit, vel loco vini consecrandi, aquam hauserit, tunc debet aut panem solum, aut vinum cum aquâ solum, aut panem et vinum cum aquâ offerre, consecrare et sumere, prout, juxta casus diversos, notat Rubrica : de quo vide Benedictum XIV, de Sacrif. Missæ, sect. 2, n.° 120 et seqq. Item, si alter

Sacerdos post consecrationem moriatur, vel graviter infirmetur, Missa expleatur à Sacerdote non jejuno, si non adsit jejunus. 2.us Necessitas vitandi irreverentiam, v. g. si periculum sit ne hostia sacra in cujuspiam impii potestatem deveniat, ne comburatur; tunc enim et à laico contingi, et ab eo non jejuno, si desit Sacerdos, aut qui jejunus sit laicus, sumi potest. Ratio est quia jejunii lex nonnisi in reverentiam Eucharistiæ constituta est, ac proindè non obligat quandò ipsa Eucharistiæ debita reverentia id postulat. 3.us Si Sacerdos post ultimam ablutionem adhuc existens in altari, reperiat, vel in corporali, vel in patenâ, particulas à se eâdem Missâ consecratas, debet eas sumere, quia pertinent ad complementum sacrificii, quod jejunus inchoavit; secùs, si ab alio, vel à se ipso in aliâ Missâ essent consecratæ, quia tunc non pertinent ad idem sacrificium. Similiter, si jam recessisset ab altari, et vestimenta exuisset, quia tunc jam est completa actio Sacrificii. Suppono in his ultimis casibus, non esse periculum irreverentiæ, si serventur; alioquin Sacerdos debet sumere. Similiter, si palato, vel calici adhæreat particula hostiæ, potest aquam vel vinum sumere ut eam deglutiat, quod etiam licitum est infirmis: in his enim casibus violatio jejunii non censetur moraliter præcedere communionem. 4.us Casus est infirmitas ad mortem, per quam intelligitur periculum mortis, sive naturalis, sive violentæ. Si periculum non instaret, deberet differri communio in diem sequentem, ut infirmus jejunus Viaticum sumeret. Hinc Pastor non esset à peccato immunis, si, cùm manè ad infirmum adhuc jejunum Viaticum deferre commodè posset, differret ad vesperum, cùm

ille jam non esset jejunus; attamen hoc ipso quo morbus est periculosus, non est scrupulosè differenda communio, nec cogendus Pastor ut post mediam noctem afferat Viaticum.

Sed quid juris si infirmus pluries Eucharistiam petat?

1.° Certum est Eucharistiam infirmo sæpiùs deferendam esse, etiam citra periculum mortis, si petierit, et jejunus recipere possit. 2.° Certum est eum, si jam satis convaluerit à gravi morbo, nonnisi jejunum Eucharistià refici posse, quia tunc nulla adest necessitas à lege jejunii excusans. 3.° Certum est ei qui postquàm aliquantulùm convaluit, in simile periculum relabitur, licitum esse communicare, non servatâ lege jejunii, quoties hæc statuum varietas contigerit, quia novus redit necessitatis articulus. Itaque quæstio est an ei qui jam Viaticum recepit, eodem durante morbo, liceat pluries, etsi non jejuno, Eucharistiam recipere. Affirmativè respondent communiter Theologi; attamen requirunt ab unâ Viatici receptione ad alteram, octo vel decem dierum spatium (in hàc Diœcesi Tolosanâ, decem dies requiruntur. Ritual. pag. 87): undè qui frequentiùs Eucharistiam recipere vellet, jejunii legem servare teneretur.

2.ª Dispositio est corporis munditics. Porrò sequentes statuimus regulas: 1.° lepra, sanguinis fluxus, et alia id genus, quæ sine patientis culpâ eveniunt, non obstant communioni, quia non obstant devotioni. 2.° Nocturna illusio, prorsùs inculpabilis, tum in se, tum in causâ, et nullam relinquens animi perturbationem, per se non est impedimentum communioni. 3.° Idem dic de actu conjugali; attamen optandum est ut qui ad sacram

sacram mensam accedere volunt, aliquot anteà diebus abstineant, quia id maximè congruum est. Ita S. Hieron. Ep. 50; S. Aug. Serm. in Dominicâ 2.ª Adventûs, etc.

3.ª Dispositio est debita corporis ad modestiam et pietatem compositio : undè mulieribus quæ indecenter vestitæ accederent, deneganda est communio.

§ II.

Quænam dispositiones requirantur ex parte animæ.

Cùm Eucharistia sit sacramentum vivorum, supponit in recipiente statum gratiæ prudenter existimatum : undè qui cum conscientiâ peccati mortalis illud recipit, grave sacrilegium committit : *Qui manducat.... indignè...*, inquit Apostolus, I Cor. c. 11, ℣. 29, *judicium*, id est condemnationem, *sibi manducat..., non dijudicans corpus Domini...*; et ℣. 29, fit *reus... corporis et sanguinis Domini,* quasi denuò eum crucifigeret.

Quarè communicare volenti revocandum est in memoriam ejus præceptum : « Probet autem seipsum homo. » Ecclesiastica autem consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse ut nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumvìs sibi contritus videatur, absque præmissâ sacramentali confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat : quod à Christianis omnibus, etiam ab iis Sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, hæc sancta Synodus perpetuò servandum esse decrevit, modò non desit illis copia Confessoris. Quòd si, necessitate urgente, Sacerdos absque prævià confes-

sione celebraverit, quamprimùm confiteatur; ità Concilium Trid. Sess. 13, cap. 7. Fundatur hæc obligatio in illo Apostoli textu I Cor. c. 11, ℣. 28: *Probet autem se ipsum homo: et sic de pane illo edat, et de calice bibat:* hanc autem probationem[1], consuetudo ecclesiastica, inquit ibidem Concilium Trid., semper intellexit sacramentalem confessionem.

Verùm disputant Theologi an qui peccatum aliquod mortale, absque suâ culpâ oblitus est in confessione, cujusque absolutionem indirectè recepit, illud ante communionem aperire teneatur. Affirmant multò plures, negant verò non pauci, quibus assentimur. Ratio enim propter quam confessio sacramentalis homini graviter reo ante communionem præcipitur, hæc est, ut scilicet assumendo medium facilius, ipsi suus in gratiam reditus ad dignam communionem necessarius certior fiat: atqui reus de quo in casu, independenter à confessione peccati inculpabiliter obliti, assumpsit reverà medium facilius quo suus in gratiam reditus ipsi certior efficitur, cùm beneficium absolutionis obtinuerit. Hanc opinionem in praxi tutò sequuntur, 1.° scrupulosi, 2.° ii quibus Confessarium adire satis difficile foret. Cæteri verò qui Confessarium adhuc paratum habent, oblitum aperiant peccatum.

Colliges ex verbis Concilii Trid. licitum esse communicare cum solâ contritione, absque præmissâ confessione sacramentali, quandò hæc duo simul occurrunt, defectus Confessarii, et necessitas communicandi; at difficultas est quandonàm censeatur deesse copia Confessarii, et adesse necessitas communicandi.

Quantùm ad copiam Confessarii, censetur deesse,

1.° quandò non adest præsens Confessarius, et ita distat, ut non possit adiri sine gravi incommodo. 2.° Si adest Confessarius, sed vel non est approbatus; vel approbatus, sed non vult audire; vel vult quidem audire, sed ex confessione alicujus peccati faciendâ imminet grave damnum, putà fractio sigilli, graves inimicitiæ, et quidquid excusat ab integritate materiali confessionis: quo in casu communicaturus, si solum hoc peccatum mortale habeat, non tenetur confiteri; si alia mortalia habeat, hæc confiteri debet, omisso illo ex quo timet damnum, illud alteri posteà confessurus.

Quantùm ad necessitatem celebrandi et communicandi, 1.° censetur adesse necessitas celebrandi, si alioquin vel ipse Sacerdos, vel alter esset moriturus sine Viatico. 2.° Quandò Parochus debet die festo celebrare, nec potest habere alium qui ejus vices suppleat; idem dic de vices ejus gerente. 3.° Est necessitas, quandò celebratio vel communio omitti sine scandalo aut gravi notà non potest, v. g., si Sacerdos altare ascenderit, et ibi recordetur peccati mortalis non confessi; aut si debeat hodiè celebrare pro defuncto præsenti, etc. : in priori tamen casu, notat Rubrica quòd si non timeatur scandalum, debet Sacerdos, ante consecrationem, Missam inceptam deserere.

Dixi, ex Conc. Trid., *Quod si Sacerdos conscius peccati mortalis, urgente necessitate, absque præviâ confessione, ob defectum Confessarii, celebret, teneatur quamprimùm confiteri;* circa quæ Concilii verba, plura sunt observanda.

Observ. 1.° his verbis non contineri merum consilium, ut patet ex hâc propositione damnatâ

ab Alexandro VII : *Mandatum Tridentini, factum Sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali, confitendi quamprimùm, est consilium non præceptum.*

Observ. 2.° istud, *quamprimùm,* non intelligi, *quandò suo tempore confitebitur,* ut patet ex condemnatione hujus propositionis ab Alexandro VII : *Illa particula,* quamprimùm, *intelligitur, cùm Sacerdos suo tempore confitebitur,* neque etiam intelligi debet strictè ac physicè, quasi immediatè post Missam teneatur confiteri; nulla enim actio moralis sic præcipitur, nisi fortè id in præcepto exprimatur; sed intelligi debet moraliter, id est, post unum vel alterum diem, seu potiùs primâ datâ opportunitate. Quod ait Sylvius, hanc decisionem extendendam non esse ad laicum qui, urgente necessitate, ad Eucharistiam accedit, nec proindè ad Sacerdotem more laicorum communicantem, laxius videtur et periculosum; quia, etsi Concilium Tridentinum loquatur tantùm de Sacerdote celebrante, ipsius tamen ratio militat respectu aliorum.

ARTICULUS III.

De Dispositionibus ad frequentem Communionem requisitis.

Certum est 1.° dispositiones in genere ad communionem necessarias, multò magis ad frequentem requiri.

Certùm est 2.° frequentem Eucharistiæ usum, per se, minùs frequenti esse laudabiliorem : hinc fideles primis seculis quotidiè communicabant : Act. Apost. c. 2, ℣. 46; hinc Synodus Tridentina, Sess. 22, cap. 6, *optaret... ut in singulis Missis*

fideles adstantes, non solùm spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarent.

Certum est 3.° frequentem Eucharistiæ usum, à fortiori quotidianum, non esse de præcepto, ut ex praxi jam à longo tempore in Ecclesiâ usitatâ satis clarè colligitur. Et verò, nunquid Ecclesia unicam tempore paschali communionem exegisset à fidelibus, si quotidianam Christus præcepisset?

4.° Tandem octidua communio, frequens reputatur. His præmissis, asserimus contra auctorem libri cui titulus, *l'esprit de J. C. et de l'Eglise sur la fréquente Communion*, immunitatem à peccato mortali non sufficere ad frequentem, multò minùs ad quotidianam communionem.

PROPOSITIO.

Ad frequentem communionem, præter immunitatem à peccato mortali, et devotionem actualem, insuper requiritur immunitas ab omni affectu ad peccatum veniale.

Prob. 1.° *auctoritate Magistrorum in vitâ spirituali*, inter quos appellare sufficiat S. Franciscum Salesium; *Introduction à la vie dévote*, part. 2, cap. 20: *Pour communier tous les huit jours, il est requis de n'avoir ni péché mortel, ni aucune affection au péché véniel, et d'avoir un grand désir de communier; mais pour communier tous les jours, il faut, outre cela, avoir surmonté la plupart des mauvaises inclinations, et que ce soit par l'avis du Père spirituel.* Cui doctrinæ adhærendum esse docet Bened. XIV, de Synodo Diœcesana, lib. 7, cap. 12, n. 9.

Prob. 2.° *ex declaratione* factâ tum à Theo-

logis, tum ab Episcopis pluribus, contra librum jam citatum, in quo doctrina nostræ assertioni contraria legitur.

Prob. 3.° *Ratione theologicâ.* Communio minùs erga Christum religiosa, non parùm respectu communicantis periculosa, et nullâ ex parte ob magnam utilitatem vel necessitatem excusanda, talis, inquam, communio, nedùm consuli, imò totis viribus impediri debet : atqui talis est communio frequens cum affectu ad venialia peccata. 1.° Minùs erga Christum religiosa est; frequens enim communio, certa quædam est familiaritas cum Christo : atqui talis familiaritas minùs religiosa est in illo qui, propter affectum ad venialia, ita est habitualiter dispositus, ut velit displicere familiari suo. 2.° Periculosa est; ipsa enim, ut potè segniter et languidè facta, disponit ad sacrilegam communionem, et parere nota est familiaritatem illam contemptui proximam, tantoperè in familiaribus formidandam. 3.° Nullâ ex parte ob necessitatem aliquam vel utilitatem excusari potest; si quæ enim foret utilitas, maximè augmentum gratiæ, quod ex tali communione absolutè non sacrilegâ perciperetur : atqui hæc ratio nulla est, cùm ex minùs frequenti communione, majori stipatâ dispositione, æqualis aut etiam fortè uberior fructus perciperetur.

Nota 1.° Ex eventu judicandum an magis minùsve frequens consulenda sit communio.

Nota 2.° In permittendâ vel consulendâ Presbytero communione, habenda est ratio, non tantùm ipsius utilitatis propriæ, sed etiam bonorum quæ ex sacrificio ejus proveniunt.

Nota 3.° Magnum est discrimen inter commissionem peccatorum venialium, et affectum ad

illa : sanctiores ipsi plura committunt, sed ex fragilitate, sed commissa plangunt; qui verò servant affectum ad illa, ita dispositi sunt, ut velint iterùm illa, occasione datâ, perpetrare, ab iis non præcavent, post commissionem non dolent, nec satisfactoriis operibus eluunt.

CAPUT V.

De necessitate Eucharistiæ.

Expendendum 1.° an Eucharistia necessaria sit necessitate medii; 2.° an necessaria necessitate præcepti, tam divini quàm ecclesiastici; 3.° an necessaria sub utrâque specie.

ARTICULUS PRIMUS.

An Eucharistia sit necessaria necessitate medii.

Triplex distinguitur necessitas, *medii, præcepti divini*, et *præcepti ecclesiastici.* Generatim illud dicitur necessarium necessitate *medii* ad salutem, quod medium est ad eam consequendam necessarium. Medium autem aliud est *internum*, quod scilicet interiùs afficit animam, et ita necessarium est, ut sine eo actu percepto salus nunquàm et nullo in casu obtineri queat, talis est gratia sanctificans, fides, etc. Aliud est *externum*, quod exterius est signum ex institutione divinâ necessarium ad habendum certum gratiæ gradum, sine quo salus obtineri non potest, talis est Baptismus respectu omnium, et pœnitentia respectu adultorum lapsorum.

Ex naturâ utriusque medii, istud oritur discrimen quoad necessitatem, quòd medii *interni*

tanta sit necessitas, ut nunquàm suppleri possit; at verò medii *externi* non adeò absoluta est necessitas, quin in aliquibus circumstantiis suppleri possit, cùm divina virtus et gratia signis exterioribus non sit inseparabiliter alligata. Hinc satis est quòd medium externum, vel in *re*, vel in *voto* suscipiatur.

Illud est necessarium necessitate *præcepti*, quod necessarium est duntaxat quia præcipitur, licèt ejus observatio de se non conferat gratiam ad salutem necessariam. Istud autem, si præcipiatur à Deo, erit necessarium necessitate præcepti *divini*; si ab Ecclesiâ, præcepti *ecclesiastici*.

Ex veteri Ecclesiæ consuetudine, juxta quam, pluribus in locis, Eucharistia parvulis recèns baptizatis conferebatur, concludunt nonnulli recentiores Græci, Eucharistiam esse necessariam necessitate medii, tum adultis, tum parvulis. Plurimi Calvinistæ, inter quos Dallæus et Albertinus, in eamdem descendunt sententiam, quam et veterum SS. PP. communem fuisse judicant.

Inter Theologos, quidam cum S. Thomâ, 3 parte, quæst. 73, art. 3, putant Eucharistiam, adultis saltem, esse necessariam necessitate medii. Communis est sententia quam sequenti propositione tuemur.

PROPOSITIO.

Nec infantibus, nec adultis, necessaria est Eucharistia necessitate medii.

Prob. 1.° *ex Script.* Tit. c. 3, ℣. 5 : *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis*, id est, Baptisma. Undè sic : Illud non est ad salutem necessarium necessitate medii, sine quo salus obtineri potest : atqui sine Eucharistiâ salus ob-

tineri potest, nempè per Baptismum, ut testatur Apost.; ergo, etc. Rom. c. 8, ℣. 1 : *Nihil ergo damnationis est iis qui sunt in Christo Jesu.* Undè sic : Qui sunt baptizati, sunt in Christo Jesu, cui scilicet per Baptismum incorporantur; ergo in ipsis, licèt non receptâ Eucharistiâ, nihil remanet damnationis; ac proindè salutem consequentur.

Prob. 2.° *ex SS. PP.* S. Aug. lib. 1 de Peccatorum Meritis, cap. 19 : *Si parvulus*, inquit, *percepto Baptismate, de hâc vitâ emigraverit, soluto reatu cui originaliter erat obnoxius, perficietur in illo lumine veritatis, quod incommutabiliter manens, in æternum justificatos præsentiâ Creatoris illuminat.* Hic agit S. Aug. de parvulo è vivis erepto, statim post Baptismum, et nondùm receptâ Eucharistiâ : atqui, juxta S. Doctorem, perficietur in illo lumine veritatis, id est, salvabitur; ergo, etc.

S. Fulgentius, Epist. ad Ferrandum, cap. 5, interrogatus de salute pueri qui baptizatus, sed nondùm Eucharistiâ nutritus, decesserat, respondet : *Illum salvatum esse credamus.*

Prob. 3.° *ex praxi Ecclesiæ*, quæ non curat Eucharistiam infantibus cum Baptismo dari, quod certè argumento est ipsam non habere Eucharistiam ut necessariam ad salutem infantium : hinc definivit Concilium Tridentinum, Sess. 21, can. 4 : *Si quis dixerit, parvulis, antequàm ad annos discretionis pervenerint, necessariam esse Eucharistiæ communionem; anathema sit.*

Prob 4.° *Ratione theologicâ.* Si Eucharistia foret necessaria necessitate medii, vel infantibus sic necessaria foret, vel adultis : atqui neutrum

dici potest. Non 1.° infantibus, qui à gratiâ sanctificante per Baptismum acquisitâ excidere non possunt. 2.° Nec adultis : si enim adultis Eucharistia foret necessaria necessitate medii, vel ad gratiam recuperandam, vel ad illam conservandam : atqui neutrum dici potest; non 1.um, cùm Eucharistia sit vivorum sacramentum, quod in recipiente vitam spiritalem seu gratiam supponit; non 2.um : namque præter Eucharistiam, sunt alia vitæ spiritualis conservandæ media, oratio scilicet, jejunia, eleemosynæ, aliaque virtutum exercitia; ergo, etc.

Obj. 1.° Joan. c. 6, ℣. 54 : *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Undè sic : Illud est ad salutem necessarium necessitate medii, sine quo vita non habetur : atqui, etc.; ergo, etc.

Resp. Dist. maj. Sine quo, etiam inculpabiliter omisso, non habetur vita, *conc.*; sine quo culpabiliter tantùm omisso, *nego* : porrò sine Eucharistiâ inculpabiliter omissâ vitam habemus, cùm, ex probatis, nec ad obtinendam, nec ad recuperandam, nec ad conservandam gratiam necessaria sit; ergo necessaria non est necessitate medii.

Inst. Hæc verba Joan. c. 3, ℣. 5, *Nisi quis renatus fuerit ex aquâ et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei,* probant Baptismum esse necessarium necessitate medii; ergo à pari hæc verba, *Nisi manducaveritis*, etc., probant Eucharistiam esse necessariam necessitate eâdem.

Resp. Nego consequent. et parit. Namque talis loquendi formula est de se indifferens ad significandam necessitatem medii, vel præcepti.

Hinc determinari debet ad alterutram ex Traditione, vel ex subjectâ materiâ : porrò in istâ locutione, *Nisi manducaveritis*, etc., subjecta materia ostendit rem esse de necessitate præcepti, cùm Eucharistia necessaria non sit, sive ad obtinendam, sive ad conservandam gratiam : Patrum Traditio idem comprobat. Secùs contingit in Baptismate, sine quo non solvitur peccatum originale.

Obj. 2.° S. Aug. lib. 1 contra Julianum Pelagianum, cap. 4 : *Sancto Innocentio*, inquit, Julianum alloquens, *vide quid respondeas...., qui parvulos definivit, nisi manducaverint carnem Filii hominis, vitam prorsùs habere non posse;* ergo, etc.

Resp. Dist. ant. Parvuli non possunt habere vitam, nisi manducaverint carnem Christi spiritualiter, *conc.;* sacramentaliter, *nego.* Itaque duplex Christi manducatio : *sacramentalis*, quæ sufficienter intelligitur; et *spiritualis*, quæ est incorporatio cum Christo : atqui S. Aug. et alii PP. loquuntur de manducatione spirituali, quæ manducatio infantibus necessaria, per Baptismum habetur. Ita D. Augustinum et alios PP. interpretatur S. Fulgentius, Epist. citatâ. Ratio quæ S. Aug. impulit ad explicanda in sensu mystico respectu infantium hæc verba, *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis*, etc., hæc fuit, ut probaret contra Pelagianos, infantes sine Baptismo decedentes, non solùm privari regno cœlorum, sed etiam æternâ vitâ; sic enim arguebat : Qui non manducat carnem Christi mysticè, id est, qui non Christo incorporatur, vitam prorsùs habere nequit : atqui infantes non baptizati, Christo non incorporantur; incorporatio enim illa fit vel per baptismum, vel per Eucharistiam : porrò infan-

tes de quibus loquimur, non sunt baptizati ex hypothesi, neque Eucharistiam susceperunt, cùm ipsa Eucharistiæ susceptio Baptismum supponat; ergo vitam non habent, ac proindè ab æternâ vitâ excluduntur.

Obj. 3.° Mos communicandi infantes olìm viguit in Ecclesiâ Latinâ, et nunc adhuc obtinet in Græcâ; ergo communio ipsis necessaria est.

Resp. Nego consequent. Aliud est enim aliquid fieri, aliud ex necessitate impleri; quot enim in Ecclesiâ fiunt, quæ omni necessitate carent! sic conferebatur iis temporibus Confirmatio simul ac Baptisma: atqui tamen exindè inferri nequit Confirmationem olim creditam esse parvulis necessariam; ergo et à pari, etc.

Colliges cum Concilio Trid. Sess. 21, cap. 4, morem quibusdam in locis communicandi infantes antiquitùs observatum, ex nullâ salutis eorum necessitate ortum fuisse, sed propter aliam rationabilem causam, scilicet ob augmentum gratiæ pueris conferendum; nunc autem judicat Ecclesia Spiritu veritatis instructa, augmentum illud gratiæ infantibus esse differendum, ut nempè grandiores facti, sacramentum cum majori reverentiâ suscipiant.

ARTICULUS II.

An Eucharistia sit necessaria necessitate præcepti divini.

PROPOSITIO.

Eucharistiæ perceptio adultis necessaria est necessitate præcepti divini.

Prob. 1.° *ex Script.* Joan. c. 6, ℣. 54: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et bibe-*

ritis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Undè sic : In hoc textu exprimitur Eucharistiæ perceptionis necessitas : atqui necessitas illa non est medii, ex probatis; ergo necessaria est Eucharistia necessitate præcepti divini. Et verò, hæc verba, *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis*, verum præceptum important pro adultis, qui sunt præcepti capaces de pœnitentiâ agendâ ; ergo à pari et ista, *Nisi manducaveritis*, etc., præceptum continent de Eucharistiâ suscipiendâ.

Prob. 2.° *ex fidelium sensu et ecclesiasticâ Traditione.* Nam, ut ait *Suarez*, à principio nascentis Ecclesiæ, usus hujus sacramenti fuit fidelibus omnibus in observatione maximâ, tanquàm pertinens ad Christi traditionem et mandatum. Hincque emanavit cura Pastorum, ut populus aliquandò Eucharistiam perciperet.

Quæres 1.° quos obliget divinum sacræ communionis præceptum.

Resp. solos et *omnes* adultos rationis compotes. *Solos* quidem, quippe qui soli sint præcepti capaces; *omnes* verò, scilicet fideles simpliciter et immediatè, infideles autem mediatè, nimirùm ut convertantur, et sic ad Eucharistiam accedant.

Quæres 2.° quo tempore obliget illud præceptum.

Resp. obligare non solùm in articulo mortis, sed et sæpiùs in vitâ. 1.° In articulo mortis, ut constat ex Concilio Nicæno I, canone 13, et perpetuâ Ecclesiæ praxi, quæ semper hoc salutare Viaticum infirmis ministrandum esse docuit, et ministrari sollicitè curavit. Et reverà, nulla unquàm esse potest gravior hujus sacramenti necessitas, quàm eo temporis instanti, à quo tota

pendet æternitas. Porrò per mortis articulum intelligitur quodlibet proximum aut probabile mortis periculum : undè non tantùm in periculo ex morbo, sed etiam ante puerperium, præsertim primum, ante periculosam corporis sectionem, ante longam et periculosam navigationem, ante prælium cum hoste, gravis est obligatio, si occasio detur, aut si prævideatur in ipso periculo defuturam occasionem Eucharistiæ sumendæ. Hinc si quis paulò ante ægritudinem communicaret, nihilominùs ad sacram communionem adhuc teneretur, quia præcepto non satisfit per opus non præceptum. Si quis verò eâdem die communicasset, alii affirmant eum teneri adhuc ad communicandum per modum Viatici, alii negant. Attamen, juxta eos, si Viaticum postularet ægrotus, non deberet ipsi denegari. *In tantâ opinionum varietate,* inquit Bened. XIV, de Synodo Diœces. lib. 7, cap. 11, n.° 2, *integrum est Parocho eam sententiam amplecti quæ sibi magìs arriserit; neque fas est Episcopo in Parochum animadvertere, qui præfato ægrotanti Viaticum denegavit* (1). Cæterùm, de iis quæ caveri et servari debent in administrando infirmis Viatico, attentè legatur Rituale.

2.° Divinum communicandi præceptum obligat etiam sæpiùs in vitâ. Etenim Eucharistia instituta est ut cibus spiritualis ad vires animæ reparandas, quæ sæpiùs fervore concupiscentiæ et cupiditatum illecebris debilitantur; cùm autem

(1) Sic habet Rituale Tolosanum, p. 87, col. 1: *Ceux qui, après avoir communié le matin à l'Eglise, tomberaient dans un danger pressant de mort, pourraient recevoir le saint Viatique le même jour.*

nullum tempus hujus adimplendi præcepti à Christo sit determinatum, censetur illi satisfacere, inquit *Billuart*, qui semel in anno communicat, quia Ecclesia non plus exigit. Per accidens autem potest sæpiùs obligare, v. g., si Eucharistia necessaria sit ad superandam gravem tentationem.

Observa præceptum divinum communionis non esse absolutum, sed conditionatum; nempè, obligare tantùm, cùm modo convenienti et debitâ reverentiâ recipi potest Eucharistia, juxta præscriptas Ecclesiæ leges. Hinc explicatur quomodò olim peccatoribus, etiam in fine vitæ, denegata fuerit Eucharistia, v. g., ob indignitatem enormibus sceleribus contractam; et etiamnùm denegetur apud nos reis ultimo supplicio damnatis, propter indecentiam, et illorum animi perturbationem, ex instantibus suppliciis ortam.

ARTICULUS III.

An Eucharistia sit necessaria necessitate præcepti ecclesiastici.

PROPOSITIO.

Præcepto ecclesiastico tenentur omnes et singuli fideles adulti ad communicandum singulis annis, saltem in Paschate.

Propositio omninò constat.

Prob. ex Constitutione Conc. Lateran. sub Innoc. III, in quâ præcipitur : *Omnis utriusque sexûs fidelis, postquàm ad annos discretionis pervenerit, omnia sua peccata confiteatur.... suscipiens reverenter, ad minùs in Pascha, Eucharistiæ sacramentum, nisi fortè de consilio proprii Sacerdotis, ob aliquam rationabilem*

causam, ad tempus ab ejus perceptione duxerit abstinendum; alioquin et vivens ab ingressu Ecclesiæ arceatur, et moriens christianâ careat sepulturâ.

Confirmatur ex Conc. Trid. quod Ses. 13, canone 9, anathemate plectit eum qui hanc obligationem negare ausus fuerit.

Plura autem diligenter observanda sunt circa hoc Ecclesiæ præceptum.

1.° Huic non satisfaciunt populi nisi in propriâ parochiâ communicent (1), vel saltem in aliis Ecclesiis cum debitâ licentiâ, et hoc constat, tum ex verbis et mente Concilii Lateranensis, tum ex consuetudine Ecclesiæ; vult enim Conc. Lateranense, ut proprii Sacerdotes, id est strictè loquendo Pastores, certi esse possint de suorum subditorum communione: at id eis constare non potest, nisi fideles in propriis parochiis communicent, vel in aliis Ecclesiis ex debitâ licentiâ. Deindè Summi Pontifices dùm concedunt Religiosis facultatem administrandi communionem omnibus fidelibus ad eorum templa accedentibus, semper excipiunt communionem paschalem, *Præter quàm in Festo Paschæ*, inquiunt. Deniquè, in omnibus Ecclesiæ partibus viget hæc consuetudo.

2.° Nomine Paschatis intelligitur totum tempus currens à Dominicâ Palmarum usque ad Dominicam in Albis inclusivè; imò, urgente necessitate, ut sæpè contingit, quandò in amplioribus parochiis pauci sunt Sacerdotes, tempus pascha-

---

(1) Sed quid juris, si quis duo habeat in diversis Parochiis domicilia? Vide quæ diximus in *Tractatu de Pœnitentiâ*, ubi de Ordinariâ Jurisdictione.

lis communionis, ex Episcopi permissione, quibusdam hebdomadis anticipari potest, vel etiam differri. Præterea, sicut statuit Conc. Lateranense, unusquisque fidelis de consilio proprii Sacerdotis, ob rationabilem causam, potest communionem ultra tempus paschale differre, v. g., si careat debitis dispositionibus ad dignè communicandum. Hic autem per proprium Sacerdotem intelligitur Episcopus, vel Parochus, aut alii Sacerdotes debitè approbati et deputati.

3.° Non satisfit præcepto paschalis communionis per sacrilegam communionem, et contraria opinio damnata fuit ab Innocentio XI, estque 53.ª inter propositiones ab illo damnatas. Probatur insuper ex eo quòd præceptum communicandi obligat ad Eucharistiam recipiendam, non solùm materialiter, sed tanquam spiritualem animæ nostræ cibum; qui verò indignè communicat, hic ex culpâ suâ spiritualem illum cibum mutat in venenum, quod ipsius animam non nutrit sed interimit; ergo ille non satisfacit præcepto communionis, sive divino, sive ecclesiastico. Confirmatur vulgari paritate; quippe naturali præcepto se nutriendi aliquis non satisfacit sumendo venenum; ergo à pari, non satisfacit præcepto communicandi, qui communicat indignè. Quamobrem, qui indignè communicavit in Paschate, tenetur iterùm dignè communicare. Similiter, ægrotus qui indignè sumit Viaticum, tenetur iterùm illud recipere, modò commodè fieri possit, et absque periculo scandali, aut divulgationis, vel suspicionis de indignitate prioris communionis.

4.° Qui tempore Paschatis, ex causâ aliquâ justâ vel injustâ, Eucharistiam accipere intermisit, posteà quamprimùm commodè fieri potest,

tenetur ad communicandum, ita ut quantò diutiùs communionem protrahat, tantò magìs peccatum augeat. Hanc sententiam tanquam certam et in praxi tenendam docent vulgò Theologi. Rationem afferunt, quia Ecclesia communionem paschalem præcipiens, primariò et præcipuè intendit ut sacra communio ultra annum non differatur; secundariò verò determinat tempus Paschæ, velut ad communionem maximè conveniens: atqui quandò unum primariò præcipitur, et aliud secundariò, quamvis id quod secundarium est negligatur, aut servari non possit, tamen impleri debet quod principale est: v. g., qui obligatur ad tributum, vel ad censum annuum, certâ quâdam anni die tribuendum, v. g., in Festo S. Martini, si tunc non solvat, posteà tenetur solvere, cùm primùm commodè potest. Hinc qui prævidet sibi defuturam opportunitatem communicandi in Paschate et posteà, si ab ultimo non communicaverit, tenetur prævenire, et ante tempus paschale sacram sumere Eucharistiam, quia aliàs quod præcipuum est in præcepto violaret.

5.° Pœna contra hujus præcepti transgressores Lateranensi decreto constituta, non est *latæ* sententiæ, sed *ferendæ*: quapropter Parochi, aliive Sacerdotes, qui jurisdictionem in foro exteriori non obtinent, tenentur, ubi mos adhuc viget, Episcopo denuntiare eos qui huic præcepto non obtemperaverint, et Episcopus, si ita judicaverit, canonicis pœnis illos puniat.

ARTICULUS IV.

De Necessitate Communionis sub utrâque specie.

Certum est 1.° communionem sub utrâque spe-

cie à Christo fuisse præscriptam Sacerdoti Sacrum peragenti. Certum est 2.° illam jure divino permissam esse laicis. Itaque quæstio est utrùm laicis communicantibus, non modò permissa, sed etiam præscripta fuerit.

Bellarminus, lib. 4 de Sacramento Eucharistiæ, cap. 20, Lutherum adducit de communione sub utraque specie sic loquentem : *Si quod Concilium statueret, aut permitteret utramque speciem, nos nequaquàm uti vellemus; sed in despectum Concilii ejusque statuti, aut unâ, aut neutrâ, et minimè utrâque uti vellemus, maledicturi eos qui ex potestate aut statuto Concilii, utrâque uterentur.* Ipse tamen pluribus in locis asserit fideles omnes ex divino præcepto teneri ad communionem sub utrâque specie ; idem docent Bohemi, Hussitæ, Lutherani et Calvinistæ. Contra quos sit

PROPOSITIO.

Communio sub utrâque specie singulis fidelibus Præcepto divino necessaria non est.

Prob. ex Traditione ac praxi Ecclesiæ Catholicæ veteris et hodiernæ. Praxis hodierna Ecclesiæ Catholicæ conceditur ab omnibus, igitur proferre sufficiat argumenta Traditionis et usûs Ecclesiæ veteris.

1.° Certum est primis Ecclesiæ seculis, fideles secum exportasse Eucharistiam, ab ipsis privatim et opportuno tempore sumendam : atqui non exportabant illam sub specie duplici, sed tantùm sub specie panis, ut colligitur ex Tertulliano, lib. 2 ad Uxorem, cap. 5; ex S. Cypriano, lib. de Lapsis; ex S. Basilio, Epist. 28 ad Cæsariam, qui tres, de isto usu loquentes, solius speciei

panis, omisso semper vino, mentionem faciunt. 2.° In Ecclesiâ tam Græcâ quàm Latinâ, olim et nunc etiam celebratur Missa *Præsanctificatorum*, in quâ scilicet non fit consecratio, sed super materiam consecratam preces funduntur. Praxis illa deducitur ex Concilio Laodiceno, et Græcorum Euchologiis seu Missalibus, et Ordine Romano: atqui in ejus modi Missâ, communio fit sub unicâ specie, panis scilicet, qui solus asservatur, ut constat ex iisdem quæ mox citavimus monumentis. 3.° In communione puerorum antiquitùs usitatâ, species una ipsis præstabatur; species quidem vini recèns natis infundebatur, ut constat ex S. Cypriano, lib. de Lapsis; species verò panis dabatur paulò majoribus, qui reliquias panis eucharistici, ne diutiùs servatæ corrumperentur, consumere solebant.

Prob. 2.° *ex Conc. Constantiensi œcum.* Sess. 13, et Trid. Sess. 21, can. 1: *Si quis dixerit ex Dei præcepto, vel necessitate salutis, omnes et singulos Christi fideles utramque speciem... sumere debere; anathema sit.*

3.° *Argumento Præscriptionis.* Si communio sub duplici specie foret præcepto divino necessaria, et ut talis semper in Ecclesiâ credita et usurpata fuisset, certè usus calicis singulis fidelibus auferri non potuit, quin reclamationes et motus in Ecclesiâ excitarentur; ille enim usus est quid sensibile et practicum, cujus proindè immutationem sedato animo non tulisset Christiana plebs, ritùs antiqui, ut omnes nôrunt, admodùm tenax: porrò certum est non solùm prioribus Ecclesiæ seculis communionem sub unicâ specie, nemine reclamante, aliquandò usurpatam fuisse, sed etiam à seculo XIII usum calicis, ipsâ fide-

lium desuetudine, ferè ubiquè fuisse abrogatum; ergo, etc.

Prob. 4.° *Ratione theologicâ.* Si communio sub duplici specie necessaria foret singulis fidelibus, vel necessaria foret ipsis ad sumendum totum Christum, vel ad participandum toti sacramento, vel ad percipiendam sacramenti gratiam, vel ad implendum speciale Christi præceptum : atqui nihil horum dici potest. Non 1.um, cùm, ex probatis, Christus totus et integer delitescat sub quâlibet specie. Nec 2.um, quia quælibet species significat gratiam, quæ per modum spiritualis animæ refectionis se habet, et Christum gratiæ auctorem sub quâlibet specie contentum. Nec 3.um, quia Christus auctor et causa gratiæ sacramentalis sub unaquâque recipitur specie. Nec 4.um dici potest, ut patebit solutione objectionum.

Obj. 1.° Joan. c. 6, ℣. 54 : *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis* : atqui non manducatur caro Christi, nisi sub specie panis, et sanguis ejus non bibitur, nisi sub specie vini; ergo utraque species ad vitam necessaria est.

Resp. 1.° Explico textum : *Nisi manducaveritis...*, ET, id est, VEL *biberitis*, etc., *conc.; Nisi manducaveritis...*, ET, id est, SIMUL *biberitis*, *nego*. Itaque particula, *et*, quandoquè in Script. disjunctivè sumitur, ut in I Cor. c. 11 : *Qui manducat* ET *bibit indignè, judicium, etc.;* ubi particula, *et*, disjunctivum habet sensum, ut satis ipse Apostolus declarat his verbis : *Quicunque manducaverit...* VEL *biberit... indignè, reus erit corporis et sanguinis Domini.* Porrò ita est in textu S. Joannis; Christus enim immediatè posteà dixit : *Qui manducat hunc panem, vivet in æter-*

num : porrò si manducatio solius panis promittat vitam, falsum est quòd non habeatur vita sine potu et cibo, copulativè sumptis.

Resp. 2.° *Nego min.* Christus in hoc textu præcepit tantùm sumptionem corporis sui et sanguinis : atqui sub quàlibet specie corpus cum sanguine sumitur ; ergo per communionem sub unà specie impletur præceptum.

Inst. 1.° Christus, instituendo Eucharistiam, dixit : *Bibite ex eo omnes*, etc. ; ergo utraque species necessaria est.

Resp. Nego consequent. Ista enim ad solos Apostolos directa sunt, ut patet ex his quæ sequuntur : *Et biberunt ex eo omnes*, etc., Apostoli scilicet, qui tunc biberunt.

Inst. 2.° *Hoc facite*, inquit Christus, *in meam commemorationem :* atqui Christus utramque speciem sumpsit, et distribuit; ergo, etc.

Resp. 1.° Christus apud Lucam hoc dixisse legitur post consecrationem et distributionem panis ; ergo ad summum concludi potest ex hoc textu distributionem Eucharistiæ sub specie panis esse necessariam. Reverà S. Paulus, I ad Cor. sumptioni calicis applicat Christi præceptum, *Hoc facite*, sed conditionato sensu tantùm : *Hoc facite*, inquit, *quotiescunquè bibetis, in meam commemorationem.*

Resp. 2.° præceptum istud, *Hoc facite*, etc., non posse extendi ad omnia omninò quæ Christus fecit, sed ad quædam præcipua; neque ad omnes absque distinctione ullà, alioquin simplices etiam fideles consecrare deberent, quod falsum suprà demonstravimus : porrò communionis modus, juxta verba Christi adhibendus, ex Traditione repeti debet, quæ Traditio nobis per constantem

Ecclesiæ usum ac praxim innotescit : atqui ex Traditione constat communionem sub utrâque specie singulis non esse præceptam ; ergo, etc.

Obj. 2.° Gelasius Papa, Epist. ad Majoricum et Joannem II : *Divisio*, inquit, *unius ejusdemque mysterii sine grandi sacrilegio non potest provenire* ; ergo, etc.

Resp. Nego consequent. Gelasius ibi loquitur de his qui, superstitione obstricti, mysterium Eucharistiæ dividebant, panem scilicet accipiendo, respuendo calicem, quod certè erat grande sacrilegium. Nimirùm tunc temporis erant Manichæi, qui à specie vini abstinebant, eo quòd putarent vinum esse creaturam à malo principio ortam ; nos verò non ex superstitione, nec ex alio quovis errore calicem subtraximus ; sed præcipuè ob varia ex distributione sanguinis divini incommoda sæpiùs occurrentia.

Obj. 3.° In veteri Ecclesià, laici sub utrâque specie communicabant; ergo necessaria est utraque species.

Resp. 1.° *Retorq. arg.* In veteri Ecclesià Baptismus per immersionem administrabatur ; ergo immersio necessaria erat in Baptismo : nunc tamen per effusionem dari solet.

Resp. 2.° *Dist. ant.* In veteri Ecclesià, laici sub utrâque specie communicabant semper, *nego;* ordinariè, *subdist.* Liberè, *conc.* ; necessariò, *nego.* Solutio patet.

Obj. 4.° Eucharistia est sacramentum, id est, signum sacrum refectionis spiritualis plenæ : atqui per unicam speciem panis aut vini, non plena refectio spiritualis significatur ; ergo, etc.

Resp. Nego min. Cùm enim in spiritualibus, cibus non distinguatur à potu, hinc fit ut mate-

rialis cibus seorsìm à potu, et vicissìm potus absque cibo, plenam refectionem spiritualem significare possit; ergo, etc.

Obj. 5.° Major percipitur gratia ex sumptione utriusque speciei; ergo necessaria est utraque.

Resp. 1.° *Nego ant.* Quia sub quâvis specie Christus totus gratiæ auctor suscipitur.

Resp. Nego consequent. Quia, licèt major gratia ex duplici quàm ex unâ specie perciperetur, non ideò species utraque sumi deberet, quia hic defectus facilè compensari potest multiplicatione communionum; incommoda verò et pericula ex distributione calicis provenientia vix ac ne vix quidem devitari possunt.

Inst. contra 1.am *resp.* Perceptâ specie panis, gratia confertur; item, haustâ vini specie, alia producitur; ergo major producitur gratia per utriusque speciei sumptionem.

Resp. ab Ecclesiâ tantùm definitum esse nullâ gratiâ ad salutem necessariâ defraudari eos qui unicam speciem sumunt, libertati autem scholarum permittitur opinio de majori gratiâ ex specie duplici perceptâ: tamen sententia communis negat majorem ex duplici specie gratiam comparari. Hujus verò sententiæ patroni dividuntur inter se, aliis tuentibus totam gratiam in ipsâ sumptione panis recipi, virtute tum panis jam sumpti, tum vini mox potandi; aliis è contrà docentibus totam produci in recipiente gratiam post sumptionem speciei duplicis tantùm.

Qui plura de hoc argumento voluerit, legat illustrissimi Bossuetii opus cui titulus, *Traité de la Communion sous les deux espèces.*

COROLLARIUM.

COROLLARIUM.

Ergo potuit Ecclesia calicis usu laicis interdicere.

Prob. Ecclesia potest fidelibus prohibere illa ad quæ nullo adstricti sunt præcepto, si validas suæ prohibitionis causas habeat : atqui hæc duo vera sunt in prohibitione calicis : 1.um quidem, ex probatis; 2.um quoque : inter varias enim hujus prohibitionis causas, sequentes appellare sufficiat, 1.a periculum effundendi sanguinis in ipsius distributione; 2.a penuria vini difficilisque consecratio in plurimis regionibus; 3.a confutatio hæresis speciei utriusque necessitatem asserentis.

Nota 1.° præceptum communionis sub unâ specie panis non obligare Græcos : undè etiam Romæ, in Ecclesiis sui ritûs, utramque speciem sumunt.

Nota 2.° usum calicis, citra privilegium, prohibitum esse laicis in omni casu, si tamen hunc excipias, in quo ad devitandam sanguinis Christi profanationem, usus ille foret necessarius : hinc deficiente eucharistico pane, calix moribundo negari debet, ut fert longè communior opinio.

CAPUT VI.

De Effectibus Eucharistiæ.

Innumeri sunt Eucharistiæ effectus, quorum præcipuos hic referre sufficiat.

1.° Gratiam producit per modum spiritualis animæ nutritionis, Joan. c. 6, ℣. 56 : *Caro mea verè est cibus.* Illa spiritualis nutritio consistit in

augmento gratiæ sanctificantis, cum jure ad gratias actuales fervorem charitatis inspirantes suo tempore obtinendas, nisi tamen iis gratiæ auxiliis ponatur obex, maximè per venialia ex affectu, vel omninò deliberatè commissa, à fortiori per mortalia.

Hinc 1.°, ut loquitur Eugenius Papa, in suo decreto ad Armenos, *omnem effectum quem materialis cibus et potus quoad vitam agunt corporalem, sustentando, augendo, reparando et delectando; sacramentum hoc* (Eucharistiæ) *quoad vitam spiritualem operatur.*

Hinc 2.° Eucharistia non confert, saltem directè ac primariò, primam gratiam sanctificantem, et peccati mortalis remissionem; cibus enim spiritualis vitam in recipiente supponit: propterea dicit Apostolus, I Cor c. 11, ℣. 28: *Probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat, et de calice bibat.* Probet, inquam, seipsum, ab omni saltem mortali noxâ emundando conscientiam.

Dixi autem, *primariò et directè;* nam controvertitur inter Theologos utrùm sacramentum illud per accidens et secundariò conferat primam gratiam peccati mortalis remissivam, in isto casu, cum quis scilicet bonâ fide, quamvis falsò, putans se esse justificatum, Eucharistiam recipit, sine ullo ad peccatum mortale affectu: affirmant plures, duce D. Thomâ, 3 parte, art. 3; negant multi cum S. Bonaventurâ. Sed quia quæstionis hujus solutio omninò pendet à voluntate Dei, cujus nullum sive pro affirmante, sive pro negante sententiâ nobis suppetit signum, ideò inter utramque suspensi hæremus.

2.° Juxta doctrinam Conc. Trid. Sess. 13, cap.

2, Eucharistia *est tanquam antidotum quo liberamur à culpis quotidianis, et à peccatis mortalibus præservamur;* ita ut si benè uti velimus gratiis actualibus quæ intuitu Eucharistiæ priùs receptæ nobis conferuntur, futuri simus tanquam leones ignem spirantes, diabolo facti divinâ virtute terribiles. Liberat verò à quotidianis, id est, venialibus culpis, per fervorem actûs charitatis, qui excitatur per hoc sacramentum; ratione cujus fervoris peccata venialia tolluntur (ita D. Thomas, quæst. 39, art. 4). Ex consequenti, ad relaxationem pœnæ temporalis peccatis debitæ inservit Eucharistia, inquantùm fervor charitatis quem excitat, satisfactorius est secundùm intensionis suæ gradum.

3.° Eucharistia est pignus futuræ gloriæ, tum quoad corpus, tum quoad animam, Joan. c. 6, ℣. 55 : *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, et ego resuscitabo eum.*

Nota 1.° Eucharistiam operari gratiam sanctificantem quandò manducatur, eo scilicet instanti quo ex ore trajicitur in stomachum. Hinc inferes quòd hostia in ore consumpta non producat gratiam; ac proindè parùm sibi consulunt illi qui, indoctâ pietate, receptam in ore diutiùs servant Eucharistiam.

Nota 2.° Eucharistiam omnes istos producere effectus : veruntamen ab illis actualiter producendis sæpiùs ex parte nostrî impeditur; nam 1.° omnem hujus sacramenti perimit efficaciam lethale peccatum; 2.° peccatum veniale ad quod servatur affectio, sive præteritum, sive actuale, ut voluntaria distractio tempore communionis, ponit obicem non quidem augmento gratiæ sanctificantis,

sed gratiæ actuali, huic scilicet fervori charitatis quem communio producere nata est.

APPENDIX.

De Institutione Eucharistiæ.

CHRISTUM Eucharistiam instituisse res est apud omnes Catholicos extra omnem controversiam : sed de ipso præcisè tempore quo eam instituerit, magna est contentio ac sententiarum varietas.

Observandum 1.° nomine *Cœnæ legalis,* eam intelligi in quâ Agnus paschalis comedebatur, juxta mandatum Dei, Exod. c. 12, ℣. 2. Cæremonia hæc vocabatur *Pascha* seu *Phase,* id est, transitus, ut ibidem dicitur, ℣. 11, eo quòd instituta fuisset in memoriam præservationis ab Angelo exterminatore, ibid. ℣. 27.

Observandum 2.° solemnitatem Agni paschalis junctam fuisse cum aliâ quæ dicebatur *Azymorum,* de quâ dicitur, Exod. c. 12, ℣. 15. Duæ illæ solemnitates, etsi interdum confundantur, quia conjunctæ erant ac simul incipiebant, ut constat Exod. c. 12, ℣. 18, nihilominùs distinctæ erant ratione præcepti et ritûs, significationis et causæ, loci et durationis : solemnitas Azymorum instituta fuit in memoriam egressionis ex Egypto.

Observandum 3.° solitos fuisse Judæos festivitates suas celebrare à vesperâ diei præcedentis ad vesperam diei subsequentis; ita præscribitur Levit. c. 23, ℣. 32 : *A vesperâ usque ad vesperam celebrabitis Sabbata vestra.*

Observandum 4.° vesperam apud Judæos habere quasi duas partes : primam à solis declina-

tione seu à meridie, alteram à crepusculo post occasum solis; tempore autem medio inter has duas vesperas mundabatur domus à fermentato, deindè celebrabatur Pascha.

Observandum 3.° Judæos menses à novilunio inchoare, undè apud ipsos idem est primus dies ac prima luna : primus mensis censetur ille cujus decima quarta dies magis immediatè sequitur æquinoxium veris; dicitur *Nisan,* apud nos Martius. His observatis, sit

PROPOSITIO.

Christus celebravit Pascha legale, consequenter Eucharistiam instituit, die seu lunâ XIV *exeunte, ad secundam vesperam.*

Prob. 1.° Christus celebravit ultimam cœnam paschalem primâ die azymorum, quandò necesse erat secundùm legem occidi Pascha, et quandò Judæi illud immolabant; ita conceptis verbis asserunt tres Evangelistæ, Matth. c. 26, ℣. 17 : *Primâ die Azymorum, accesserunt discipuli ad Jesum dicentes : Ubi vis paremus tibi comedere Pascha?* ℣. 19, 20 : *Et paraverunt Pascha. Vespere autem facto, discumbebat cum duodecim discipulis suis.* Marc. c. 14, ℣. 12 : *Primo die Azymorum, quandò Pascha immolabant* (Judæi), *dicunt ei discipuli : Quò vis eamus, et paremus tibi ut manduces Pascha?* ℣. 16 : *Et paraverunt Pascha. Vespere autem facto, venit cum duodecim,* manducaturus Pascha, ut ibidem fusiùs exponitur. Luc c. 22, ℣. 7 et 8 : *Venit dies Azymorum, in quâ necesse erat occidi Pascha, et misit Petrum et Joannem, dicens : Euntes parate nobis Pascha, ut manducemus;* ℣. 13, 14 et 15 : *Et paraverunt Pascha. Et cùm facta*

esset hora, discubuit, et duodecim Apostoli cum eo, et ait illis : Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum, antequàm patiar. Atqui prima dies Azymorum, in quâ necesse erat occidi Pascha, secundùm legem, et illud immolabant Judæi, erat luna XIV, sub secundis vesperis, non verò XIII, ut volunt adversarii : 1.° quia nullibi in Scripturis dies prima Azymorum adscribitur lunæ XIII, sed lunæ XIV et XV, eo quòd XIV esset initium Festi, et XV esset ipsum Festum seu solemnitas Azymorum : atqui si prima dies solemnis Azymorum fuit XV, nihil ad illam attinet vespera secunda lunæ XIII, sed solùm secunda vespera lunæ XIV; alioquin una dies haberet tres vesperas; ergo, etc. 2.° Septem duntaxat diebus Judæi tenebantur in azymis, Exod. c. 12, ℣. 15 et 18 : *Septem diebus azyma comedetis,... quartâ decimâ die mensis ad vesperam... usque ad diem vigesimam primam ejusdem mensis ad vesperam :* atqui si prima dies Azymorum fuisset tunc XIV et incœpisset lunâ XIII ad vesperam, essent octo dies integri azymorum usque ad XXI; ergo, etc.

Et certè, ideò volunt adversarii Christum celebrasse Pascha lunâ XIII, ad vesperam, quia, juxta eos, cùm Christus sciret se sequenti die, scilicet XIV, moriturum, noluit legem inobservatam relinquere, ideòque unâ die Cœnam paschalem antevertit : atqui hæc ratio nulla est : 1.° quia gratis omninò supponitur Christus lunâ XIV moriturus; 2.° quia in illâ etiam suppositione, Christus nec debebat, nec poterat antevertere diem à lege constitutam : non debebat quidem, quia lex ante diem præfixum non obligat; deindè non poterat, quia venerat ad eam implendam usque ad *iota unum*, et unum apicem. Deindè Christus,

transgrediendo legem, offendisset Judæos, qui indè procul dubio instaurandæ in ipsum criminationis occasionem arripuissent, cùm in inquirendis adversùs eum falsis testimoniis essent tam solliciti : atqui tamen de ejusmodi transgressionibus Christum nusquàm accusàrunt; ergo Christus legem observavit, ac proindè cœnam legalem XIV die ad vesperam celebravit, eodemque die Eucharistiæ sacramentum instituit.

Prob. 2.° ex constanti Ecclesiæ Traditione, quæ maximè indè elucet, quòd cùm Asiatici contenderent celebrandum esse Pascha cum Judæis, lunâ XIV primi mensis, atque se exemplo Christi et Apostolorum tuerentur, nullus sive Pontificum, sive Patrum, ipsis opposuerit Christum cum Apostolis non celebrasse Pascha lunâ XIV sed lunâ XIII, quod sanè non omisissent in tam celebri et diuturnâ controversiâ, cùm indè funditùs everteretur opinio Quartodecimanorum.

Obj. cum Græcis varia Scripturæ testimonia, quibus confici videtur Christum antevertisse diem Paschatis à lege constitutam. 1.° Joan. c. 13, ℣. 1 et 2 dicitur : *Ante diem festum Paschæ, sciens Jesus quia venit hora ejus, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem, cùm dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos; et cœnâ factâ*, etc. : jam verò si ante festum Paschæ cœnam legalem celebravit, et Eucharistiam instituit, ergo id fecit lunâ XIII, siquidem festum Paschæ incipiebat lunâ XIV exeunte.

2.° Joan. c. 18, ℣. 28, dicitur quòd die quâ passus est Christus, Judæi non introierint prætorium, *ut non contaminarentur* (ingressu domùs viri gentilis), *sed ut manducarent Pascha*, seu agnum paschalem. Undè sic : Christus celebravit

Pascha pridiè quàm passus est : atqui ipsâ die quâ passus est, Judæi manducabant Pascha, et dies illa erat XIV ad vesperam; ergo diem solitum celebrationis Paschæ anticipavit.

3.° Joan. c. 19, ℣. 14, Christus dicitur mortuus in Parasceve Paschæ, *erat autem Parasceve Paschæ, horâ quasi sextâ :* porrò Parasceve Paschæ idem sonat ac præparatio seu vigilia Paschæ; vigilia autem Paschæ erat luna XIV; ergo Christus passus est lunâ XIV, et consequenter celebravit Pascha lunâ XIII.

4.° Christus non est mortuus in festo solemni, quæ erat prima dies Azymorum, scilicet luna XV; ergo mortuus est lunâ XIV, sicque celebravit Pascha lunâ XIII. *Antecedens* patet ex his Judæorum verbis, apud Matth. c. 26, ℣. 5 : *Non in die festo, ne fortè tumultus fieret in populo.* Deindè prohibitum erat Judæis actus judiciales exercere in festo solemni. Postremò, ipsâ die mortis Christi, piæ mulieres emerunt et paraverunt aromata in sepulturam Christi : at nihil operis fieri licebat die festo, iis exceptis quæ ad vescendum pertinent, Exod. c. 12; ergo, etc.

Resp. ad 1.um *Dist. maj.* Ultima cœna facta dicitur ante festum diem Paschæ naturalem, sive etiam usualem, *conc.;* legalem, *subdist.* Solemnem ac minùs festivum, *conc.;* festivum simpliciter et absolutè, *nego.* Dies naturalis exordium ducit ab ortu solis, et terminatur ad ortum subsequentem; dies verò usualis à mediâ nocte ad mediam noctem producitur; dies autem legalis seu festiva, ab unâ vesperâ ad aliam proximè sequentem : porrò cœna in quâ Christus Eucharistiam instituit, facta dicitur ante diem festum Paschæ naturalem, sive usualem; namque facta

est ad vesperam secundam lunæ XIV, quæ ad diem XV sequentem naturalem, seu usualem non pertinebat, licèt pertineret ad solemnitatem festi diei XV, quo sensu dicimus vigiliam alicujus festi, ritu ecclesiastico, ad festum ipsum pertinere, tametsi solemnitas die subsequenti celebretur. Igitur lunâ XIV, ad vesperam, inchoabatur festum Paschatis et Azymorum; solemnis autem festivitas ad diem XV subsequentem pertinebat; utrumque disertè distinguit Scriptura, Num. c. 28, ℣. 16 et 17 : *Mense primo, quartadecimâ die mensis, Phase Domini erit, et quintadecimâ die, solemnitas.*

Resp. ad 2.um Hæc verba, *ut manducarent Pascha*, non intelliguntur de agno paschali, qui lunâ XIV ad vesperam, ex legis præscripto, manducandus erat, sed de cibis paschalibus, scilicet de azymis, de bobus et ovibus, de quibus sermo est Deuter. c. 16, ℣. 2, qui totis septem diebus azymorum immolabantur, et manducabantur, et ideò nomine *Paschæ* vocabantur, nec nisi à Judæis mundis poterant manducari, Levit. c. 22, ℣. 3. Quapropter, cùm timerent ne ingressu domûs viri gentilis et profani contaminarentur, sicque impedirentur cibos paschales manducare, Christum in prætorium Pilati submiserunt, sed ipsi non introierunt.

At, *inquies*, nullibi in Scripturâ victimæ quæ septem diebus Azymorum comedebantur, nomine Paschatis appellantur; ergo nulla responsio.

Resp. Nego ant. Namque Deuter. c. 16, ℣. 2 et 3, legitur : *Immolabis Phase*, id est, Pascha *Domino Deo tuo de ovibus et de bobus... Non comedes in eo panem fermentatum; septem diebus comedes absque fermento afflictionis pa-*

nem. Undè sic argumentari licet : Illud in quo, seu cum quo, ut fert textus Samaritanus, præcipitur comedi azymos septem diebus, clarè dicitur Pascha : atqui illud certè non est ipse agnus paschalis, qui totus erat comedendus primâ nocte azymorum, ita ut, si quid residui esset, ante auroram comburendum foret, Exod. c. 12, ℣. 10; sed aliæ victimæ, oves, boves, etc., quæ septem diebus comedebantur; ergo constat ex Scripturâ quòd, quamvis agnus paschalis tanquam præcipua victima principaliùs ac specialiùs Pascha nominetur, aliæ tamen victimæ etiam Pascha nominantur.

Resp. ad 3.um Parasceve Paschæ non significat præparationem ad Pascha, sed præparationem ad sabbatum, quæ, cùm illo anno in ipsâ solemnitate Paschatis incideret, dicta est Parasceve Paschæ, eo ferè modo quo apud nos dicitur Dominica Passionis, Dominica Pentecostes. Hanc interpretationem legitimam esse constat, tum ex Scripturâ, Joan. c. 19, ℣. 31, ubi loquens de eodem die quo Christus passus est, ait : *Judæi ergo (quoniam parasceve erat), ut non remanerent in cruce corpora sabbato (erat enim magnus dies ille sabbati), rogaverunt Pilatum*, etc.; et Marc. c. 15, ℣. 42 : *Erat parasceve quod est ante sabbatum;* item, Luc. c. 23, ℣. 54 : *Dies erat parasceves, et sabbatum illucescebat ;* tum quia nulla erat parasceve seu præparatio ad festa, sed ad sabbatum duntaxat : namque in solo sabbato vetitum erat cibos præparare, qui ideò pridiè parari debebant; et in aliis festis, opus quidem servile prohibitum erat, sed iis exceptis quæ pertinent ad vescendum, ita expressè Exod. c. 12, ℣. 16.

Resp. ad 4.um Nego ant. Ad primam ejus probationem, fateor Judæos ante biduum, dùm consilium fecerunt ut Jesum dolo tenerent et occiderent, dixisse, *non in die festo,* non Religionis causâ, sed *ne tumultus fieret in populo;* et vel illorum qui loquebantur opinio non prævaluit, vel datâ opportunitate perdendi Jesum ex proditione Judæ mutaverunt consilium, ipsâ nocte solemnitatis paschalis, Jesumque ipsâ die solemni ad mortem postulàrunt, eàdemque die sententia lata est, et exsecutioni mandata, ut constat ex Evangelistis, et hæc est communis SS. PP. sententia.

Ad secundam probationem, Esto fuerit lex prohibens actus judiciales die festo, quod negat Judæus Maimonides, lib. Hilkot, cap. 4: quid mirum est, qui omnia naturalis æquitatis ac Religionis jura violabant, etiam levem legem contempsisse, aut se pro bono communi ad eam observandam non teneri existimasse?

Ad tertiam probationem, præparare aromata in sepulturam Christi eumque sepelire, erat opus misericordiæ et Religionis, quod non prohibebatur in die festo, ut patet exemplo Tobiæ, qui diebus festis, post solis occasum, mortuos sepeliebat, Tob. c. 2, ℣. 4.

COROLLARIUM.

Ergo Christus, instituens Eucharistiam, pane azymo usus est; namque, ex probatis, Christus instituit Eucharistiam post cœnam legalem, primâ die Azymorum, quâ omne fermentatum, ex legis præscripto, è domibus Hebræorum ejiciebatur; ergo, cùm Christus legis observantissimus fuerit, panem azymum in conficiendâ Eucharistiâ adhibuit.

PARS SECUNDA.

DE EUCHARISTIA PROUT EST SACRIFICIUM.

Eucharistia, prout est sacrificium, apud Græcos *Liturgia*, apud Latinos *Missa* appellatur. Non consentiunt Theologi undè Missæ nomen derivetur : alii deductum existimant à voce hebraicâ, *Missah*, quæ Deuteron. c. 16, ℣. 10, oblationem significat; alii à verbo, *mitto*, seu à *missione* populi, cui Diaconus, peractâ re sacrâ, dicit : *Ite, missa est*, id est, dimissa est congregatio. Quia verò olìm duplex erat dimissio, altera Catechumenorum et pœnitentium, quibus ante offertorium clamabat Diaconus : *Exite, Catechumeni, Pœnitentes, indigni;* altera fidelium, in fine liturgiæ : hinc Missæ Catechumenorum et fidelium distinctio.

Missa definitur, *Sacrificium novæ legis, in quo Christus offertur et incruentè immolatur, sub speciebus panis et vini.*

Sex capitibus hanc secundam partem absolvemus : 1.um erit de existentiâ sacrificii Missæ; 2.um de ipsius essentiâ; 3.um de illius effectibus et valore; 4.um de ministro; 5.um de subjecto; 6.um deniquè de his quæ ab Ecclesiâ præscribuntur circa Missæ celebrationem. Quædam præmittentur.

Notiones de Sacrificio in genere.

Sacrificii nomen sumi potest vel *latè* et *impropriè,* pro omni opere bono quod in gloriam Dei cedit, quo sensu dicitur, Ps. 50, *Sacrificium Deo*

spiritus contribulatus, vel *propriè* et *strictè*, et sacrificium eo sensu acceptum solet definiri, *Oblatio rei sensibilis, cum ejusdem destructione vel immutatione, soli Deo per legitimum ministrum facta, præsertìm ad recognoscendum ejus in res omnes creatas dominium.*

Dicitur 1.°, *oblatio*, quæ vox locum tenet generis, quatenùs per eam sacrificium convenit cum aliis oblationibus, v. g., bonorum operum.

Dicitur 2.°, *rei sensibilis,* sive animata sit res illa, sive inanimata; etenim sacrificium est actio quâ homines in unius ejusdemque Religionis cultum coadunati, publicum honorem Deo exhibent: atqui actio quæ et homines in unum cultum coadunat, et publicum Deo honorem exhibet, debet esse sensibilis; neque enim homines aliter inter se quàm per signa sensibilia communicare possunt.

Dicitur 3.°, *cum ejusdem destructione vel immutatione;* quidquid enim sacrificatur, aliquatenùs destrui debet, ut patet ex omnibus Judæorum vel Gentilium sacrificiis, in quibus aut occidebantur animalia, aut fruges saltem ex parte torrebantur, aut fundebantur liquores, aut res odoriferæ cremabantur. Absolutè tamen non requiritur physica destructio, sed moralis seu virtualis sufficit, ut liquet ex sacrificio hirci emissarii, qui non occidebatur, sed in desertum emittebatur, Levit. 16.

Dicitur 4.°, *soli Deo facta,* quia soli Deo reddi debet supremus latriæ cultus, quem sacrificium importat.

Dicitur 5.°, *per legitimum ministrum;* sacrificium enim ministros specialiter deputatos exigit, ut potè opus Religionis publicum et præstantissimum.

Dicitur 6.°, *præsertìm ad recognoscendum Dei dominium in res omnes creatas,* is est enim primarius sacrificii finis : quâ ex parte, à sacramento distinguitur, cujus finis directus et primarius est hominis sanctificatio.

Sacrificia ab exordio mundi præcipua fuêre pars cultûs divini, et innumera fuêre in lege mosaicâ, quorum ipse Deus sigillatìm ritus, formam et materiam præscribere non dedignatus est, ut ex Scripturâ satis constat. Imò apud omnes gentes ipsosque Paganos semper obtinuêre. Quâ de re consuli possunt auctores citati apud D. *Le Maistre, Eclaircissement sur les sacrifices,* ad calcem tom. 2, *Soirées*, etc.

Jam verò, si sacrificia spectentur ratione finis, quadruplicis generis distinguuntur, scilicet *latreutica,* quorum finis est supremum agnoscere Dei in omnes creaturas dominium; *eucharistica,* pro gratiis Deo agendis; *propitiatoria,* quæ pro consequendâ peccatorum veniâ offerebantur; tandem *impetratoria,* ad aliquod beneficium à Deo obtinendum.

Omnia hæc sacrificia in usu fuisse apud Judæos sacræ paginæ testantur; sed, ut benè notat Apostolus, I Cor. c. 10, ℣. 11, *in figurâ contingebant illis,* et per multiplex illud sacrificiorum genus, mysterium Christi variè præsignabatur. Undè meritò Augustinus, Enarrat. in Ps. 39 : *In victimis pecorum quas offerebant Judæi, sicut re tantâ dignum erat, prophetiam celebrabant futuræ victimæ quam Christus obtulit.*

CAPUT PRIMUM.

De Existentiâ Sacrificii Missæ.

Quòd Christus in arâ crucis sacrificium verè et realiter obtulerit, res est apud Christianos omnes inconcussa, in quâ tota Religionis œconomia fundatur. Omnes pariter agnoscunt sacrificium istud essentiâ unicum fuisse, docente Apostolo ad Hebræos, c. 10, ỳ. 14 : *Unâ oblatione..... consummavit* Christus *in sempiternum sanctificatos.* At insuper profitentur Catholici illud idem sacrificium quotidiè renovari in Missâ, ubi corpus et sanguis Christi Deo Patri realiter offeruntur.

Hæretici qui præsentiam Christi realem rejiciunt, Zuingliani, Calvinistæ, etc., consequenter negant Missam verum esse et propriè dictum sacrificium. Id pariter inficiantur Lutherani, licèt præsentiam realem admittant; imò et ipse Lutherus prædicare non eruhuit, sibi à dæmone suggestum ac persuasum fuisse, Missæ sacrificium esse abrogandum, lib. de Missâ Privatâ. Contra quos sit

PROPOSITIO.

In Missâ Deo offertur verum ac propriè dictum Sacrificium.

Est de fide, à Concilio Tridentino definita, Sess. 22, can. 1 : *Si quis dixerit, in Missâ non offerri Deo verum et proprium sacrificium, aut quòd offerri non sit aliud quàm nobis Christum ad manducandum dari, anathema sit.* Hoc dogma confirmat S. Synodus can. seqq., et fusiùs explicat cap. 1 et 2.

Prob. 1.° *ex Scripturâ.* Ps. 109 : *Tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech.* Ex his autem docent SS. PP. præfiguratum fuisse Eucharistiæ sacrificium, quod in pane scilicet et vino, juxta ritum Melchisedecis, in Ecclesiâ offertur : ita Clemens Alex., lib. 4. Strom.; S. Epiphanius, Hæres. 55 ; S. Hieron., in Epist. ad Marcellam; S. Aug., lib. 16 de Civit. Dei, cap. 22 ; S. Ambros.; S. Chrysost. Instar omnium sit S. Cyprianus, Ep. 68, ad Cæcilium : *Quis magìs Sacerdos Dei summi, quàm Dominus noster Jesus Christus, qui sacrificium Deo obtulit ? et obtulit hoc idem quod Melchisedech obtulerat, id est, panem et vinum, suum scilicet corpus et sanguinem.* Hanc SS. PP. interpretationem confirmant Patres Tridentini, Sess. 22, cap. 1 : Christus *Sacerdotem secundùm ordinem Melchisedech se in æternum constitutum declarans, corpus et sanguinem suum sub speciebus panis et vini Deo Patri obtulit.*

Malachiæ c. 1, ℣. 10 et 11 : *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum : et munus non suscipiam de manu vestrâ. Ab ortu enim solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus : et in omni loco sacrificatur, et offertur nomini meo oblatio munda.* Ibi Deus Judæos alloquens, duo prænuntiat, veterum scilicet sacrificiorum abrogationem, et institutionem novi meliorisque sacrificii in omni loco offerendi; nam voces, *offertur, sacrificatur,* licèt in præsenti, certissimè futurum denotant ex usu prophetarum valdè familiari : atqui novum illud sacrificium, nullum aliud esse potest quàm sacrificium Missæ. Vel enim hæc oblatio munda, de quâ Malachias, ipsa est eucharistica oblatio, vel

agitur eò loci de sacrificiis Gentilium, aut de sacrificiis Judæorum, aut de sacrificio crucis, aut de sacrificio impropriè dicto bonorum operum : atqui nihil horum dici potest. Non 1.um : dicit enim Propheta hanc oblationem esse mundam : at certè sacrificia Ethnicorum non erant oblationes mundæ; ergo, etc. Non 2.um : oblatio enim de quà agitur, est oblatio de novo instituenda, et præcisè subroganda in locum sacrificiorum judaicorum, quæ Deus rejicit, ut patet ex contextu : *Munus non suscipiam de manu vestrâ.* Non 3.um : nam sacrificium crucis, nec inter gentes, nec in omni loco oblatum est, sed semel, et Jerosolymis, et in uno Calvario monte. Non 4.um deniquè, id est, sermo non fit de sacrificio spirituali bonorum operum : nam vox, *minchah, oblatio,* quam Propheta adhibet, sacrificium propriè dictum, veram oblationem semper exprimit; aliundè Malachias novum designat sacrificium quod successurum est sacrificiis judaicis, et illa excludere debet : at sacrificia spiritualia bonorum operum nunquàm simpliciter et sine addito sacrificia vocantur; nec nova appellari possunt, quippè quæ ab exordio mundi apud Patriarchas et sanctos viros procul dubio obtinuerint, et ætate quâlibet apud Judæos continuata fuerint; superest ergo ut Propheta, nomine oblationis mundæ, sacrificium Eucharistiæ prænuntiaverit.

Ita Patres unanimi consensu : vide Bellarminum, de Missâ, lib. 1, cap 10.

Ad Hebr. c. 13, ℣. 10 : *Habemus altare, de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deserviunt.* I Cor. c. 10, ℣. 16 : *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? et panis, quem*

frangimus, nonne participatio corporis Domini est? ℣. 18 : *Videte Israel secundùm carnem : nonne qui edunt hostias, participes sunt altaris?* ℣. 20 : *Quæ immolant gentes, dæmoniis immolant et non Deo. Nolo autem vos socios fieri dæmoniorum.* ℣. 21 : *Non potestis mensæ Domini participes esse, et mensæ dæmoniorum.* Undè sic : In his textibus, eodem sensu Apostolus accipit altare Christianorum, et altare Judæorum; mensam dæmoniorum, et mensam Domini, ut patet ex paritate quam instituit : atqui per altare Israel intelligit verum altare, in quo offerebantur sacrificia; item, per mensam dæmoniorum intelligit altare Gentilium, in quo immolabant victimas diis suis; ergo à pari, per mensam Domini intelligit altare in quo offertur sacrificium, et immolatur vera victima, de quà *edere non habent potestatem* quicunque non baptizati sunt : porrò hæc victima nihil aliud est quàm corpus et sanguis Christi Domini; ergo, etc.

Prob. 2.° *ex Traditione.*

1. *Ex Conciliis.* Expressam sacrificii mentionem faciunt Concil. Nicæn. I, Chalcedonense : Concilium Ephesinum I, declaratione 11, anath. 2 : *Sanctum ac vivificum incruentumque in Ecclesiis sacrificium peragimus : corpus quod proponitur, similiter et pretiosum sanguinem non communis, nobisque similis hominis cujuspiam esse credentes, sed potiùs tanquam proprium corpus effectum, et sanguinem etiam Verbi quod omnia vivificat, accipientes.* Ita etiam et Toletanum IX, Lateranense IV, etc.

2. *Ex SS. PP.* S. Justinus, II seculo, Dial. cum Tryphone : *Universos igitur qui per nomen istius* (Christi) *sacrificia offerunt..... in Eucha-*

ristiâ panis et calicis, quæ in loco omni à Christianis fiunt, prævertens Deus gratos sibi esse testificatur.

S. Irenæus, lib. 4 advers. Hær. cap. 23 : *Eum qui ex naturâ panis est accepit, et gratias egit, dicens : « Hoc est corpus meum »..... Et novi Testamenti novam docuit oblationem, quam Ecclesia ab Apostolis accipiens, in universo mundo offert Deo.... Malachias sic præsignificavit, etc.* Ita et Tertullianus, et cæteri omnes, quorum testimonia partim indicavimus; ii enim, ne uno quidem excepto, modò de sacrificio Eucharistiæ præfata Davidis et Malachiæ vaticinia interpretantur; modò utuntur, de Eucharistiâ disserentes, verbis *oblationis*, *victimæ*, *sacrificii*; hujus ministros vocant *Sacerdotes*, et ad celebrandam Eucharistiam requirunt *altaria*; tandem aiunt eos qui offerunt *immolare*, *mactare*, *sacrificare*, etc. : atqui hæc omnia sunt sensu vacua, si Missa non sit verum et propriè dictum sacrificium. Cæterùm, ita expressa est Traditio, ut et ipsi eam nobis dimittant adversarii; sic enim habet Lutherus, lib. de abrog. Missâ : *Hìc non moramur, si clamitent Papistæ, Ecclesia, Ecclesia, Patres, Patres; quia, ut dixi, hominum dicta aut facta nihil in tam magnis curamus. Scimus enim ipsos Prophetas lapsos esse, adeòque Apostolos. Verbo Christi judicamus Ecclesiam, Apostolos et Angelos.* Alibi dixerat nihil se curare, si *mille Augustini et mille Cypriani* contra se stent.

3. *Ex Liturgiis.* In omnibus enim totius orbis christiani liturgiis resonant voces, *sacrificium, immolatio, sacerdotium, hostia, victima,* quæ est Christus realiter præsens : atqui illæ

liturgiæ nobis exhibent fidem omnium Ecclesiarum, et quidem fidem antiquam, cùm ipsæ sint antiquissimæ, et attribuantur SS. Jacobo, Marco, Basilio, Chrysostomo. Insuper similes reperiuntur liturgiæ apud sectas sibi infensissimas, jam ab Ecclesiæ quarto seculo à nobis separatas, Nestorianos scilicet, Armenos, Cophtas aliosque Orientales. Vide opus P. *Le Brun, Cérémonies de la Messe.*

Hinc exsurgit argumentum præscriptionis : Seculo quo prodière Sacramentarii, erat fides universalis Ecclesiæ, Eucharistiam esse sacrificium veri nominis; ergo vel semper viguerat ista fides, vel dicendum contigisse mutationem : sed posterius repugnat; ergo, etc.

Prob. 3.° *Rationibus Theologicis.*

1.ª Ab origine mundi semper et ubique sacrificium fuit vinculum Religionis apud homines, ita ut nulla unquàm gens aut Religio exstiterit quæ sacrificia non offerret; ergo conveniens fuit ut Religio Christiana omnium perfectissima, hoc firmissimo vinculo non careret, ne ex hâc parte cæteris inferior videretur : sed, sublato eucharistico sacrificio, nihil aliud est quod rationem sacrificii habeat; ergo, etc.

2.ª Missa omnibus gaudet veri sacrificii dotibus; ergo verè et propriè est sacrificium. *Prob. ant.* Suppositâ enim veritate præsentiæ realis, quam in primâ parte adstruximus, jam in Missâ adest *victima,* corpus nempè et sanguis Christi; est oblatio *rei sensibilis* per species eucharisticas, quibus Christus visibilis redditur; *soli Deo* offertur, ut alibi dicemus; et quidem *per legitimum ministrum,* sive quia Christus est principalis Sacerdos, sive quia requiritur ad conficiendam

Eucharistiam minister sacerdotali charactere insignitus; fit per aliquam *rei destructionem*, saltem moralem, ut in capite sequenti exponemus; tandem pro fine habet testari *supremum Dei dominium* supra omnes creaturas.

Obj. 1.° Apost. ad Hebr. c. 9, ℣. 12, dicit de Christo : *Per proprium sanguinem introivit semel in sancta, æternâ redemptione inventâ;* et c. 10, ℣. 14 : *Unâ oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos.* Undè sic arguere licet : Sacrificio crucis consummata est hominum redemptio et sanctificatio, et facta est plena peccatorum remissio : atqui ex Apost. ibid., ℣. 18, *ubi* peccatorum *remissio, jam non est oblatio* rursùs facienda *pro peccato ;* ergo præter sacrificium crucis nullum debet admitti in novâ lege.

Resp. Dist. maj. Consummata est hominum redemptio et sanctificatio, et facta est plena peccatorum remissio, quantùm ad plenam pro peccatis nostris satisfactionem, seu quoad solutionem pretii redemptionis nostræ, *conc. ;* quoad applicationem illius satisfactionis, *nego.* Itaque Christus per unicum crucis sacrificium omne redemptionis nostræ pretium abundè persolvit, nec alio ad id opus est sacrificio : undè necesse non est ut Christus denuò per proprium sanguinem intret in sancta, et novam inveniat redemptionem, quasi sacrificium crucis impar esset redemptioni hominum. Verùm inutilis foret respectu nostrî valor sacrificii crucis, nisi nobis applicaretur : applicatur autem per Missæ sacrificium; ergo sacrificium Missæ non potest inutile dici, eo quòd totum redemptionis nostræ pretium solutum sit sacrificio crucis. Præterea, sacrificium crucis et sacrificium Missæ sunt unum et idem

sacrificium, quoad substantiam : idem est utrobiquè Sacerdos, et eadem hostia; sola offerendi ratio diversa est; ergo reverà unâ oblatione fit hominum sanctificatio, et plena peccatorum remissio.

Obj. 2.° Id unum fit in Missâ, quod fecit Christus in ultimâ cœnâ : atqui Christus in ultimâ cœnâ non obtulit sacrificium; si enim tunc seipsum Deo Patri obtulisset in sacrificium, tunc redemptionis nostræ opus consummatum fuisset, ob dignitatem infinitam victimæ oblatæ : atqui falsum est tunc consummatam fuisse redemptionem nostram; quippe Scripturæ testantur Christum nos redemisse per mortem suam : *Chirographum decreti quod erat contrarium nobis* delevit, inquit Apost. ad Colos. c. 2, ℣. 14, *affigens illud cruci;* ergo, etc.

Resp. Nego min. Namque ex verbis institutionis Eucharistiæ, *Hoc est corpus meum quod pro vobis datur; Hic est sanguis meus qui pro vobis* (Græcè) *funditur*, docent SS. PP. et Concilia, Christum non solùm sacramentum, sed et *novi Testamenti novam docuisse oblationem, quam Ecclesia ab Apostolis accipiens, in universo mundo offert Deo*, inquit S. Iræneus.

Ad Prob. Nego maj. Ut enim consummaretur opus redemptionis nostræ, necesse erat ut Christus hanc vel illam actionem in eum finem ordinaret : porrò Christus incruentum suî in ultimâ cœnâ sacrificium non ordinavit ad consummationem redemptionis nostræ, sicuti nec ad eam ordinavit effusum in circumcisione suâ sanguinem, vel preces et jejunia sua, quæ tamen redemptioni nostræ satis superque fuissent.

Objectionem petitam ex defectu veræ immolationis solvet caput sequens.

CAPUT II.

De Essentiá Sacrificii Missæ.

In sacrificio duo distingui debent, res ipsa quæ offertur, et actio Sacerdotis quâ perficitur sacrificium. Jam verò quæritur 1.° quænam sit oblationis materia seu victima in sacrificio Missæ, 2.° quâ actione illud sacrificium consummetur.

ARTICULUS PRIMUS.

De Materiâ seu Victimâ sacrificii Missæ.

Catholici omnes uno ore docent corpus et sanguinem Christi, sub speciebus eucharisticis Deo oblata, esse victimam sacrificii Missæ, ita ut, absque veritate præsentiæ realis Christi in Eucharistiâ, nullum jam foret sacrificium.

Hæretici quidam, dogma præsentiæ realis rejicientes, ut tamen sacrificii nomen retineant, docent sacrificium Christianorum non consistere in oblatione corporis et sanguinis Christi, sed tantùm in nudâ commemoratione et repræsentatione sacrificii crucis; undè, juxta ipsos, sepositâ etiam præsentiâ reali, nihilominùs Eucharistia rationem sacrificii haberet, quatenùs exhiberet memoriam sacrificii crucis.

Hanc opinionem imprimìs tuitus est P. *Le Courayer*, Canonicus regularis S. Genovefæ, in duplici opere sub his titulis edito, an. 1723 et 1926, *Dissertation sur la validité des ordinations des Anglais*, et *Défense de la dissertation, etc.* Ibi probare nititur auctor, Anglos,

etiamsi præsentiam realem negarent, habere tamen verum sacrificium, quia in Cœnâ mortis Christi commemorationem celebrant. Utrumque scriptum censurâ confixerunt plures magni nominis Episcopi, Parisiis extraordinariè jussu Regis congregati. Auctor autem, à congregatione suâ excommunicatione percussus, in Angliam concesit, ubi laureâ Oxoniensis Doctoris insignitus est.

PROPOSITIO.

Ad sacrificium Missæ necessariò prærequiritur præsentia realis Christi in Eucharistiâ, nec sufficit nuda commemoratio passionis.

Prob. 1.° *ex Conc. Trid.*, quod Sess. 22, cap. 1, de institutione sacrificii eucharistici loquens, hæc habet : Christus *ut dilectæ sponsæ suæ Ecclesiæ visibile, sicut hominum natura exigit, relinqueret sacrificium, quo cruentum illud, semel in cruce peragendum repræsentaretur,.... Sacerdotem secundùm ordinem Melchisedech se in æternum constitutum declarans, corpus et sanguinem suum sub speciebus panis et vini Deo Patri obtulit ;.... ac Apostolis.... eorumque in sacerdotio successoribus, ut offerrent, præcepit per hæc verba, Hoc facite in meam commemorationem.* Undè sic argumentor : Christus, in Ecclesiâ suâ visibile instituere sacrificium volens, eo præcisè fine, corpus et sanguinem suum verè et substantialiter obtulit, eodemque modo deinceps à Sacerdotibus offerri voluit ; ergo tota ratio et essentia sacrificii in incruentâ corporis sui oblatione reponitur.

Capite 2, testatur idem Concilium, in divino sacrificio,

sacrificio, quod in Missâ peragitur, eumdem Christum contineri, et incruentè immolari, qui in arâ crucis semel seipsum cruentè obtulit; et can. 3, anathemate plectit eos qui dixerint sacrificium Missæ esse nudam commemorationem sacrificii in cruce peracti; ergo sacrificium Missæ consistit non in solâ commemoratione mortis Christi, sed in incruentâ immolatione Christi realiter præsentis.

Prob. 2.° *ex SS. PP.* S. Ignatius Martyr, Epist. ad Smyrnenses, de Hæreticis loquens qui carnem tantùm phantasticam in Christo admittebant: *Ab Eucharistiâ et oblatione se abstinent, eo quòd non confitentur Eucharistiam esse carnem Salvatoris nostri Jesu Christi;* ergo Hæreticis persuasum erat à præsentiâ reali ita sacrificium pendere, ut, sublatâ illâ, jam oblatio nulla fieri posset. Reverà in quibusdam exemplaribus loco *oblatione*, legitur *oratione;* sed prætequàm quòd nostra lectio sit antiquior, et à Theodoreto, V seculi auctore, exhibeatur, altera lectio minimè nocet; compertum est enim Missam antiquitùs diversimodè designatam fuisse nomine *orationis*, *liturgiæ*, etc.; nec alius esse potest S. Ignatii sensus; nulla enim foret ratio ab oratione, id est, à precibus communibus abstinendi, etiamsi crederetur phantasticam fuisse carnem Christi.

S. Aug., lib. 2 contra Faustum, cap. 18: *Jam Christiani peracti ejusdem in cruce sacrificii memoriam celebrant sacrosanctâ oblatione et participatione corporis.* Similiter et cæteri Patres, qui loquentes de sacrificio Christianorum, ita hæc duo expressè conjungunt, realem nempè Christi præsentiam, et ideam sacrificii, ut agnoscendum

sit illos credidisse in præsentiâ reali fundari sacrificium, nec sine illâ sacrificium existere posse.

Prob. 3.° *Rationibus theologicis*. 1.ª Sacrificium Missæ est verum et proprium sacrificium: atqui ad verum et proprium sacrificium requiritur res aliqua sensibilis, quæ Deo offeratur; ergo reperire debemus in Missâ rem illam sensibilem, quæ sit materia oblationis: porrò nuda commemoratio et repræsentatio sacrificii crucis, quæ nihil est sensibilis, sed tota existit in mente offerentis, non potest dici illa materia sacrificii; ergo, etc.

2.ª Ex doctrinâ catholicâ, sacrificium Missæ non differt à sacrificio crucis, nisi offerendi modo; cæterùm una est hostia, unum sacrificium: atqui, in opinione adversariorum, sacrificium Missæ totaliter differret à sacrificio crucis, non solùm quoad offerendi modum, sed etiam ratione victimæ, quæ præsens realiter in uno, in altero tantùm repræsentaretur. Nec etiam unicum sacrificium constitueret Missa cum sacrificio crucis; imago enim et umbra realiter distinguuntur ab objecto repræsentato; ergo, in illâ hypothesi, varia Missæ sacrificia non magis cum sacrificio crucis unicum constituerent sacrificium, quàm variæ immolationes veteris legis, unum efformare dici possunt cum immolatione Christi, quam tamen præsignabant.

Igitur meritò observat Bossuetius, *Exposition de la doctrine de l'Eglise Catholique*, n.° 14, totam litem de sacrificio, si bonâ fide ageretur, ad solam redigendam esse de præsentiâ reali controversiam.

Obj. cum Courayerio permulta Patrum, Theologorum et Controversistarum testimonia, in qui-

bus sacrificium Missæ vocatur *similitudo*, vel *memoria*, vel *commemoratio* sacrificii crucis; sacrificium *non absolutum*, sed *commemorativum*; sacrificium *spirituale* duntaxat, *mysticum*, *symbolicum*: ita præcipuè inter recentiores Vasquesius, Veronius, Card. *Du Perron*, Bossuetius, etc.: atqui ad sacrificium commemorativum et mysticum, etc., non requiritur realis Christi præsentia; ergo Missa est sacrificium, independenter à præsentiâ reali.

Resp. Dist. maj. Missa est sacrificium repræsentativum, ratione finis, *conc.*; ratione substantiæ, *nego*. Item, Missa dicitur sacrificium mysticum et spiritale, ratione immolationis, *conc.*; ratione victimæ, *nego*. Itaque præsens difficultas, quam tantâ animi fiduciâ proferunt adversarii, in æquivoco fundatur, et facilè evanescet, si hæc tria in sacrificio sedulò distinguantur, scilicet finis sacrificii, substantia seu victima quæ offertur, immolatio quâ victimâ sacrificatur. Porrò in Missæ sacrificio, finis est commemoratio passionis Christi, ut præcepit Dominus his verbis: *Hoc facite in meam commemorationem*, quod explicat ipse Apostolus dicens: *Quotiescumquè manducabitis panem hunc* (id est, corpus Domini), *mortem Domini annuntiabitis donec veniat*. Victima autem sacrificii est ipsemet Christus; immolatio verò non est realis et cruenta; Christus enim *jam non moritur, mors illi ultrà non dominabitur*; sed immolatio fit tantùm in figurâ, in symbolis, ut inferiùs exponetur. Undè, pro vario respectu, Missa dici potest sacrificium *verum*, sacrificium *repræsentativum*, sacrificium *mysticum*: *verum*, respectu victimæ, verè et realiter præsentis, non in signo solùm; *repræsentati-*

vum, ratione finis, qui est commemoratio passionis Christi; tandem *mysticum*, respectu immolationis, quæ sine effusione sanguinis in symbolo peragitur.

Ut autem manifestum sit talem esse sententiam Theologorum aut Patrum qui nobis objiciuntur, hæc verba ipsius Vasquezii describemus, Disput. 222, cap. 8: *Est tamen valdè observandum ad sacrificium commemorativum, quod verè et propriè sacrificium dicitur, non satis esse, si solùm sit signum nudum mortis alicujus rei, nullo modo in se continens rem ipsam cujus mors repræsentatur: sic enim non diceretur res illa, cujus mors repræsentatur, in sacrificium offerri; neque verè commemorativum sacrificium, quin potiùs signum tantùm et larva sacrificii esset; sed necessariò requiri ut res ipsa cujus mors repræsentatur, sit signum mortis suî ipsius: v. g., si vera esset sententia Hæreticorum, qui negant sub speciebus panis et vini esse corpus et sanguinem Christi, et substantia panis et vini ibi esset, repræsentari quidem posset mors Christi, ut ipsi Hæretici etiam concedunt, at Christus in sacrificium, non verè et reipsâ, sed tantùm in figurâ offerretur.* Et paulò inferiùs hæc subjungit: *Quamvis* (Christus) *non dicatur reipsâ et verè, sed in solâ similitudine occidi et mori, tamen verè et reipsâ immolari et in sacrificium offerri dicitur.*

ARTICULUS II.

Quâ actione perficiatur sacrificium Eucharistiæ.

Sex distinguuntur in Missâ præcipuè actiones: 1.ª est oblatio panis et vini, quæ offertorium dicitur, et consecrationem præcedit; 2.ª ipsa est

consecratio; 3.ª oblatio corporis et sanguinis, post consecrationem, quæ fit his verbis: *Undè et memores.... offerimus præclaræ majestati tuæ.... hostiam puram... etc.;* 4.ª fractio et commixtio specierum; 5.ª communio, id est, sumptio sacramenti, à celebrante facta; 6.ª tandem distributio sacramenti fidelibus.

Hinc nata quæstio, in quâ harum actionum sit reponenda essentia sacrificii de quâ duobus paragraphis agendum.

§ I.

Exponuntur simul et refelluntur quædam Opiniones.

Ut breviter rem conficiamus, statuimus 1.º rationem sacrificii non consistere in oblatione panis et vini ante consecrationem, tum quia oblatio illa mera est præparatio ad sacrificium; tum quia, ex mente S. Synodi Trid., in sacrificio novæ legis res oblata est ipse Christus: porrò in offertorio non ipse Christus, sed nuda panis offertur substantia.

2.º Essentia sacrificii non est reponenda in oblatione corporis et sanguinis Christi post consecrationem, quia non legitur Christum talem adhibuisse oblationem. Deindè, actio sacrificii debet fieri in nomine Christi, qui est principalis Sacerdos, verèque seipsum Deo Patri, hominum ministerio, exhibet: atqui oblatio illa non fit in nomine Christi, sed Ecclesiæ, ut demonstrant Canonis verba: *Undè et memores nos servi tui,... offerimus, etc.;* ergo, etc. Demùm, ad sacrificium requiritur aliqua victimæ immutatio: sed oblatio de quâ agitur nullam, ne mysticam quidem, mutationem inducit in corpore Christi; ergo, etc.

3.° Fractione et commixtione specierum non perficitur sacrificium, et hæc est decretoria ratio quòd, si fractio illa et commixtio ad essentiam sacrificii pertinerent, non possent omitti, quin simul deficeret sacrificium : porrò, ex auctoritate D. Thomæ, 3 part., quæst. 83, art. 6, ad 6.um, *fractio hostiæ consecratæ et quòd una sola pars mittatur in calicem, respicit corpus mysticum.., et ideò horum prætermissio non facit imperfectionem sacrificii, ut propter hoc sit necesse aliquid reiterare circa celebrationem hujus sacramenti* : ita S. Doctor. Insuper docet Rubrica Missalis Romani, quòd, si fortè hostia in calicem decidat, nondùm factâ fractione, tùm, propter sanguinem quo delibuta est, frangi non debet : atqui tamen plenum et integrum esset sacrificium; ergo, etc.

4.° Essentia sacrificii nullatenùs consistit in distributione sacramenti fidelibus factâ. Etenim solus Sacerdos, ex omnium consensu, est minister conficiens sacrificium : atqui Diaconi, ex antiquo jure, distributionis facultatem habent; ergo si distributione perficeretur sacrificium, jam Diaconi ipsius ministri conficientes forent. Aliundè, definivit Conc. Trid. Sess. 22, c. 6, Missas privatas, in quibus solus Sacerdos communicat, non esse illicitas, nec abrogandas. Tandem distributio corporis supponit jam peractum sacrificium, non autem constituit : *Nonne qui edunt hostias, participes sunt altaris?* inquit Apostolus, I Cor. c. 10, ℣. 18.

5.° Communio Sacerdotis non est pars essentialis sacrificii Missæ; huc enim recurrit eadem ratio, scilicet, participatio et sumptio supponit jam adesse victimam, ac proindè sacrificium, ut

ait S. Greg. Nyss. Orat. 1 de Christ. Resur. : *Cùm* Christus *corpus edendum et sanguinem bibendum exhibuit, jam arcanâ et non aspectabili ratione corpus erat immolatum.* Insuper de fide est Christum in ultimâ cœnâ verum obtulisse sacrificium : at ipsum Eucharistiam tùm sumpsisse non ita constat, et contrà sentire non illicitum est Theologis; ergo ratio sacrificii est quid distinctum ab ipsâ communione Sacerdotis. Tandem, juxta Concilium Tridentinum, idem est offerens in Missâ, qui fuit in cruce; ergo actio sacrificatoria, ipsius Christi actio debet esse : sed communio Sacerdotis, nullo sub respectu, est Christi offerentis actio; tota enim vergit in propriam communicantis utilitatem; aliundè nullam nisi localem mutationem in victimâ inducit.

Attamen sedulò observandum est quòd, etsi communio non pertineat ad essentiam sacrificii, quasi sacrificium in ipsâ perficeretur, est nihilominùs pars integrans sacrificii, quia Eucharistia eo fine instituta est, ut oblatæ victimæ participes essemus. Hinc Rubricæ et constans Ecclesiæ praxis præscribunt ut, si celebrans repentino morbo corripiatur ante communionem, alius Sacerdos, *etsi non jejunus,* si alter desit, utramque speciem sumat : atqui ex eâ praxi sequi videtur, communionem Sacerdotis non esse tantùm *juris divini,* sed esse *partem integrantem* sacrificii Missæ; siquidem, ut Viaticum administretur in periculo mortis, quamvis ejus receptio *divino jure* præcepta sit, non permittit Ecclesia ut Sacerdos *minimè jejunus* Sacrum faciat.

Dices : Christus, instituendo Eucharistiam, Apostolis præcepit : *Comedite,..... bibite ex eo*

omnes...; ergo præcisè communio Sacerdotis est ratio essentialis sacrificii.

Confirmatur auctoritate Conc. Toletani XII, c. 5, quod gravissimè invehitur in Sacerdotes qui, dùm sacrificium celebrant, communionem omittunt : *Quale enim,* inquiunt Patres Synodi, *erit illud sacrificium, cui nec ipse sacrificans participasse cognoscitur.*

Resp. Nego cons. Etenim ex præcepto Christi hoc unum sequitur, quod fatemur, nempè communionem Sacerdotis ad finem et integritatem sacrificii requiri, undè nullâ de causâ omitti potest; sed minimè exindè probatur rationem sacrificii in communione consistere. Eodem modo intelligenda sunt verba suprà objecta Concilii Toletani, scilicet gravissimè peccare, tum contra præceptum divinum, tum contra leges Ecclesiæ, eum Sacerdotem, qui indecenter sese communione in celebrando fraudat : *Quasi non sit toties illi vero et singulari sacrificio participandum,* inquit eadem S. Synodus, *quoties corporis et sanguinis D. N. J. C. immolatio facta constiterit;* ergo, juxta ipsum Concilium, communionem præcedit immolatio victimæ.

§ II.

Adstruitur et explicatur sententia probabilior.

PROPOSITIO.

Essentia sacrificii reponenda est in consecratione, quâ Sacerdos panem et vinum seorsìm in corpus et sanguinem Christi, ipsius in nomine, transmutat.

Sequitur ex dictis. Etenim nulla alia ex suprà

memoratis Missæ actionibus verè assignari posse videtur, in quâ reperiatur essentia sacrificii, seu quæ dici possit actio sacrificativa; ergo superest, etc. Sed insuper

Prob. 1.° *ex SS. PP.*, qui huic sententiæ favent. S. Irenæus, de Hæres. lib. 4, cap. 23, ait : *Christus dicendo, Hoc est corpus meum, novi Testamenti novam docuit oblationem;* juxta S. Chrys. Homil. de proditore Judâ, *vox ista, Hoc est corpus meum, præstat sacrificio firmitatem.* Ita S. Ambros., S. Cyrill. Hieros. et cæteri.

Prob. 2.° *Ratione theologicâ.* Etenim ratio sacrificii reponenda est in actione cui competunt omnes sacrificii dotes : atqui consecrationi competunt omnes sacrificii dotes. 1.° Est oblatio victimæ : nam ex eo quòd Christus se præsentem in altari sistat, ex hoc ipso se Deo Patri tanquam victimam exhibet. 2.° Est oblatio rei sensibilis, Christi scilicet, qui sensibilis efficitur per visibiles panis et vini species. 3.° Fit Deo, et ad testandum ipsius dominium in omnes : et certè nulla esse potest aptior actio ad supremum cultum Deo rependendum, cùm consecratio sit ipsa Christi actio, cujus nomine loquitur Sacerdos, cùm dicit : *Hoc est corpus meum*, etc. 4.° Fit à legitimo ministro, ut patet. 5.° Tandem fit cum aliquâ rei immutatione, quod quidem, cùm sit difficilius, aliquâ explicatione indiget.

Itaque non consentiunt Theologi qui essentiam sacrificii in consecratione reponunt, quænam sit in Missâ immutatio illa victimæ, ex definitione sacrificii requisita. Observandum est autem nihil indè concludi posse contra veritatem sacrificii Missæ; occurrunt enim in rebus tam arduis si-

miles dubitationes, quæ, licèt nunquàm dirimantur, rem ipsam integram relinquunt.

Quidam cum Suarezio sufficientem adesse immutationem victimæ contendunt, ubi res quæ offertur, ex aliâ re producitur, aut alicui rei substituitur, quæ destructa est. Cùm ergo in consecratione substantia panis et vini transmutetur in corpus et sanguinem Christi, ita ut panis et vinum omninò esse desinant, adest realis et vera immutatio. At ista opinio in hoc peccare videtur, quòd immutatio illa à Suarezio excogitata in rem oblatam non cadat, id est, in ipsum Christum, contra communes sacrificii notiones et definitionem. Præterea, sequeretur quòd si non fieret in Eucharistiâ transsubstantiatio panis et vini, jam non esset sacrificium : attamen existimant multi, et imprimìs illust. Bossuetius, quòd, etiam in systemate Lutheranorum, qui tantùm impanationem corporis Christi admittunt, adhuc subsisteret veri ratio sacrificii.

Permulti alii, quibus assentitur *Collet,* dicunt victimam eucharisticam destructionem moralem pati, quatenùs Christus supra altare præsens sit in humillimo statu, ad punctum veluti rédactus, et modo quodam mortis, ad naturales sensuum functiones obeundas inhabilis. Et certè, inquiunt, plurima fuerunt in veteri lege sacrificia, in quibus res oblata nonnisi moralem patiebatur destructionem : sic sacrificia libaminum, in quibus liquor coram Domino effundebatur ; sic sacrificium duorum passerum pro leprosis, in quo unus tantùm immolabatur, alter sanguine tinctus dimittebatur liber ; sic in sacrificio expiationis, hircus emissarius, postquàm Sacerdos preces in eo fudisset, in desertum emittebatur : atqui in

his omnibus moralis tantùm erat victimæ destructio.

Huic sententiæ nihilominùs contradicunt plurimi, 1.° eo quòd ista expositio Patribus omninò incognita fuerit. 2.° Missa repræsentare debet sacrificium crucis, in quo mors realis intercessit per sanguinis effusionem : porrò destructio illa moralis, reductio corporis Christi ad punctum, et veluti lethargia, minùs idonea est repræsentandæ cruentæ immolationi.

Nonnulli cum Vasquezio sacrificium *commemorativum* à sacrificio *absoluto* distinguunt : posterius est illud in quo res offertur et destruitur simpliciter, sine ullo respectu ad aliam immolationem. Commemorativum vocant illud in quo non fit realis immolatio, sed denuò offertur verè et realiter res quæ anteà realiter immolata fuit; et tale fuisse contendunt in lege Judaicâ sacrificium expiationis, in quo oblatio sanguinis hirci sacrificium censebatur, licèt immolatio facta fuisset extra sanctuarium, et aliquanto temporis intervallo præcessisset oblationem.

Rem meliùs exponunt Bossuetius, Cardinales Perronius et Richelæus, *de Marca*, qui in Eucharistiæ sacrificio oblationem veram et realem, immolationem verò symbolicam et mysticam agnoscunt.

In consecratione, inquiunt, adest symbolica Christi passio, quatenùs verba consecratoria sunt veluti gladius spiritalis, qui ex se vim habet corpus à sanguine separandi, adeò ut iste effectus produceretur solâ positione corporis sub specie panis, et sanguinis sub specie vini, nisi obstaret indivulsa corporis et sanguinis Christi adhærentia, necnon unio animæ et divinitatis. Hæc egre-

gio modo explicat Bossuetius in percelebri Expositione Fidei Catholicæ, n. 14 : *Tel est le sacrifice des Chrétiens, infiniment différent de celui qui se pratiquait dans la loi; sacrifice spirituel et digne de la nouvelle alliance, où la victime présente n'est aperçue que par la foi; où le glaive est la parole qui sépare mystiquement le corps et le sang; où ce sang, par conséquent, n'est répandu qu'en mystère, et où la mort n'intervient que par représentation : sacrifice néanmoins très-véritable, en ce que Jésus-Christ y est véritablement contenu et présenté à Dieu dans cette figure de mort : mais sacrifice de commémoration, qui, bien loin de nous détacher, comme on nous l'objecte, du sacrifice de la croix, nous y attache par toutes ses circonstances; puisque non-seulement il s'y rapporte tout entier, mais qu'en effet il n'est et ne subsiste que par ce rapport, et qu'il en tire toute sa vertu.*

Hæc ultima sententia eò magìs commendatur, quòd Traditioni magìs consona videtur, et SS. PP., qui, dùm loquuntur de sacrificio Missæ, hæc duo solent conjungere, in eâ verè et realiter offerri idem corpus quod in cruce pependit, et oblationem illam fieri in memoriam, similitudinem, repræsentationem et commemorationem sacrificii crucis.

Quæres 1.° an ad essentiam sacrificii eucharistici necessaria sit utriusque speciei consecratio.

Resp. 1.° Certissimum est, et apud omnes receptum, alterutrius speciei consecrationem non solùm jure ecclesiastico, sed et divino præscriptam esse, ut probavimus in 1.ª parte, p. 96. Undè absque gravissimo peccato omitti non potest.

2.° Utrùm verò, saltem validè, conficeretur sacrificium sub unâ tantùm specie, disputant Doctores : communior opinio negans, quia nonnisi sub duplici specie panis et vini repræsentari potest immolatio Christi in cruce ; ita D. Thomas, 3 part., quæst. 80, art. 12, et Bened. XIV, de Sacrificio Missæ, sect. 2, n. 82.

Quæres 2.° an sacrificium Eucharistiæ differat, tum à sacrificio crucis, tum à sacrificio ultimæ Cœnæ.

Resp. 1.° Sacrificium Eucharistiæ differt à sacrificio crucis, non essentiâ, cùm utrobiquè eadem sit victima, idem principalis offerens : differt ratione modi quo offertur, ut jam indicavimus; in cruce enim reali et cruentâ immolatione peractum est, in altari verò symbolicè duntaxat et incruentè Christus immolatur.

2.° Sacrificium Eucharistiæ non differt à sacrificio ultimæ cœnæ, nisi quia tunc Christus *immediatè* seipsum ut *mortalem* quidem obtulit, nunc verò *mediatè* per manus Sacerdotis, in statu quidem mortis, *immortalis* verò, Deo offertur.

Quæres 3.° an Missæ sacrificium à sacramento Eucharistiæ differat.

Resp. Quamvis utrumque eâdem actione, consecratione scilicet, producatur, idemque sit in utroque Christus realiter præsens, in eo tamen discrepant, 1.° quòd sacrificium in actione transitoriâ consistit, nempè in productione et oblatione corporis et sanguinis Christi ; sacramentum verò re permanenti constituitur, quatenùs Christus ad certum tempus latens remanet sub speciebus eucharisticis. 2.° Sacrificii primarius finis ad cultum Dei, et ad illius supremum dominium agnoscendum dirigitur; sacramentum pro hominum utilitate institutum est.

Quæres 4.° an licitæ sint Missæ privatæ, in quibus solus Sacerdos communicat, nullaque populo fit Eucharistiæ distributio.

Resp. affirmativè. Namque sic semper sensit Ecclesia, ut patet ex decretis Concilii Agathensis initio seculi sexti habiti, quod canone 47, præcipit fidelibus sacrificio Missæ omnibus diebus *dominicis* interesse, sacramentum verò ab eis sumi non jubet nisi *ter* in anno, nempè diebus *Natalis Domini, Paschæ* et *Pentecostes;* ergo credit cæteris diebus licitè celebrari Missam, quamvis solus Sacerdos communicaret.

Itaque meritò Patres Tridentini Sess. 22, can. 8, eos anathemate feriunt, qui dixerint *illicitas esse has Missas.* Et quidem ibidem cap. 6, fideles de illarum utilitate sic docent : *Illæ Missæ, in quibus solus Sacerdos sacramentaliter communicat, verè communes censeri debent; partìm, quòd in eis populus spiritualiter communicet, partìm verò, quòd à publico Ecclesiæ Ministro, non pro se tantùm, sed pro omnibus fidelibus qui ad corpus Christi pertinent, celebrentur.*

Quæ objicerentur ex actione Christi qui corpus suum in ultimâ cœnâ Apostolis omnibus distribuit, jam soluta fuerunt in quæstione de communione sub utrâque specie, suprà, p. 147.

Si verò quæ sint SS. Patrum dicta quæ urgeant pro fidelibus morem cum Sacerdote celebrante communicandi, habenda sunt tanquam ad illos monita, ut torporem exuant et frequenter ad sacram mensam accedant. Et certè apud illos nihil prorsùs deprehenditur, ex quo suggeratur illicitum esse sacerdoti celebrare, si nullus ex fidelibus cum eo sacramentum percipiat.

CAPUT III.

De Effectibus et Valore sacrificii Missæ.

Duo erunt articuli : 1.us de effectibus, 2.us de valore sacrificii Missæ.

ARTICULUS PRIMUS.

De Effectibus sacrificii Missæ.

Dicemus 1.° quinam sint effectus sacrificii eucharistici, 2.° quomodò Missa illos producat effectus.

§ I.

Quinam sint Effectus sacrificii Missæ.

Facilè concedunt Protestantes sacrificium Missæ esse latreuticum et eucharisticum ; negant verò esse propitiatorium et impetratorium, cùm indè, inquiunt, derogaretur sacrificio crucis, quo persolutum fuit nostræ redemptionis pretium, et ex quo gratiæ omnes in nos derivant. Contrà sit

PROPOSITIO.

Sacrificium Missæ est verè propitiatorium et verè impetratorium.

Propositio est de fide.

Prob. 1.a *pars* 1.° *ex Conc. Trid.*, Sess. 22, can. 3 : *Si quis dixerit, Missæ sacrificium tantùm esse laudis, et gratiarum actionis,.... non autem propitiatorium ;..... neque pro vivis et defunctis, pro peccatis, pœnis, satisfactioni-*

bus et aliis necessitatibus offerri debere ; anathema sit.

2.° *Ex SS. PP.* S. Cyril. Hieros. Catechesi ultimâ, n. 10 : *Christum mactatum pro peccatis nostris offerimus, clementem Deum pro nobis demereri et propitiare satagentes.* S. Aug. Quæst. 57 in Levit., n. 4 : *Illis* veteris legis *sacrificiis, unum hoc sacrificium* (Eucharistiæ) *significabatur, in quo vera fit remissio peccatorum.* Cæteri Patres concinunt.

3.° *Ex liturgiis omnibus,* sive orientalibus, sive occidentalibus, ipsorum etiam Schismaticorum, in quibus sacrificium offerri manifestè deprehenditur pro remissione peccatorum.

4.° *Ratione,* quam suggerunt Patres Tridentini. Ubi enim victima oblata et principaliter offerens est ipsemet Christus, ibi procul dubio reperitur propitiatio et venia peccati, cùm ipse auctor gratiæ Patrem pro nobis interpellet, ut nos fructùs passionis suæ participes faciat. Nec per hoc derogatur excellentiæ sacrificii crucis, ut contendunt Protestantes; sacrificium enim altaris totum refertur ad sacrificium crucis, et ex illo tanquam ex fonte deducit quidquid habet virtutis, ut ait Bossuetius in expositione Fidei Catholicæ.

Prob. 2.ª *pars* 1.° *ex citatis verbis Conc. Trid.,* in quibus asseritur sacrificium offerri pro peccatis, pœnis et *aliis necessitatibus :* porrò hæc ultima verba, ut potè indefinita, quamcunque veram necessitatem designant.

2.° Patet *ex omnibus liturgiis,* in quibus Missæ sacrificium præcipitur offerri pro pace, pro fructuum ubertate, aliisque bonis temporalibus; et ex antiquo usu in Missâ recitandi Orationem domi-

nicam, quæ omnes includit sive spiritales, sive temporales necessitates.

3.° Si sacrificia veteris legis bona temporalia Judæis obtinuerunt, ut eruimus ex exemplo David, II Reg. c. 24, ℣. 25, et summi Sacerdotis Oniæ, II Machab. c. 3, à fortiori ad id valet sacrificium eucharisticum.

4.° Ex primâ parte propositionis, sacrificium Missæ est propitiatorium; ergo à fortiori impètratorium; siquidem, ut notat Bellarminus, qui sacrificio Missæ placatus, gratias largitur inimicis suis ut in amicitiam redeant, quantò faciliùs adducitur eodem sacrificio, ut amicis suis uberiores largiatur gratias.

Obj. 1.° *contra primam partem prop.* Ex Apost., ad Hebr. c. 9, ℣. 2, *sine sanguinis effusione non fit remissio* peccatorum : atqui in sacrificio Missæ nulla sanguinis effusio; ergo, etc.

Resp. 1.° verba Apostoli non esse strictè et rigorosè sumenda, quasi nullum esset in antiquâ lege sacrificium propitiatorium sine sanguinis effusione; siquidem contrarium patet tum ex c. 16 Levit., tum ex ipso S. Pauli contextu; sic enim habet : *Et omnia penè in sanguine secundùm legem mundantur, et sine sanguinis effusione non fit remissio;* etenim ut nulla sit contradictio, necesse est vocem limitativam, *penè,* utramque versiculi partem ex æquo afficere.

Resp. 2.° *Dist. maj.* Sine sanguinis effusione non fit remissio, in antiquâ lege, *transeat,* propter rationem mox allatam; in novâ lege, *subdist.* Sine sanguinis effusione actuali vel præteritâ, *conc.;* necessariò actuali, *nego.*

Obj. 2.° Si sacrificium Missæ esset propitiatorium, per illud remitterentur peccata, ac proindè

perperàm confugeremus ad sacramentum Pœnitentiæ pro peccatorum remissione : atqui absurdum consequens; ergo et antecedens.

Resp. Nego maj. Namque eo sensu propitiatorium est Missæ sacrificium, quòd peccatoribus gratias impetret, quibus moventur ad adhibenda media quæ Deus instituit pro peccatorum remissione et hominum sanctificatione. Neque obest quòd sæpè offeratur Missa pro peccatoribus qui tamen ad meliorem frugem non convertuntur; siquidem sæpiùs evenit ut in vanum gratiam Dei recipiant.

Obj. contra secundam partem prop. Christus per mortem suam non promeruit nobis bona temporalia; ergo illa impetrare non valet sacrificium Missæ.

Resp. Dist. ant. Non promeruit nobis bona temporalia, nudè et absolutè spectata, *conc.*; tanquam media ad salutem, *nego.* Itaque bona temporalia, si considerentur ut instrumenta nostræ et fratrum nostrorum salutis, referuntur ad ordinem divinæ prædestinationis, quam nobis promeruit Christus, et consequenter bona hujusmodi, hoc modo spectata, expetere licet in sacrificio Missæ per Christi mediationem.

§ II.

Quomodò Missæ sacrificium suos producat effectus.

PROPOSITIO PRIMA.

Sacrificium Missæ generatìm suos effectus producit ex opere operato, id est, virtute ipsi operi annexâ.

Prob. Etenim illos effectus non producit, ne-

que dependenter à Sacerdotis offerentis dispositionibus, quia ex Conc. Trid. Sess. 22, cap. 1, *Hæc illa munda oblatio est, quæ nullâ indignitate aut malitiâ offerentium inquinari potest;* neque ex devotione illius pro quo offertur, alioquin majorem non haberet virtutem quàm quodlibet bonum opus, quod nemo asserit. Prætereà, ex dicendis, illud sacrificium offertur pro defunctis, qui meriti cujuslibet sunt incapaces.

Nota 1.° Missam nihilominùs aliquam sortiri efficaciam *ex opere operantis*, seu ex pietate et devotione illius qui Missam celebrat; ratio est quia Missa valet per modum orationis : oratio autem eò majorem habet efficaciam quò fervidior est.

Attamen, etiamsi Missam celebrans sit in statu peccati, suus semper est sacrificio principalis valor, non solùm ex parte victimæ, quæ Deo acceptissima est; sed etiam ex parte primarii offerentis, nempè Christi, et quatenùs sacrificii oblatio vim habet ab Ecclesiâ offerente per ministrum publicum : undè qui, accepto stipendio, plures in statu peccati Missas celebravit, non tenetur deinceps parem numerum denuò offerre; convenit tamen ut piis orationibus compenset id quod impietate suâ abstulisse videtur.

Nota 2.° Quamvis sacrificium *ex opere operato* agat, ejus effectus major vel minor est, generatìm loquendo, ratione dispositionum ejus pro quo offertur. Dicimus, *generatìm loquendo*, quia sæpè Missa celebrata pro peccatore qui de agendâ pœnitentiâ non cogitat, ex Dei beneplacito effectum habere potest, et non raró habet ad ejus emendationem.

PROPOSITIO II.

Sacrificium Missæ mediatè tantùm peccata remittit et gratiam adauget.

Prob. 1.ª *pars.* 1.° *Ex Conc. Trid.* Sess. 22, cap. 2, ubi legitur : *Hujus oblatione placatus Dominus , gratiam et donum pœnitentiæ concedens , crimina et peccata etiam ingentia dimittit ;* ergo sacrificium Missæ immediatè gratiam pœnitentiæ obtinet, et mediatè, bono usu illius gratiæ, peccata remittit. 2.° Non major est sacrificii Missæ, quàm sacrificii crucis efficacia: atqui sacrificium crucis non justificavit immediatè et efficaciter, sed impetratoriè tantùm, quatenùs Deum placando justitiæ media omnibus promeruit; ergo à pari, etc. Hæc de peccatis tam venialibus quàm lethalibus intelligenda sunt; quidquid enim sentiant contrà Theologi quidam, nullà sufficienti ratione comprobatur hunc effectum tribuendum esse sacrificio, ut immediatè remittat venialia.

Prob. 2.ª *pars.* Quia nulla est ratio cur magis immediatè secundam gratiam producat quàm primam; ergo eo sensu gratiam adauget, quòd justis actuales obtineat gratias, quibus si fideliter correspondeant, in ipsis crescit et augetur.

PROPOSITIO III.

Sacrificium Missæ condonationem pœnæ peccatis debitæ immediatè obtinet, necnon alia bona tam spiritualis quàm temporalis ordinis.

Prob. Etenim jejunia, eleemosynæ, et cætera hujusmodi opera, prædictos effectus immediatè consequuntur; ergo à fortiori sacrificium Missæ

eosdem parere immediatè potest, cùm sit præstantissimum Religionis opus. Insuper Missa prodest defunctis, ut videbimus infrà, quoad remissionem pœnæ: sed defuncti, cùm sint extra viam, nullius capaces sunt actûs satisfactorii; ergo sacrificium ipsis immediatè prodest.

Dices : Sacrificium mediatè tantùm gratiam remissionis nobis impetrat; ergo non est, propriè loquendo, propitiatorium, sed impetratorium duntaxat.

Resp. Nego cons. Nam ut Missæ sacrificium dicatur, propriè loquendo, propitiatorium, satis est quòd vim habeat impetrandi remissionem peccati, sive quoad culpam, sive quoad pœnam, sicut sacrificia veteris legis propitiatoria non habebant ad summum nisi quamdam virtutem impetrandi remissionem peccatorum; et tamen verè propitiatoria vocabantur. Quamvis ergo, absolutè loquendo, sacrificium Missæ vocari possit impetratorium, quatenùs prodest ad remissionem peccatorum; tamen, juxta communem loquendi modum, in sacris Litteris et Conciliis fundatum, sacrificium illud, quatenùs impetrat donum pœnitentiæ et pœnarum relaxationem, non solet vocari impetratorium sed propitiatorium; quatenùs verò impetrat alias gratias et alia dona quæ ad peccatorum remissionem non ordinantur, eo sensu nuncupatur impetratorium.

ARTICULUS II.

De Valore sacrificii Missæ.

Difficultas non est de valore sacrificii Missæ in se considerati; etenim sacrificium Missæ intrinsecè et in se, id est, ratione victimæ et principalis offerentis, habet valorem simpliciter infi-

nitum. Itaque quæstio est de ipsius efficaciâ, seu de modo quo nobis applicatur sacrificii valor, utrùm sit infinita vel finita. Pariter, nulla difficultas de efficaciâ sacrificii Missæ *ex opere operantis;* certum est enim illam esse finitam : disputatur de efficaciâ sacrificii *ex opere operato.*

Concedunt omnes ipsam efficaciam sacrificii Missæ ex opere operato finitam esse *intensivè*, id est, effectum quem operatur in nobis sacrificium esse finitum; nemo enim dixerit beneficia infinita nobis conferri per unum sacrificium, vel plura sacrificia, pro eâdem personâ oblata, non magis ipsi prodesse quàm si unum tantùm offerretur.

Itaque dubium est utrùm efficacia sacrificii Missæ *ex opere operato* infinita sit vel finita *extensivè*, id est, utrùm sacrificium pro multis oblatum tantùm valeat unicuique, ac si pro eo solo offerretur; an verò ita limitata sit efficacia, ut, si pro pluribus offeratur, fructus minor ad singulos proveniat. Hâc de re disputant Vasquezius et Suarezius. Hæc in praxi tenenda sunt :

1.° Qui à duobus stipendium accepit pro Missæ celebratione, non potest per unum sacrificium satisfacere suæ obligationi : undè qui unum tantùm offerret sacrificium, graviter peccaret, et ad restitutionem teneretur, ut probatur ex condemnatione factâ ab Alexandro VII sequentis propositionis : *Non est contra justitiam pro pluribus sacrificiis stipendium accipere, et sacrificium unum offerre.*

2.° Qui sacrificium offert, intendere debet ut prosit omnibus vivis et defunctis, quantùm fieri potest, absque præjudicio illius qui stipendium dedit, vel cui promissa est Missæ applicatio.

3.° Non ea est fructùs sacrificii distributio, ut quantitas sit proportione servatâ ad numerum adstantium, alioqui meliùs esset illis qui parochiam incolunt minùs frequentatam, aut illi qui, neglectâ Missâ parochiali, privatam quæreret cui solus adesset, quod nemo asserere ausit. Nihilominùs Missa specialiter pro aliquo oblata, ipsi specialiùs prodest, quamvis nos lateat quâ ratione id fiat. Scilicet, inquiunt Theologi, comparatio deduci potest ex agentibus physicis, quæ à Deo instituta sunt ad bonum commune. Sol, v. g., omnibus pariter lucet, sive pauci, sive plures adsint; omnibus calorem impertitur suum: attamen si certa adhibeantur media, radii solares efficaciùs aliquam plantam fovebunt, licèt nihil indè detrahatur plantis circumstantibus. Et hæc sufficiant de quæstione arduâ, quam metaphysicè discutere nec decet, nec expedit.

CAPUT IV.

De Ministro sacrificii Missæ.

Expendemus 1.° quis sit minister sacrificii, 2.° quænam sint illius obligationes.

ARTICULUS PRIMUS.

Quis sit Minister sacrificii Missæ.

Supponimus hic Christum esse principalem in sacrificio Missæ offerentem; id enim colligitur ex Scripturâ, expressè docent SS. Patres et Concilia, præsertim Trid. quod SS. 22, cap. 2, dicit eumdem nunc esse offerentem, Sacerdotum ministerio, qui seipsum in cruce obtulit; ergo, etc.

Itaque status quæstionis iste est, utrùm soli Sacerdotes sint ministri sacrificii, ita ut fideles non possint illud verè et propriè offerre.

PROPOSITIO PRIMA.

Solus Sacerdos ritè ordinatus potest, propriè loquendo, Missæ sacrificium offerre.

Est de fide contra Waldenses et Lutheranos.

Prob. ex Script. Luc. c. 22, ℣. 19: *Hoc facite in meam commemorationem.* His verbis Christus commisit potestatem offerendi Missæ sacrificium: atqui hæc verba ad solos Apostolos, et in eorum personâ ad solos Presbyteros dirigebantur, ut interpretantur omnes omninò Patres, Concilia et præsertim Trid. Sess. 22, cap. 1, et can. 2: *Si quis dixerit, illis verbis, Hoc facite in meam commemorationem, Christum non instituisse Apostolos Sacerdotes; aut non ordinasse, ut ipsi, aliique Sacerdotes offerrent corpus et sanguinem suum; anathema sit.*

Dixi, *propriè loquendo;* nam fideles, præsertim adstantes, et illi pro quibus speciali intentione Missa celebratur, aliquo modo sacrificium offerunt, 1.° quia Sacerdos eorum nomine, et velut eorum totiusque Ecclesiæ legatus, Deo sacrificium offert; 2.° quia nonnunquàm exteriùs cooperantur Sacerdoti sacrificanti, sive subministrando materiam sacrificii, scilicet panem et vinum, sicut in prioribus seculis à devotis Christianis fieri solebat; sive largiendo stipendium Sacerdoti celebranti. Quamobrem Sacerdos in Canone sic orat: *Et pro omnibus circumstantibus, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc sacrificium.* Undè quidam Theologi distinguunt

tinguunt in SS. Sacrificio triplicem offerentem, nempè Christum, Ecclesiam et Sacerdotem.

Tamen fidelis populus, nec ullus laicus vel Clericus, præter Sacerdotem, nuncupari potest minister sacrificii Missæ; quia solus Sacerdos sacrificium propriè offert : alii autem nonnisi mediatè, moraliter et minùs propriè, seu per manus Sacerdotis, eo ferè modo quo civitas dicitur Regem salutare eique munera offerre, quandò legati civitatis Regem salutant eique munera offerunt.

Obj. S. Petrus, I Epist. c. 2, ℣. 9, fideles omnes alloquens, illos nuncupat *regale Sacerdotium;* ergo singuli fideles verè sunt Sacerdotes, et possunt sacrificium verè et propriè offerre.

Resp. Dist. cons. Verè sunt Sacerdotes *sacerdotio spirituali*, vi cujus possunt *spirituales* offerre *Deo hostias*, ut ait ibidem S. Petrus, ℣. 5, *conc.;* Sacerdotes *sacerdotio visibili et externo*, vi cujus possint Eucharistiam consecrare et sacrificium Missæ *verè* et *propriè* offerre, *nego*. Nempè eodem sensu fideles dicuntur Sacerdotes, quo dicuntur et Reges : atqui spirituali sensu tantùm dici possunt Reges; ergo, etc.

PROPOSITIO II.

Quilibet Sacerdos ritè ordinatus validè offert Missæ sacrificium, modò legitimam adhibeat materiam et formam, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia.

Prob. Potestas Ordinis, ut potè à solo charactere pendens, amitti non potest, eo quòd character sit indelebilis, sicut fides docet, et probatur in *Tractatu de Sacramentis in genere :* constat autem potestatem consecrandi et sacrificium of-

ferendi esse potestatem Ordinis, à solo charactere sacerdotali, et nullatenùs à jurisdictione dependentem, ut habet Ecclesiæ fides; ergo potestas illa amitti nequit, et consequenter quilibet Sacerdos, etiam hæreticus, schismaticus et excommunicatus, validè quidem, non autem licitè, Missæ sacrificium potest offerre. Idem dici debet de eo Sacerdote qui resurgeret; cùm enim character sit indelebilis, amitti nequit per mortem.

ARTICULUS II.

Quænam sint obligationes Sacerdotum relativè ad Missæ sacrificium.

Quædam sunt Sacerdotis obligationes relativè ad Missæ sacrificium, quæ illi sunt cum fidelibus communes: sed de his jam diximus in parte 1.ª, cap. 4 hujusce Tractatûs. Nunc igitur nobis dicendum superest de obligationibus Sacerdoti propriis, quæ ad quatuor revocari possunt: scilicet 1.° circa Missæ celebrationem; 2.° circa Missæ applicationem; 3.° circa stipendium; 4.° circa ritus ab Ecclesiâ præscriptos: sed de hâc ultimâ aptiùs dicturi in cap. 6, hìc de tribus aliis totidem paragraphis agemus.

§ I.

De obligationibus Sacerdotum circa Missæ Celebrationem.

Certum est laudabilius esse frequenter quàm raró Missæ sacrificium celebrare, ut probant tum exempla Sanctorum, tum uberiores fructus qui in totam Ecclesiam ex tanto sacrificio profluunt. Hìc agemus tantùm de obligatione celebrandi. Sit itaque

PROPOSITIO PRIMA.

Singuli Sacerdotes tenentur ad Missæ sacrificium saltem aliquoties offerendum.

Prob. 1.° *ex Script.* Hebr. c. 5, ℣. 1 : *Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia.* Undè sic : Ex præcepto naturali, quisque tenetur adimplere et exsequi susceptum officium : atqui proprium et velut essentiale Sacerdotis officium in eo consistit ut Deo sacrificium offerat ; ergo, etc.

Prob. 2.° *ex Conc. Trid.* Sess. 22, cap. 1 : Christus *Apostolis...., eorumque in sacerdotio successoribus, ut offerrent præcepit, per hæc verba : Hoc facite*, etc. ; ergo ex Conc. Trid. adest præceptum, et quidem divinum, aliquoties celebrandi.

Prob. 3.° *Ratione.* Diuturna enim Missæ omissio aliquem illius contemptum denotat, non leve detrimentum infert animæ Sacerdotis, majorem inducit peccandi licenciam, et vix esse potest absque gravi aliorum scandalo.

Quandonàm verò istius obligationis omissio mortalis evadat, non constat inter Theologos. *Concludendum tamen,* inquit Bened. XIV, de Sacr. Miss. sect. 2, n. 8, *non posse sustineri sententiam eorum, qui statuunt venialiter tantùm peccare Sacerdotem, qui non habens curam animarum, nec aliter adstrictus ad Missam celebrandam, nunquàm per annum celebret.*

PROPOSITIO II.

Parochus, vel alius Sacerdos Parochi officio fungens, tenetur per se, vel per alium, celebrare, saltem quoties fideles tenentur Missam audire.

Prob. Parochus enim, vel Parochi officio fungens, tenetur populis sibi commissis dispensare et communicare ea quæ necessaria sunt ut præceptis divinis et ecclesiasticis satisfaciant; ergo, quandò populi tenentur Missam audire, Parochus, vel Parochi officio fungens, debet eam celebrare, vel saltem curare ut ab alio in suâ Ecclesiâ celebretur, quod ultimum certis in casibus sufficere potest; non tamen frequenter, nec nisi legitimam ob causam fieri debet.

Confirmatur ex Conc. Trid. Sess. 23, de Reform. cap. 14: *Curet Episcopus, ut Sacerdotes, saltem diebus dominicis et festis solemnibus, si autem curam habuerint animarum, tam frequenter, ut suo muneri satisfaciant, Missas celebrent.*

Dixi, *saltem quoties,* etc., quia, ut ait Bened. XIV, ibid., n. 17, *plures alii casus possunt contingere, quibus Parochi obligentur, etiam aliis diebus qui festi non sunt, Missam celebrare, putà, si cui opus esset infirmo Viaticum ministrare, nec sacramenti esset copia.*

§ II.

De obligationibus Sacerdotum circa Missæ Applicationem.

Fructus Missæ triplex distinguitur, generalis, cujus fideles omnes fiunt participes; specialissimus, quo fruitur Sacerdos; et medius quem Sacerdos applicat iis pro quibus sacrificium offert.

Certum est 1.° fructum medium posse applicari à Sacerdote; generalis applicatur à Christo, qui est principalis offerens. De specialissimo quidam dubitant utrùm alii quàm celebranti possit applicari : sed multi negantem tenent. Deindè, quis ferat ministrum Christi eò usque spiritualia spernentem, ut renuntiet fructui sacrificii, quod primùm pro se suisque offensionibus offerre tenetur. Quidquid sit, certum est Sacerdoti non licere pro applicatione fructûs hujusmodi stipendium accipere, tum quia nemo per solutionem incertam debito certo satisfacere potest, tum quia damnata est ab Alexandro VII propositio contrarium asserens.

Certum est 2.° sacrificium Missæ non solùm ex opere operantis, sed etiam ex opere operato longè ampliùs prodesse iis quibus speciali intentione applicatur, quàm aliis; fructus enim Missæ secundùm notabilem suî partem relictus est à Christo Domino liberæ Sacerdotis celebrantis applicationi: hoc constat ex communi consensu totius Ecclesiæ, quæ approbat morem fidelium postulantium pro se vel pro suis sacrificium peculiariter offerri, et in hunc finem pro dicendis Missis stipendium erogant, et Beneficia fundant. In primis etiam Ecclesiæ seculis devoti fideles se suosque parentes Sacerdotum sacrificantium precibus et memoriæ specialiter commendatos cupiebant, ut patet exemplo sanctæ Monicæ, S. Augustini, etc.

PROPOSITIO.

Qui curam animarum habet, tenetur applicare Missam populo, dominicis et festis diebus.

Prob. 1.ª *pars* 1.° *Ex Conc. Trid.* Sess. 23,

de Reform. cap. 1 : *Cùm præcepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre,* etc. : quæ verba non tantùm de generali intentione, sed de speciali sunt intelligenda; quoties enim Sacerdos dicitur offerre sacrificium pro quodam homine et pro quâdam communitate, id solùm intelligitur de speciali intentione.

Prob. 2.° *Ratione.* Nam Pastor, ratione officii pastoralis, tenetur modo speciali procurare bona spiritualia suis ovibus : atqui unum ex his bonis spiritualibus est sacrificium pro suâ parochiâ oblatum; ergo ad id tenetur saltem aliquoties.

Prob. 2.a *pars.* Benedictus XIV, de Sacrif. Missæ, sect. 2, n. 56, et Const. *Cùm semper oblatas,* ait : *Censemus satis esse, dùm ii qui curam animarum exercent, sacrificium Missæ pro populo celebrent atque applicent, in dominicis aliisque per annum diebus festis de præcepto.*

Præterea, citantur sexdecim decisiones Congregationis Cardinalium Concil. Trid. interpretum, hanc obligationem expressè statuentes.

Dixi, *qui curam animarum habet,* id est, Episcopi, Parochi, aliique Sacerdotes qui pastoralibus funguntur in solidum, v. g., Ecclesiam vel Parochiam, absente vel mortuo Parocho, absolutè gubernant, et pastorales reditus, vel sufficientem eorum partem accipiunt, sive sint amovibiles, sive non.

Colliges eos Sacerdotes qui Parochorum duntaxat Vicarii et Coadjutores sunt, quamvis, præsertìm ægrotantibus aut absentibus Pastoribus, teneantur ad Missam dicendam omnibus dominicis

et festis diebus, ut fideles Missam audire possint, non tamen obligari ad Missam speciali intentione pro illis populis celebrandam, nisi ex aliâ quâdam ratione ad id teneantur, v. g., ex conventione, vel fundatione quam percipiunt.

PROPOSITIO II.

Tenentur Sacerdotes Missam applicare ratione stipendii vel promissionis.

Prob. Id enim exigit lex naturalis, quæ dictat servandos esse contractus, et standum esse promissis.

Observa tamen Sacerdotem, quoties promittit se in altari recordaturum cujusdam personæ, vel illius necessitatum, non semper promittere primariam intentionem, sed secundariam et minùs præcipuam; eâque contenti sunt qui Sacerdotis sacrificio se commendatos cupiunt.

Hic nonnullas proponere juvat regulas quæ à Sacerdotibus in applicatione Missæ servandæ sunt.

Regula prima. Ad ritè applicandum Missæ fructum sufficit habitualis intentio, seu quæ semel habita, non fuit retractata.

Prob. Intentionem applicandi sacrificium vulgatior sententia statuit sufficere habitualem; applicatio enim est quasi quædam donatio, seu translatio fructûs, qui ex Missâ percipiendus est; quæ donatio, seu fructûs translatio valida est, etiamsi multo tempore antè facta sit, et multis actibus interrupta, dummodò revocata non fuerit : Bened. XIV, de Sacr. Missæ, sect. 2, n. 145.

Sed, ut ibidem notat idem Summus Pontifex, *tutissima regula est ut Sacerdos, antequàm ad*

altare accedat, eas personas determinet pro quibus intendit orare, ut illis Missæ sacrificium applicetur. Idque, cùm non sit difficile, est omninò consulendum.

Regula ii. Applicatio specialis fructûs sacrificii debet fieri à Sacerdote ante consecrationem, etiamsi dicatur Missa pro defunctis.

Prob. Quia sacrificium Missæ operatur tantùm suum effectum quandò fit, et reverà existit, non verò quandò præteriit secundùm partem essentialem : at consecratio est pars essentialis; ergo Sacerdos ante consecrationem sacrificii fructum applicare debet; et consequenter Sacristæ, priusquàm Missæ dicantur, curare debent ut illæ certis personis applicentur.

Dixi, *etiamsi Missa dicatur pro defunctis;* nam quandò Missa specialiter pro defunctis celebratur, non satis est fieri eorum commemorationem in posteriori *Memento*, quod vulgò nuncupatur *Memento pro mortuis,* quia ista posterior commemoratio non prodest ex opere operato, sed duntaxat ex opere operantis, sicut plerique notant Doctores.

Verùm Sacerdos, se ut omnibus expediat difficultatibus, in præparatione ad Missam, antequàm sacris se vestibus induat, ne omittat sacrificii fructum applicare : Bened. XIV, ibid.

Regula iii. Ad specialem Missæ fructum validè applicandum necesse est ut Sacerdotis intentio non maneat in suspenso; sed ad aliquam personam certò determinetur explicitè, vel saltem implicitè cognitam.

Prob. Quia sacrificii effectus non potest manere suspensus; nam statim atque sacrificium substantialiter existit, suum specialem fructum producit

in eo, cui Sacerdos determinatè applicuit, modò non sit obex. Si autem nemini fuit determinatè applicatus, aut si is ad quem Sacerdos fructum illum direxerat, eo non indiget, aut non est illius capax, tunc fructus ille vel ab ipso Sacerdote percipitur, vel manet in thesauro Ecclesiæ, sicut communiter docent Doctores.

Dixi, *ad aliquam personam explicitè, vel implicitè cognitam;* non enim necesse est ut Sacerdoti celebranti nota sit explicitè persona, vel illius necessitas propter quam specialiter offert sacrificium; sed sufficit quòd ipsi cognita sit mediatè et implicitè, quatenùs, v. g., Sacerdos suam intentionem conformat et submittit intentioni Sacristæ, vel alterius Sacerdotis, quo mandante aut rogante celebrat.

Notandum. Ex eodem Bened. XIV, ibid. n. 143, debet Sacerdos *fructum ei applicare pro quo tenetur celebrare, vel Beneficii, vel eleemosynæ, vel promissionis, vel alicujus præcipuæ obligationis ratione; deindè sine illius præjudicio fructum sacrificii cæteris* poterit *applicare, in charitate sibi conjunctis, seu quovis nomine sibi commendatis, suam ipsius intentionem Christi summi Sacerdotis intentioni subjiciens.* Imò poterit Sacerdos primariæ intentioni secundam addere, substituendo aliquam personam ei pro quâ, ex primariâ intentione, sacrificium offertur, si illa non indigeat tali fructu, vel illius capax non sit: v. g., Offero sacrificium pro Petro defuncto; quòd si ille non indigeat, vel capax non sit, offero pro cognatis, vel amicis, vel pro aliis animabus derelictis purgatorii; illudque expedit ne suspensus maneat sacrificii fructus.

§ III.

De obligationibus Sacerdotum circa Stipendium Missæ.

Hunc paragraphum in duo puncta dividemus: in priori expendemus an et quomodò liceat dare vel accipere stipendium pro Missis dicendis; in posteriori quænam sint obligationes Sacerdotum ratione stipendii accepti.

I.

An et quomodò liceat dare vel accipere stipendium pro Missis celebrandis.

PROPOSITIO PRIMA.

Licitum est dare vel accipere stipendium pro Missis celebrandis.

Prob. Licitum enim est Sacerdoti ministranti, et in commodum populi occupato præbere quæ ad ipsius sustentationem sunt necessaria, et ea Sacerdos licitè accipere potest : *Nescitis,* inquit Apost. I Cor. c. 9, ℣. 13, *quoniam qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt, edunt; et qui altari deserviunt, cum altari participant?*

Deindè, *sufficere debet*, inquit Gersonius, opusc. de Sollicitudine ecclesiast. t. 2, part 3, partic. 19, *ad consensum hujus veritatis, usus totius communis Ecclesiæ, qui sic habet et recipit, cui si quis detrahit, imprudenter se decipit.*

Jus autem illud quod habent Sacerdotes stipendium accipiendi, cùm nullatenùs ab Ecclesiâ sit limitatum, ideò ad omnes extenditur, quantumvìs sint aliundè divites, juxta communem Doctorum sententiam.

Dices : Non licet dare stipendium pro Ordinum collatione; ergo à pari non licet pro Missarum celebratione.

Resp. Nego consequent. et parit. Ecclesia enim prius prohibet, posterius autem permittit. Ratio à priori est quia, cùm ad Ecclesiam pertineat providere temporali Sacerdotum sustentationi, necessarium judicavit ut possent recipere stipendia pro quibusdam actionibus sacris, v. g., pro Missæ celebratione, non autem pro aliis, et præsertìm pro Ordinum collatione, ob graviora nempè quæ indè emergerent incommoda.

PROPOSITIO II.

Sacerdos accipere debet stipendium cum rectâ intentione, et juxta Ecclesiæ ordinationem.

Explicatur et probatur propositio. Itaque Sacerdos accipere debet stipendium,

1.° *Cum rectâ intentione*, scilicet non quasi pretium consecrationis Eucharistiæ, hoc enim esset simoniacum, sed quasi stipendium suæ sustentationis : undè culpandus esset qui nunquàm, nisi numerato stipendio, celebrare vellet, quod haberet aliquam venditionis speciem.

2.° *Juxta Ecclesiæ ordinationem*, quæ sic loquitur in Conc. Trid. Sess. 22, in decreto de Observandis et Vitandis in celebratione Missæ : *In primis, quod ad avaritiam pertinet, cujusvis generis mercedum conditiones, pacta, et quidquid pro Missis novis celebrandis datur; necnon importunas atque illiberales eleemosynarum exactiones potiùs quàm postulationes, aliaque hujusmodi quæ à simoniacâ labe, vel certè à turpi quæstu non longè absunt, omninò prohibeant* Episcopi.

Ex dictis inferes, 1.° illicitum esse pactum omne quo vendi videatur Missa, modumque omnem eleemosynam exigendi, qui turpem quæstûs cupidinem redoleat, et in hoc sensu intelligendum est Conc. Trid. 2.° Illicitum esse accipere stipendium justo majus, seu superans taxationem à lege vel consuetudine statutam. Excipe tamen, si quis, noscens taxationem, stipendium offerat solito majus, quia tunc ex merâ liberalitate excessum dare censetur; aut si in Missâ dicendâ aliquis foret labor extrinsecus et extraordinarius, ut si Missa in ecclesiâ valdè dissitâ esset celebranda. 3.° Si quis pecuniæ summam tribueret pro Missis dicendis, numerum non determinans, tunc tot Missas esse celebrandas quot essent stipendia, juxta legem aut consuetudinem. 4.° Licitum esse pactum pro Missis celebrandis, eo sensu quòd possint fideles præbere Sacerdotibus stipendium, et Sacerdotes illud accipere, sub conditione celebrandi Missas, modò serventur conditiones mox enumeratæ: undè ulteriùs infertur licitas esse fundationes, quas ideò semper approbavit Ecclesia, quæ non tacet, nedùm approbet vel faciat quæ sunt contra fidem vel bonos mores.

II.

Quænam sint Sacerdotum obligationes quæ ex accepto stipendio oriuntur.

PROPOSITIO PRIMA.

Regulariter et ordinariè Sacerdotes tenentur vel per se, vel per alios, ex integro celebrare, et applicare tot Missas quot requisitæ fuerunt à dantibus stipendium.

Prob. Qui confert stipendium, illius dominium

transferre non intendit, nisi sub hâc conditione, ut tot pro se celebrentur Missæ, quot ipse requirit; ergo si accipiens non implet conditionem, stipendii dominium non acquirit. Hinc jam memorata damnatio ab Alexandro VII hujus propositionis : *Non est contra justitiam pro pluribus sacrificiis stipendium accipere, et sacrificium unum offerre; neque etiam est contra fidelitatem, etiamsi promittam promissione etiam juramento firmatâ, danti stipendium, quod pro nullo alio offeram.*

Valet propositio, etiam pro casu in quo stipendium acceptum esset solito minus, quia tale stipendium accipiens renuntiat juri quod habet solitum accipiendi. Damnata est præterea ab Urbano VIII, anno 1625, propositio contrarium asserens.

Dixi 1.°, *regulariter et ordinariè;* nam quandò auctoritate Episcopi vel aliorum ad quos spectat, ex Conc. Trid Sess. 25, de Reform. cap. 4, facta est reductio Missarum, cessat obligatio adimplendi majorem Missarum numerum.

Dixi 2.°, *vel per se vel per alios,* quia utroque modo potest satisfieri obligationi illarum Missarum. Quandò autem qui stipendium recipit, debitas ipse Missas non celebrat, debet curare ut ejus loco alter celebret : tamen, juxta communem Doctorum sententiam, Capellanus habens perpetuum vel annuum stipendium ad celebrandum quotidiè, si propter infirmitatem aliquot diebus celebrare non possit, non tenetur ad has Missas per alium supplendas, præsertìm si aliundè sit pauper; quod probatur ex cap. *Significâtum,* de Præbendis.

Si per alium Sacerdos Missis satisfaciat, tene-

tur totum acceptum stipendium tribuere, licèt sit solito majus, ut probatur damnatione propositionis sequentis ab Alexandro VII : *Post decretum Urbani, potest Sacerdos cui Missæ celebrandæ traduntur, per alium satisfacere collato illi minore stipendio, aliâ parte stipendii sibi retentâ.* Excipe casum in quo qui stipendium offert, in hoc sponte et liberè consentiret; alioqui Sacerdos restituere teneretur.

PROPOSITIO II.

Tenentur Sacerdotes hujusmodi Missas celebrare quamprimùm.

Prob. 1.° *ex decretis Summ. Pontificum*, v. g., ex decreto Urbani de Celebratione Missarum. Insuper sacra Cardinalium Congregatio expressè declaravit non posse acceptari stipendia Missarum in magno numero, quibus non possit citò satisfieri.

Prob. 2.° *Ratione.* Nam unusquisque tenetur quamprimùm solvere quod debet; ergo Sacerdotes tenentur quamprimùm dicere Missas ad quas obligantur ratione accepti stipendii, et talis censetur esse mens tribuentium stipendia; ideòque graviter peccant qui Missas diutiùs celebrare differunt, nisi id fiat ex consensu largientium stipendia. Sic in locis ubi fit populi concursus, ob festum alicujus Sancti, vel ob aliam devotionem, qui stipendium pro Missis offerunt, censentur tacitè consentire in dilationem, quæ necessaria est ut ipsorum et aliorum intentioni satisfiat, nisi forsan aliud exprimant; in quo casu eorum postulationi satisfaciendum est, vel acceptanda non sunt eorum stipendia. Posset autem contingere

ut dilatio unius diei foret peccatum mortale ratione urgentis et imminentis necessitatis, v. g, si quis petat Missam hoc mane dicendam pro infirmo periclitanti et morti proximo vel pro lite hodiè decidendâ; quo in casu et similibus, dilatio inducit obligationem restituendi acceptum stipendium, si necessitas jam transacta fuerit.

Extra hos similesve casus, communis sententia, inquit *Collet*, statuit non posse tot Missarum obligationem suscipi, ut intra bimestre his satisfieri nequeat.

PROPOSITIO III.

Sacerdotes debent Missas celebrare quoad qualitatem et alias circumstantias quæ à personâ stipendium offerente, vel à fundatione requiruntur, nisi justa quædam impediat causa.

Prob. Quia tenentur Sacerdotes adimplere legitimas conditiones sub quibus temporale stipendium eis confertur; ergo si persona stipendium erogans postulet, v. g., Missam de B. V., aut Missam pro defunctis, si petat Missam dici in tali ecclesiâ, vel in tali altari privilegiato, Sacerdos tenetur illas conditiones adimplere, si sub illis stipendium acceptavit.

Dixi, *nisi justa quædam causa impediat;* si enim aliquid petatur contra Ecclesiæ regulas et approbatas consuetudines, id fieri non debet; sic si quis die dominicâ vel festo solemni petat Missam votivam, vel Missam *de requiem* pro defuncto pluribus ante diebus inhumato, non erit Missa celebranda juxta ritum postulatum, sed dici poterit, eâdem servatâ intentione, secundùm ritum tali die præscriptum : in hoc tamen

caveri debet scandalum et indignatio eorum qui stipendium offerunt, eosque docere oportet nullum exindè eorum intentioni fieri præjudicium; nam, v. g., quandò pro defuncto dicitur Missa in honorem alicujus Sancti, nihil minùs defuncto prodest quàm Missa *de Requiem*, quia fructus ex opere operantis qui provenire potest ex specialibus orationibus pro defuncto, abundè compensatur per intercessionem Sancti pro eodem defuncto.

Prætereà, si in fundationibus aliqua pro Missis dicendis circumstantia notetur, quæ jam nullatenùs vel nisi magnâ cum difficultate adimpleri possit, recurrendum erit ad Episcopum, ut statuat quod magìs expedire judicaverit, sicut jam diximus pro reductione Missarum.

Quæres utrùm liceat applicare Missam ei qui primus stipendium offeret.

Resp. negativè. Etenim ille pro quo in tali casu celebraretur Missa, tunc fortè non indiget illius applicatione, aut saltem intentionem non habet illius applicationem petendi; quomodò ergo dici posset Missam celebrari et pro illo et secundùm illius intentionem, quod tamen requiritur? Prætereà, prohibita est hæc anticipatio à Paulo V, his verbis : *Prohibemus dictam opinionem tanquam plurimis nominibus periculosam, fidelium scandalis et offensionibus obnoxiam, atque à vetusto Ecclesiæ more nimiùm aberrantem.*

Quæ diximus de Missis ratione stipendii celebrandis, eàdem cum proportione intellige de Missis quæ solùm ex promissione sunt celebrandæ.

CAPUT V.

De Subjecto sacrificii Missæ.

NOMINE subjecti sacrificii eos intelligimus in cujus gratiam offerri potest. Quæstio autem movetur de hominibus *qui adhuc sunt è vivis*, fidelibus, hæreticis, schismaticis, excommunicatis et infidelibus; vel *de iis qui obierunt*: ex iis autem alii è damnatorum numero censentur, alii in igne purgatorii torquentur, alii jam in cœlis recepti sunt.

ARTICULUS PRIMUS.

An Missæ sacrificium pro omnibus omninò hominibus vivis possit offerri.

PROPOSITIO PRIMA.

Sacrificium Missæ pro fidelibus omnibus, sive justis, sive peccatoribus, offerri potest et debet.

Prob. tum ex naturâ sacrificii, quod est commune Ecclesiæ bonum, ideòque pro omnibus qui ad ipsam pertinent offerendum; tum ex praxi Ecclesiæ universali, necnon apostolicâ Traditione. Confirmant ipsa liturgiæ verba, quibus inter offerendum utitur Sacerdos: *Offerimus pro Ecclesiâ tuâ sanctâ catholicâ...., et omnibus orthodoxis, atque catholicæ et apostolicæ fidei cultoribus*, quæ verba ad ipsos peccatores se extendunt. Tandem ita docet Concil. Trid. Sess. 22, cap. 2, et can. 3. Nulla circa hoc punctum controversia.

PROPOSITIO II.

Attentâ rei naturâ, non est illicitum sacrificium offerre pro infidelibus, pro hæreticis et excommunicatis, uno verbo pro omnibus viventibus.

Prob. 1.° Apostolus, I ad Timoth. c. 2, ℣. 2, obsecrat fieri orationes *pro omnibus hominibus*, pro Regibus, etc., qui tunc temporis erroribus paganismi detinebantur : has autem orationes interpretantur nonnulli Patres de precibus in sacrificio Missæ fieri solitis. 2.° Praxis antiqua fuit Ecclesiæ Missam celebrare pro infidelibus : *Sacrificamus pro salute Imperatoris*, inquit Tertull. ad Scapulam; *pro Rege gentili offerendum est*, declarat S. Chrysostomus. 3.° Sacrificium Missæ unum est cum sacrificio crucis ratione victimæ et principalis offerentis : atqui sacrificium crucis pro omnibus omninò hominibus oblatum est; ergo, etc.

Hæc speculativè vera sunt : idcircò in propositione diximus, *attentâ rei naturâ*. Quæritur verò utrùm in praxi pro omnibus hominibus sacrificium offerre sit licitum. Pro more nostro, breviter quæ certa sunt aut probabilia exponemus.

Certum est quidem infideles, hæreticos, schismaticos, excommunicatos, nullum jus habere ut sacrificium pro se offeratur; Missa enim est oblatio facta in nomine *familiæ Christi*, uti declarant ipsa Canonis verba : porrò isti vel nondùm ad familiam christianam pertinent, vel ab eâ meritò præcisi sunt. Pariter ultrò fatentur omnes licitum esse fidelibus privatim orare pro infide-

libus, etc.; itaque Sacerdos, quatenùs homo privatus, potest omninò pro ipsis preces fundere, et ad eos attendere in commemoratione vivorum; indirectè etiam offerre sacrificium pro ipsis potest, petendo scilicet conversionem infidelium, exstinctionem hæreseon, et Ecclesiæ Catholicæ exaltationem.

Annotanda est Ecclesiæ praxis : semel tantùm in anno, in die Parasceves, quo non offertur sacrificium, publicè orat Ecclesia pro infidelibus, hæreticis, etc., non autem pro excommunicatis. Cur autem severior sit Ecclesia erga istos, rationem communiter afferunt Theologi, quòd excommunicatio sit pœna ad confringendam delinquentis contumaciam : indè nata videtur prohibitio à canonibus facta ne nomina excommunicatorum ad altare appellentur.

His positis, contendunt nonnulli licitum esse pro hæreticis et excommunicatis *directè* sacrificium offerre, modò non appellentur eorum nomina, idque solùm sanctionibus Ecclesiæ prohiberi putant : ita Estius, Sylvius, *Drouin*, *Billuart*. At plerique rem illicitam esse tradunt, juxta praxim et disciplinam hodiernam Ecclesiæ. Censent iidem, quamvis nulla existat expressa prohibitio pro infidelibus, sicut et pro excommunicatis, magìs esse conforme hodiernæ disciplinæ pro iis omnibus indirectè tantùm sacrificium offerre, ut jam diximus.

Quidquid sit, conveniunt omnes rem non ampliùs licitam esse ubi hujusmodi homines jam vitâ defuncti sunt, ut satis liquet ex prohibitione Gregorii III, et Conc. Lateran. III.

ARTICULUS II.

Utrùm Missæ sacrificium pro omnibus defunctis offerri possit.

PROPOSITIO PRIMA.

Piè et utiliter offertur sacrificium Missæ pro animabus fidelium in purgatorio detentis.

Propositio est de fide, definita in Conc. Trid. Sess. 22, cap. 2 et can 3 : *Si quis dixerit Missæ sacrificium... neque pro vivis et defunctis... offerri debere; anathema sit.* Idem sanxit sancta Synodus, Sess. 25 de Purgatorio.

Prob. 1.° *ex Script.* II Machab. c. 12 : Judas Machabæus *duodecim millia drachmas argenti misit Jerosolymam, offerri pro peccatis mortuorum sacrificium, benè et religiosè de resurrectione cogitans... Sancta ergo et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis solvantur.* Etiamsi liber ille canonicus non foret, ut falsò contendunt Protestantes, nihilominùs ex eo deduceretur argumentum peremptorium adversùs novatores; illi enim libro denegari non potest saltem fides historica, ac proindè nobis exhibet antiquam Judæorum fidem circa purgatorium et preces pro defunctis : porrò si veteris legis sacrificia levare potuerunt animas defunctorum, à fortiori ad id valet augustissimum Eucharistiæ sacrificium.

Prob. 2.° *ex perpetuâ Ecclesiæ traditione*, quam exhibent SS. Patres. Tertull. lib. de Coronâ militis, cap. 3 : *Oblationes pro defunctis.... annuâ die facimus.* S. Epiphanius, Hæres. 75, Aerium refutans : *Pergit deindè* (Aerius) : *Quæ*

ratio est, inquit, post obitum, mortuorum appellare nomina? S. Chrysostomus, Hom. 69 ad Populum Antiochenum : *Non frustrà hæc ab apostolicis sunt legibus constituta, ut in venerandis et tremendis mysteriis, memoria eorum fiat qui decesserunt. Noverant hinc multùm ad illos lucri accedere, multùm utilitatis.* Similia habent SS. Cyprianus, Ambrosius, Augustinus, Isidorus Hispalensis, etc., ut ipsi agnoscunt eruditi inter Protestantes.

Ejusdem Traditionis argumentum præbent liturgiæ, quæ omnes memoriam habent defunctorum. Et certè, ab ipso Ecclesiæ exordio, nomina defunctorum in tabulis publicis inscribi solebant, quæ *diptycha* vocantur, et intra Missarum solemnia palàm recitabantur ; lectione finità, subjungebat Celebrans : *Ipsis, Domine, et omnibus in Christo quiescentibus locum, etc.*

Hùc ergo meritò recurrit percelebre Augustini effatum : *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum, nonnisi auctoritate apostolicâ traditum rectissimè creditur.* Vide de hoc argumento, *Lettre à un Magistrat de Strasbourg par le P. Scheffmacher.*

Dices : Si per Missæ sacrificium juventur animæ purgatorii, idque juxta principia nostra ex opere operato et infallibiliter, vix ac ne vix quidem, attentâ Missarum quæ ubique celebrantur multitudine, fieri potest ut purgatorium quotidiè non evacuetur.

Resp. duplicem distinguendam esse classem animarum purgatorii : altera earum est quæ culparum suarum remissionem obtinuerunt in hâc vitâ, et istæ facili negotio liberantur per sacrificiorum multitudinem ; altera earum est quæ cum

pluribus culpis venialibus nondùm dimissis è vitâ migrârunt, et de ipsis non veremur asserere non ita facilem esse earum liberationem. Ratio est quia, licèt sacrificium Missæ ex opere operato et infallibiliter remittat pœnam purgatorii, attamen culpa venialis nondùm dimissa est obex impediens illum effectum; siquidem non potest remitti pœna ante dimissam culpam, et aliundè, ex dictis, remissio culpæ venialis, juxta sententiam probabiliorem, non fit immediatè per sacrificium.

PROPOSITIO II.

Pro damnatis nec offerri potest sacrificium, nec oratio fieri.

Prob. Illicitum est pro illis offerre sacrificium aut orare, quibus nihil profuturum scimus: atqui preces et oblationes nullius levaminis damnatis esse possunt. Non quidem prosunt ad remissionem peccatorum, quæ sine pœnitentiâ obtineri nequit; cùm autem extra viam sint constituti, nullus jam pœnitentiæ locus est. Neque ad pœnæ relaxationem; in inferno enim *nulla redemptio*, et illorum pœna immobili sententiâ in æternum est constituta, pronuntiante ipso Christo: *Discedite à me, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus.* Undè S. Augustinus, lib. 21 de Civit. Dei, cap. 24: *Si de aliquibus ita certa esset* (Ecclesia), *ut qui sint illi etiam nosset qui, licèt adhuc in hâc vitâ sint constituti, tamen prædestinati sunt in æternum ignem ire cum diabolo, tam pro eis non oraret, quàm nec pro ipso.*

Obj. 1.° Judæi pro quibus Judas Machabæus jussit offerri sacrificia, peccato mortali teneban-

tur; siquidem inventa sunt sub illorum tunicis idolorum donaria, à quibus lex prohibebat Judæos; ergo damnati erant, ac proindè pro damnatis sacrificium licitè offertur.

Resp. Nego ant. Dici enim potest illos reos fuisse tantùm peccati venialis, quia donaria non sustulerant ad reverentiam idolorum, sed tanquam spolia quæ jure belli victoribus debentur. Verùm, etiamsi supponerentur rei peccati mortalis, Judas Machabæus piè præsumere potuit eos in extremo vitæ spiritu sceleris sui pœnituisse: sic quotidiè Sacrum facimus pro suspectæ famæ hominibus, piè præsumentes Deum eis dedisse spiritum pœnitentiæ. Et reverà, Scriptura de prædictis Judæ militibus testatur quòd *cum pietate dormitionem* acceperint.

Obj. 2.° Illud sacrificium pro damnatis non inutiliter offertur, per quod aliquid levaminis ipsis afferri potest: atqui sacrificium Missæ allevandi damnatorum supplicia vim habet; sic enim declarat S. August. Enchirid. cap. 110: *Sacrificia sive altaris, sive quarumcunque eleemosynarum, pro baptizatis defunctis omnibus offeruntur......: quibus autem prosunt, aut ad hoc prosunt ut sit plena remissio, aut certè ut tolerabilior fiat ipsa damnatio.*

Resp. Nego min., et dico S. Augustinum *damnationis* nomine intelligere pœnas eorum qui in purgatorio detinentur: ita S. Doctorem interpretatur D. Thomas, in 4, dist. 45, quæst. unicâ, art. 3; resque claret ex toto contextu ipsius S. Aug.: *Cùm sacrificia.... pro baptizatis defunctis omnibus offeruntur, pro valdè bonis gratiarum actiones sunt; pro non valdè malis, propitiationes sunt; pro valdè malis, etiamsi nulla sunt*

adjumenta mortuorum, qualescunque vivorum consolationes sunt : quibus autem prosunt, aut ad hoc prosunt ut sit plena remissio, aut certè ut tolerabilior fiat ipsa damnatio. Itaque S. Doctor evidenter distinguit inter non valdè malos, et valdè malos; inter eos quibus sacrificium aliquid adjumenti afferre potest, et eos quibus nihil prodest; ergo nomine damnationis intelligit pœnas temporarias, quæ vel condonantur per Missarum oblationem, vel saltem tolerabiliores fiunt et imminuuntur.

Cæterùm, de aliis qui objiciuntur ex S. Augustino textibus, annotare sufficit Origenis fuisse opinionem, pœnas damnatorum aliquandò finem habituras, aut saltem aliquâ mitigatione levari posse. Priorem sententiam condemnat S. Augustinus, posteriorem verò non directè rejicit, etsi non admittat : sed illam S. Thomas vocat præsumptuosam, Sanctorum dictis contrariam, nullâ fulcitam auctoritate, ideòque penitùs reprobandam.

Quoad factum Gregorii Magni, qui refertur totam noctem adeò perseveranter in oratione permansisse, ut precibus suis tandem obtinuerit Trajanum, Imperatorem ethnicum, ab inferno liberari, consentiunt omnes melioris notæ critici, factum illud esse apocryphum, quod nec reperitur in operibus pii Pontificis, nec ab ullo auctore coætaneo commemoratur, et primùm relatum est à Joanne Diacono, ducentis et septuaginta annis post mortem Gregorii Magni.

PROPOSITIO

PROPOSITIO III.

Sacrificium nec Sanctis offertur, nec pro Sanctis ad eorum subsidium; offertur verò in memoriam Sanctorum.

Tres sunt partes Propositionis.

Prob. 1.a *pars,* quòd *sacrificium Sanctis non offeratur.* Sacrificium ad cultum latriæ pertinet, quo supremum Dei agnoscimus dominium in res omnes creatas : atqui hujusmodi cultus Sanctis reddi nequit sine gravi Deo factâ injuriâ. Hinc S. Aug., lib. 8 de Civitate Dei, cap. 27 : *Quis audivit aliquandò fidelium stantem Sacerdotem ad altare, etiam super sanctum corpus Martyris, ad Dei honorem cultumque constructum, dicere in precibus : Offero tibi sacrificium, Petre, vel Paule, vel Cypriane?* Et lib. 20 contra Faustum, cap. 21 : *Nulli Martyrum, sed ipsi Deo Martyrum.... constituimus altaria... Quod offertur, offertur Deo, qui Martyres coronavit.*

Accedit decisio Conc. Trid. Sess. 22, cap. 3, eadem ferè verba S. Augustini adhibentis.

Prob. 2.a *pars,* nempè *sacrificium in Sanctorum subsidium non offerri.* Ratio est evidens : quî enim Sanctis prodesse posset sacrificium, quibus nihil remanet vel culpæ expiandæ, vel luendæ pœnæ; qui de suâ salute securi sunt, et jam in cœlis triumphant, *ubi videtur quod hìc creditur, ubi tenetur quod hìc speratur, ubi accipitur quod hìc petitur,* ut ait S. Augustinus.

Prob. 3.a *pars, offerri licitè sacrificium in honorem Sanctorum.* Illud enim licitum est et tenendum, quod ubique, quod semper tenuit Ecclesia : atqui semper et ubique Ecclesia Missas

celebrari permisit in memoriam Sanctorum, tum ut Deo grates rependantur pro collatis in eos beneficiis, tum ut suis nos suffragiis adjuvent, *et intercedere dignentur in cœlis, quorum memoriam agimus in terris.* Ita testantur unanimi consensu omnes liturgiæ christianæ, omnia veteris historiæ monumenta, quæ referunt solitos esse antiquitùs Christianos sacra peragere ad Memorias seu tumulos Martyrum; testantur omnes Patres, quorum omnium instar sit S. Cyrillus Jerosol. Catechesi 5 : *Cùm hoc sacrificium offerimus,* inquit, *mentionem facimus eorum qui ante nos obdormierunt, primùm Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, ut Deus orationibus illorum et deprecationibus suscipiat preces nostras.*

Confirmavit Conc. Trident. Sess. 22, can. 5 : *Si quis dixerit, imposturam esse, Missas celebrare in honorem Sanctorum, et pro illorum intercessione apud Deum obtinendâ, sicut Ecclesia intendit; anathema sit.*

SCHOLIUM.

Ad diluendas objectiones Protestantium, nonnulla revocanda sunt ex his quæ fusiùs diximus in *Tractatu de Incarnatione*, appendice de Cultu Sanctorum, et *Tractatu de Decalogo*, appendice de Oratione : 1.° Sanctos non invocari tanquasi suâ virtute possint nos adjuvare, sed tantùm quia ad Deum valent pro nobis intercedere; 2.° per invocationem et intercessionem Sanctorum non derogari mediationi Christi, à quo preces Sanctorum vim omnem habent; 3.° calumniam esse adversariorum contra Catholicos, nos cultum latriæ Sanctis exhibere : si sacrificium offerri in

honorem Sanctorum aliquandò dicatur, illud de honore secundario et minùs principali intelligendum est, quatenùs glorificatio certè quædam in Sanctos refunditur, quandò Deo gratias rependimus ob concessa Sanctis suis eximia gratiæ et gloriæ beneficia.

CAPUT VI.

De iis quæ ab Ecclesiâ præscribuntur circa Missæ celebrationem.

Septem erunt hujusce capitis articuli : 1.us erit de loco sacrificii, 2.us de tempore, 3.us de altari et ejus apparatu, 4.us de vasis sacris, 5.us de sacris linteaminibus, 6.us de Sacerdotum ornamentis, 7.us de sacris ritibus et cæremoniis.

ARTICULUS PRIMUS.

De Loco Sacrificii.

Certum est nullum vel à naturâ, vel à Christo determinatum esse locum in quo necessariò offerendum sit Missæ sacrificium; conveniens tamen fuit ut certa loca cultui divino consecrarentur, ne sacra vilescerent, si ubique fieri cernerentur. Huic periculo providit Ecclesia, templa deputando quò fideles Religionis causâ convenirent, et in quibus sacra fieri deberent. Appellantur Ecclesiæ, et olìm Oratoria, Basilicæ, et aliquandò Dominicæ vocabantur. Inter illas ecclesias quædam ritu maximè solemni consecratæ sunt ab Episcopo, per sacri Chrismatis unctionem, et alios ritus in Pontificali præscriptos; aliæ verò sunt

duntaxat benedictæ ab Episcopo, vel à simplici Presbytero ex Episcopi licentiâ.

Restat igitur expendendum 1.° utrùm nonnisi in ecclesiis, 2.° utrùm in omni ecclesiâ liceat celebrare.

§ I.

Utrùm nonnisi in Ecclesiis celebrare liceat.

PROPOSITIO.

Jure communi et ordinario, non licet celebrare nisi in Ecclesiis.

Prob. ex canone, *Consecrationem*, qui Felici IV tribuitur, distinct. 1, de Consecratione.

Dixi, *jure communi et ordinario;* quædam enim sunt exceptiones : sic 1.° Episcopis speciali privilegio indultum est, ut possint in altari portatili sacrificare, vel sacrificanti assistere, in domo propriæ habitationis, aut etiam in alienâ, Diœcesim visitando, aut iter faciendo, aut, ex licentiâ Sedis apostolicæ, habitando in domo alienâ extra Diœcesim. 2.° Cum debitâ licentiâ et servatis præscriptis conditionibus, Missa celebrari potest in littore maris aut navi, pro navigantibus. 4.° Nonnumquàm Episcopi permittunt ut Missa dicatur in privato oratorio ad divinum duntaxat cultum permanenter destinato, ordinariè sed non semper benedicto : at nonnisi rarissimè id permittitur pro loco qui anteà profanis usibus destinatus erat, et statìm posteà in eosdem usus restituendus est. In his oratoriis aut capellis domesticis non licet celebrare in festis annualibus, absque speciali Episcopi permissione, ut habetur cap. *Si quis*, de Consecrat. 4.° Licet celebrare etiam sub dio in necessitate, v. g., si populi

multitudo Missâ carere deberet, in castris pro exercitu.

§ II.

Utrùm in omni Ecclesiâ celebrare liceat.

Constat celebrare non licere in ecclesiâ interdictâ, ut dicitur in *Tractatu de Censuris;* superest igitur expendendum, 1.° an liceat celebrare in ecclesiâ pollutâ vel exsecratâ; 2.° quot modis ecclesia violetur vel exsecretur; 3.° quid agendum sit quandò contingit ecclesiam pollui vel exsecrari.

I.

An liceat celebrare in Ecclesiâ pollutâ vel exsecratâ.

PROPOSITIO PRIMA.

Non licet celebrare in Ecclesiâ pollutâ.

Prob. Ecclesiam violari vel pollui, nihil aliud est quàm in eâ committi aliquid ejus sanctitati repugnans; propter quod jure ecclesiastico prohibetur, ne ibi Missa vel divinum Officium celebretur : atqui illud ecclesiasticum præceptum omninò justum est, et in materiâ gravi; ergo obligat, et quidem sub mortali peccato.

PROPOSITIO II.

Non licet celebrare in Ecclesiâ exsecratâ.

Prob. ex can. *Ecclesiis.* Prætereà, propositio patet ex terminis; exsecratio enim est irregularitas seu quasi censura jure ecclesiastico introducta, ne divina Officia in aliquo loco sine indecentiâ celebrari possint.

Qui celebrat in ecclesiâ violatâ vel exsecratâ,

licèt nullam pœnam incurrat, peccat tamen mortaliter, quia facit contra justam Ecclesiæ prohibitionem in re gravi : Bened. XIV de Sacr. Missæ, sect. 2, n. 53.

II.

Quomodò Ecclesia polluatur vel exsecretur.

PROPOSITIO PRIMA.

Ecclesia polluitur per homicidium, sanguinis vel seminis humani effusionem, necnon per sepulturam hæretici vel excommunicati vitandi, aut hominis infidelis vel non baptizati.

Explicatur et prob. propositio. Itaque 1.° violatur ecclesia per homicidium, ut constat ex can. *Si motum*, de Consecr. distinct. 1. Debet autem illud homicidium esse voluntarium, et ecclesiæ injuriosum, quod fit quandò quis hominem in ecclesiâ existentem voluntariè occidit, vel lethaliter vulnerat, vel etiam aliam physicam mortis causam ibi ponit, v. g., suffocationem, veneni propinationem, etc.; hinc ecclesia non erit polluta, si homicidium fiat cum moderamine inculpatæ tutelæ, aut si quis extra ecclesiam vulneratus in eâ moriatur.

2.° Violatur ecclesia per mortaliter culpabilem hominis percussionem, undè oritur notabilis effusio sanguinis, quamvis mors non sequatur. Id patet ex can. *Ecclesiis*, de Consecr. dist. 1. Requiritur autem ut illa sanguinis effusio judicio Episcopi censeatur notabilis, per proportionem ad partem undè fluit; non enim judicatur de copiâ sanguinis per nares fluentis, eodem modo ac si per aliud membrum flueret : non est autem necesse ut sanguis fundatur intra ipsam ecclesiam,

sed satis est quòd homo in ecclesià existens ita sit vulneratus, ut indè sequatur notabilis effusio sanguinis. È contrà, si percussio fiat extra templum, in quod posteà læsus ingrediatur, et ibi sanguis effluat, ecclesia non erit violata.

3.° Polluitur ecclesia per voluntariam effusionem humani seminis. Id patet ex canone *Ecclesiis*, de Consecratione, dist. 1. Non refert autem an illa effusio seminis fiat per voluntariam pollutionem, aut copulam etiam conjugalem, quæ in hoc casu est mortaliter illicita.

4.° Violatur ecclesia per sepulturam, etiam inculpabilem, hæretici, vel cujusvis excommunicati vitandi (1). Id colligitur ex cap. *Consuluisti*, de Consec. Ecclesiæ et altaris, ubi Sum. Pont. Innoc. III sic loquitur. *Cœmeteria in quibus excommunicatorum corpora sepeliri contingit, reconcilianda erunt;* ergo à fortiori reconcilianda erit ecclesia, si intra illam excommunicatus fuerit sepultus. Secùs autem dicendum, si hæreticus vel quivis excommunicatus non sit denuntiatus, quantumvìs notorius.

5.° Polluitur ecclesia per sepulturam, etiam inculpabilem, hominis infidelis, vel non baptizati. Id colligitur ex 1 can. *Ecclesiam*, eod. titulo. Porrò jactari debet foràs corpus infidelis, si facilè discerni possit ab aliis, alioquin ibi erit relinquendum, et satis erit ecclesiam reconciliare. Quantùm verò ad infantes non baptizatos, si in uteris matrum mortui essent, simul cum matribus fidelibus sepeliri poterunt, quia mater cum

---

(1) Quinam sint excommunicati *vitandi* dicitur in *Tractatu de Censuris*, infrà, part. primâ, cap. 2, sect. 1, art. 3.

suo fœtu quasi unum corpus censetur; non autem si illi infantes extra matris uterum sint mortui, indè enim pollueretur ecclesia, sicut communiter sentiunt Doctores.

Adverte autem, generatìm loquendo, factum illud per quod ecclesia violatur, debere esse publicum et notorium, vel per evidentiam aut divulgationem facti, vel per juridicam probationem.

Præstereà, necesse est ut factum illud perpetratum fuerit in spatio pertinente ad interius ecclesiæ corpus; si enim, v. g., fieret homicidium in turri campanarià, non proindè violaretur ecclesia; si fieret in cœmeterio, violaretur quidem cœmeterium, non tamen ecclesia, licèt quandò ecclesia violata est, censeatur etiam violatum cœmeterium eidem ecclesiæ contiguum, sicut declaravit Sum. Pont. Bonifacius VIII, de Consecratione Eccles., in Sexto, *ne*, inquit, *minùs dignum majus, aut accessorium principale ad se trahere videatur.*

Jus canonicum ubi de violatione ecclesiarum, silet de oratoriis privatis et capellis domesticis, undè inferunt Theologi et Canonistæ ea nullomodò violari : in hàc tamen Diœcesi *ipso facto* revocatur licentia in illis celebrandi.

PROPOSITIO II.

Ecclesia exsecratur seu consecrationem suam amittit, si comburatur, corruat, destruatur, vel ex toto, vel ex majori parte, simul et semel, imò si solùm parietes interiùs decrustentur.

Prob. ex can. *Ecclesiis.* Confirmatur : Consecratio ecclesiæ præsertìm parietibus inhæret;

in iis enim fiunt cruces et Chrismatis unctiones; quare deficit consecratio, quandò non manent moraliter iidem parietes, quod evenit in casibus suprà dictis. Si verò per minores partes paulatìm deficiant et reparentur parietes, non deperditur consecratio; neque si, manentibus parietibus, tectum et ligna comburantur, ut expressè docet Innoc. III, cap. *Lignis*.

Ex his duabus propositionibus colliges, pollutâ ecclesiâ, pollui altaria ejus fixa, quæ tamen speciali reconciliatione non indigent. È contrà, exsecratâ ecclesiâ, non exsecrantur altaria.

Juxta multos, ecclesia duntaxat benedicta, per parietum destructionem suam benedictionem non amittit; nec est necesse ut ipsa denuò benedicatur, sed ut parietes reficiantur, quia, inquiunt, benedictio ecclesiæ inhæret præsertìm solo seu pavimento. Sed hæc sententia minùs reverentiæ et securitatis in praxi habere videtur, inquit *Collet*.

Nota. Licèt per exercitium hæreticum, aut aliam quamlibet gravem irreverentiam non violetur ecclesia, decet, et praxis habet, ut cum aliquâ cæremoniâ ex nutu Episcopi reconcilietur; quod in simili casu intellige de altari.

III.

Quid agendum sit quandò contingit Ecclesiam violari aut exsecrari.

Quandò contingit ecclesiam violari, hoc præsertìm observandum est: si Sacerdote celebrante violatur ecclesia ante Canonem, dimittatur Missa; si post Canonem, non dimittatur. Sic præscribit Rubrica, titulo de Defectibus Missæ, n. 2.

Quandò ecclesia fuit consecrata, non potest absque speciali dispensatione Sum. Pont. per simplicem Sacerdotem reconciliari, sed duntaxat per Episcopum, saltem juxta communem Doctorum sententiam, quæ innititur tum pluribus canonibus, ut cap. *Aqua*, de Consec. Eccles., tum consuetudine Ecclesiæ etiam Gallicanæ.

Ecclesia duntaxat benedicta potest à simplici Presbytero reconciliari, etiam absque Episcopi permissione, si non sit facilis ad eum recursus.

Dignosci autem potest an templum fuerit solemniter ab Episcopo consecratum, non solùm ex registris ecclesiæ, et vulgari famâ, sed etiam ex ipso templi conspectu; nam in parietibus templi consecrati depictæ vel etiam insculptæ fuerunt 12 cruces intùs, per circuitum, quæ cruces super terram octo circiter pedibus elevatæ sunt, et ad caput cujuslibet crucis infixus est clavus.

ARTICULUS II.

De Tempore quo celebrandum est.

Tria hìc aperienda sunt : 1.° quibus diebus celebrare liceat, 2.° quâ horâ, 3.° an pluries eâdem die. Sit itaque

PROPOSITIO PRIMA.

Singulis anni diebus celebrare licet, excepto ad summum triduo Majoris Hebdomadæ, prout modò explicabitur.

Propositio constat, et probatur ex Traditione et consuetudine Ecclesiæ.

Dixi, *excepto ad summum triduo Majoris Hebdomadæ;* nam Feriâ 6 in Parasceve, nemini licet celebrare, sicut docet Innoc. I in Epist. 1

ad Decentium, nec illo die prætorquàm infirmis sacra communio dari consuevit. Feriâ autem 5, quamvis nonnullis in Ecclesiis mos ferat ut à solo Rectore vel primario Sacerdote sacrificium celebretur, in quo cæteri Sacerdotes communicant, tamen nullo jure prohibetur ne singuli Sacerdotes celebrent; et hæc consuetudo viget in pluribus regionibus, præsertìm in numerosis parochiis. Deniquè in Sabbato sancto Missa olim non cantabatur, sed tantùm in nocte Dominicæ Resurrectionis: posteà ob graves rationes mos fuit eamdem Missam cantare circa meridiem ejusdem Sabbati: solam autem hanc solemnem Missam celebrare usu receptum est multis in locis; tamen in aliis plures Missæ privatæ dicuntur, tam ante, quàm post Missam solemnem: quæ praxis, modò à legitimis Superioribus approbetur, tutâ conscientiâ servari potest.

PROPOSITIO II.

Ab aurorâ usque ad meridiem celebrare licet, non autem multò ante vel post, saltem ordinariè loquendo.

Assertio certa est. *Prob.* tum ex pluribus can., ut can. *Nocte sanctâ*, et can. *Necesse*, de Consec. dist. 1; tum ex consuetudine Ecclesiæ et Doctorum consensu.

Dixi, *non multò ante vel post;* nam Theologi vulgò sentiunt satis esse si Missa initio auroræ finiatur, vel circa meridiem incipiatur: undè hoc tempus non mathematicè, sed moraliter accipiendum est. Prætereà, ex consuetudine legitimè ab Episcopo approbatâ, celebrationis tempus notabiliter anticipari vel præteriri poterit:

sic in pluribus locis harum regionum, hyemis tempore, quo sol nonnisi seriùs oritur, consuetudo est ut pluribus horis ante primam diei irradiationem celebretur Missa, cui viatores, operarii et famuli interesse possint, priusquàm ad iter vel ad opus se accingant; et pariter in quibusdam populosissimis urbibus Missæ dici solent usque ad unam horam post meridiem vel circiter. Idem in casu particulari poterit fieri, obtentâ Episcopi licentiâ; imò etiam in casu gravis necessitatis, v. g., ad Viaticum infirmo præbendum, paulò post meridiem celebrare licebit, etiam non petitâ Episcopi licentiâ, si ad illum facilis non detur recursus.

PROPOSITIO III.

Regulariter et ordinariè semel tantùm in eâdem die celebrare licet.

Propositio constat, et *prob.* ex Ecclesiæ consuetudine et variis canonibus.

Excipitur autem 1.° dies Nativitatis Dominicæ, in quâ, ex antiquâ consuetudine, Sacerdotes tres Missas celebrare possunt, quibus repræsentantur tres Christi Nativitates, scilicet, æterna ex Patre cœlesti, temporalis ex B. M. V., et spiritualis in hominum cordibus: tamen singulis Sacerdotibus non incumbit obligatio ter celebrandi, nec populis tres Missas audiendi.

Excipitur 2.° dies Commemorationis fidelium defunctorum, pro Sacerdotibus Hispaniæ et Lusitaniæ, quibus concessum fuit à Benedicto XIV ut in illâ die tres Missas celebrare possint; sed pro unâ tantùm licitum est illis stipendium accipere. Bened. XIV de Sacr. Missæ, sect. 2, n. 32.

Excipitur 3.° quidam gravioris necessitatis casus, si nempè unus et idem Sacerdos ex permissione Episcopi in duabus parochiis, aut in eàdem, si numerosior sit populus, bis Sacrum peragat diebus dominicis aut festis; hic autem Sacerdos in priori Missà non sumit ablutionem, ut jejunus permaneat.

ARTICULUS III.

De Altari et ejus Apparatu.

§ I.

De Altari.

Notandum. Duplex distinguitur altare, 1.° scilicet altare fixum, quod in canonibus et Rubricis vocatur *Altare* simpliciter et sine addito; 2.° altare portatile, quod in Rubricis vocatur *Ara lapidea.* Altare fixum est illud quod consecratur ut ibidem immobiliter perseveret; altare verò portatile est illud quod consecratur, ut de loco in locum transferri possit.

PROPOSITIO.

Ad licitè offerendum Missæ sacrificium necessariò requiritur Altare lapideum, et ab Episcopo consecratum.

Tres propositionis partes certissimæ sunt.

Prob. 1.ª *pars*, ex praxi Ecclesiæ, quæ à primis seculis altaria adhibuit ad Missam celebrandam, sicut unanimiter docent SS. Patres.

2.ª *Pars*, scilicet quòd altare debeat esse *lapideum,* probatur tum ex pluribus canonibus, tum ex antiquà Ecclesiæ consuetudine.

3.ª *Pars*, scilicet quòd altare debeat esse *ab Episcopo consecratum*, probatur conjungendo simul duo principia : 1.um quòd non liceat Missam celebrare nisi in altaribus consecratis, ut patet ex pluribus canonibus : imò, quoties rationabiliter dubitatur de ecclesiæ vel altaris consecratione, jubent canones ut illa consecrentur. 2.um Principium est, quòd simplices Sacerdotes nec licitè nec validè possint altaria consecrare, saltem absque Sum. Pont. dispensatione, sicut docet Conc. Hispalense II. Imò, hoc privilegium nunquàm, vel nisi rarissimè, simplicibus Sacerdotibus concessum est.

Quæritur quomodò altare suam amittat consecrationem.

Resp. cum distinctione. Nam quantùm ad altare fixum, duplici modo suam amittit consecrationem, 1.° si mensa altaris à suo pede vel stipite separetur, licèt integra remaneat; 2.° si illa mensa, Episcopi judicio, notabiliter fracta fuerit: hæc patent ex cap. *Ad hæc si Altare*, de Consec. Ecclesiæ.

Prob. quoque ratione. Nam in altari fixo consecratur tota altaris moles, vel, ut aliter loquar, consecratur mensa superior, quatenùs immobiliter super basi suâ ædificata est : ideò Pontifex Chrismate inungit conjunctiones tabulæ altaris et stipitis in quatuor angulis; ergo si mensa superior à stipite separetur, vel notabiliter lædatur, suam perdit consecrationem : tamen si unus aut alter lapis è basi decidat, non amittitur consecratio.

Quantùm verò ad altare portatile, suam deperdit consecrationem, quandò ita frangitur, ut nulla remaneat pars apta ad sacrificium, id est,

satis ampla ut hostiam et majorem calicis partem capiat, sicut loquitur Rubrica. Si verò per fractionem remaneat pars dictæ amplitudinis, illa pars retinenda erit, reliquis amotis; nam ex usu Ecclesiæ, et ad mysticam unius in Christo personæ significationem, necesse est ut altare constet ex uno et simplici lapide.

Disputant Theologi utrùm ad altaris consecrationem necessariæ sint Reliquiæ, et utrùm altaris consecratio deperdatur per solam sigilli confractionem, et Reliquiarum amotionem; sed quælibet super hàc quæstione seligatur opinio, repugnare videtur intentioni Ecclesiæ, ut Missa dicatur in altari Reliquiis destituto, tum quia sacri canones, ut canon *Placuit ut Altaria*, decreti part. 3 de Consecrat. distinct. 1, et Pontificale absolutè præcipiunt esse ponendas Reliquias in quibuslibet altaribus, sive fixis, sive portatilibus; tum quia Sacerdotes in introitu Missæ, altare osculando, hæc verba proferunt : *Oramus te, Domine, per merita Sanctorum tuorum, quorum Reliquiæ hìc sunt :* at hæc verba forent falsa, si non adessent Reliquiæ. Undè, cùm invenientur quædam altaria Reliquiis destituta, in iis Reliquiæ erunt reponendæ; meliùs superimponetur ara portatilis ritè et cum Reliquiis consecrata : quòd si neutrum fieri possit, à celebratione abstinendum erit, nisi adsit justa necessitas.

Observandum est altaria consecrata facilè discerni posse à non consecratis; consecrata enim sunt paululùm denigrata, et variis ceræ et incensi guttis atque oleo et Chrismate quibus inuncta sunt, maculata cernuntur; deindè in eorum sepulcro, repositæ sunt ab Episcopo Reliquiæ, et sepulcrum signatum est ac clausum. Cavendum

est autem ne frangatur hoc sigillum, et amoveantur Reliquiæ.

§ II.

De Altaris Apparatu.

Ad licitam Missæ celebrationem requiruntur in altari Mappæ, Antipendium, Crux, Lumen et Missale, de quibus singulatìm breviter dicendum est.

Itaque 1.° requiruntur *mappæ*, ut probatur ex can. *Altaris Palla*; de quibus insuper sic loquitur Rubrica : *Altare operiatur tribus mappis seu tobaleis mundis ab Episcopo vel alio habente potestatem benedictis, superiori saltem oblongâ, quæ ad terram usque pertingat* (quod tamen hodiè non est in usu) *duabus aliis brevioribus vel unâ duplicatâ*. Arbitrantur quidam Doctores ex rigore præcepti sufficere duas mappas, quibus corporale superimponatur : et in casu necessitatis ita celebrare licet; quo etiam in casu liceret celebrare cum mappis non benedictis. Cæterùm, ex lino aut tenui cannabe debent esse confectæ.

2.° *Antipendium* seu pallium, quo ornata esse debet altaris pars anterior; non enim absque irreverentiâ Sacrum fieret in altari denudato. Excipe tamen si altaris illa pars anterior marmore aut picturâ aut simili modo foret ornata.

3.° *Crux : Super altare*, inquit Rubrica, parte 1.ª tit. 20, *collocetur crux in medio*. Porrò sicut notat Gavantus, crux illa non debet esse nuda, sed gerere debet imaginem crucifixi; sufficit tamen *crucifixus in majori tabulâ vel pictus vel cœlatus, dummodò primum locum obtineat præ cæteris omnibus quæ in eâdem tabulâ exprimuntur :* ita S. Congregatio Rituum, anno 1663, apud

Bened. XIV, de Sacr. Missæ, appendice I. An verò poni debeat crux super altare, quandò ibidem expositum est SS. Sacramentum, partem affirmantem amplexa erat S. Congregatio Rituum, 14 maii 1707; sed, cùm in hâc ferendâ sententiâ varia fuissent ac discrepantia suffragia, cautum fuit ne ipsa sententia in lucem ederetur. Deindè initio Pontificatùs Bened. XIV, die 2.ª sept., anno 1741, res iterùm deducta est in examen, et decretum est *ut quælibet Ecclesia morem et institutum quod anteà servaverat in posterùm quoque retineret* : Bened. XIV, ibidem.

4.° *Lumen* tempore sacrificii adhibendum est in altari, et quidem sub gravi præcepto. Illud autem debet esse duplex, ut fert Rub. parte 1.ª, tit. 20; in cereis candelis, non verò in aliâ materiâ, ut oleo vel sebo, nisi aliqua necessitas illud permittat. Si autem lumen exstingueretur ante consecrationem, nec denuò posset accendi, tunc secundùm communem sententiam Missa non foret prosequenda; secùs verò, si id contingat post consecrationem.

Hic notandum extra tempus sacrificii semper ardere debere lumen ante altare ubi servatur SS. Sacramentum, ut patet ex inviolabili totius Ecclesiæ consuetudine : undè tenentur Rectores ecclesiarum curare, sub peccato mortali, ut nunquàm desit lumen ante SS. Sacramentum. Illos autem sola necessitas excusare potest : ita *Quarti, Barbosa, Suarez, Ligori* et multi alii, vel ipse *Diana*.

5.° *Missale*, et quidem sub gravi, propter errandi periculum in re tam gravis momenti. Hic quæri potest quonam Missali Sacerdotes uti debeant : respondent Theologi uti debere, quantùm

fieri potest, Missali quod sit Breviario conforme. Cæterùm, in Galliâ mos est ut quilibet celebrare possit Missam propriam ecclesiæ in quâ ex devotione celebrat. Item in altari apponi solent tabellæ secretarum, et pulvinus, pro majori commoditate; quæ, propter consuetudinem, non adhibere indecens foret.

ARTICULUS IV.

De Vasis sacris.

PROPOSITIO.

Non potest sacrificium Missæ celebrari absque calice et patenâ ab Episcopo consecratis.

1.° Quòd requirantur calix et patena, probatur ex universalis Ecclesiæ consuetudine, quam testantur SS. Patres et Concilia.

2.° Debent esse ab Episcopo consecrata. Ex unâ parte enim debent esse consecrata, ut patet ex cap. unico de Sacrâ Unctione, et pluribus aliis; et ex alterâ, non possunt consecrari à simplici Sacerdote, absque Summi Pontificis dispensatione. Dicuntur autem Abbates frui hoc privilegio; non tamen ex alienis ecclesiis ad illos deferri debent calices consecrandi, nisi constet illis verè concessam fuisse hanc facultatem, et quidem non solùm pro suis ecclesiis, sed et pro alienis.

Quæritur 1.° ex quâ materiâ esse debeant calix et patena.

Resp. Debent esse ex auro vel argento vel, cogente paupertate, ex stanno; reprobantur enim in Jure canonico calices lignei, vitrei, æerei, aut ex aliâ materiâ quàm ex auro vel argento vel stanno, ut patet ex can. *Vasa,* et can. *Ut calix.*

Lignum enim et lapis, quæ poros habent, species sacras ebiberent; vitrum, præ fragilitate, magnis pateret incommodis; in ære aut aurichalco propter vini virtutem fit ærugo. Etsi canones non prohibeant calices ex stanno, illis tamen uti non licet ubi Episcopus id prohibuit; imò Rubrica docet generatìm calicem esse debere aureum vel argenteum, vel saltem habere cuppam argenteam.

Insuper, calicis cuppa debet esse intùs inaurata, sicut et patenæ pars superior, quia id præscribit Rubrica, et maximè congruit.

Quæritur 2.° quomodò calix et patena suam amittant consecrationem.

Resp. 1.° Vasa illa suam amittunt consecrationem, quandò notabiliter franguntur, vel immutantur, ita ut inepta maneant ad usum SS. Sacrificii, v. g., si in fundo calicis fiat foramen, quantumvìs exiguum, si pes à cuppâ fractione separetur. Dico, *fractione*, quia si illa separatio fieret absque fractione, sicut fit in pede tornatili, non amittitur consecratio, quia remanet idem moraliter calix, eademque forma artificialis, sicut vestis plicata et explicata eadem est. Item calix et patena non amittunt consecrationem, si levis quædam contorsio vel gibbus eis contingat, eamque ob causam à fabro cum Sacerdotis permissione reficiantur. Nec etiam, juxta probabiliorem sententiam, amittunt suam consecrationem, sublatâ per usum inauratione, quia scilicet non sola superficies quæ deaurata est, sed totus calix totaque patena sunt verè consecrata.

Resp. 2.° Cùm vasa illa in interiori superficie de novo inaurantur, novâ indigent consecratione. Ratio est, quia in dicto casu non est consecrata præcipua illorum pars, quæ immediatè corpus et

sanguinem Christi contingit, scilicet interna superficies, quæ supponitur superaddita. Quæ sententia, ut testantur *Barbosa* et alii plurimi, firmatur Ecclesiæ praxi et receptâ consuetudine, juxta quam de novo consecrantur calices et patenæ, cùm de novo inaurata fuêre.

Observandum vasa sacra et altaria pollui per sanguinis vel seminis humani sacrilegam in eis effusionem : ideòque in illo casu reconciliatione episcopali indigent.

ARTICULUS V.

De sacris Linteaminibus.

Per sacra linteamina intelliguntur corporale, palla et purificatorium, de quibus pauca dicenda habemus.

1.° *Corporale ex lino tantùm esse debet, nec serico, vel auro in medium intextum, sed totum album, et ab Episcopo vel alio habente facultatem simul cum pallâ benedictum.* Rub. parte 2.ª, cap. 1, n. 1. Probatur insuper ex can. *Consultò.*

Notandum obiter eum qui corporali notabiliter immundo utitur, peccare mortaliter : ita *Suarez* et alii. Qui tamen tali corporali uteretur in ecclesiâ quâ transit, et ex aliquâ necessitate, à culpâ esset immunis. Secùs dicendum de ipso ecclesiæ rectore, qui corpori Christi substernit linteamina quæ convivis suis in mensâ offerre non auderet.

2.° Requiritur *Palla*, et quidem benedicta, sicut et corporale, ab Episcopo vel alio habente facultatem, juxta Rubricam mox citatam.

Observandum est olìm pallam fuisse unitam corporali. Nunc ab eo separatur; debet tamen ipsius conditionem sequi, ut diximus, et esse linea. Quoad partem exteriorem, usus invaluit

in Galliâ ut ex auro, vel serico, vel xylino (gallicè, *fil de coton*) sit contexta.

3.° Requiritur *Purificatorium*, ex lino vel ex tenui cannabe confectum : nulla pro ipso præcipitur aut indicatur benedictio; decet tamen ipsum cum cæteris linteaminibus benedici.

ARTICULUS VI.

De Sacerdotum Ornamentis.

Suppono 1.° Sacerdotem celebraturum, si secularis sit, nigrâ et talari veste indutum esse debere, idque in hâc Diœcesi Tolosanâ præcipitur sub pœnâ suspensionis non reservatæ, ipso facto incurrendæ, ex mandato Em. Card. die 29 decembris, anno 1820. Item gerere debet capillitium et tonsuram, juxta modestiam à sacris canonibus præscriptam.

Suppono 2.° Sacerdotem, dùm celebrat, debere esse capite aperto, ut notat Rubrica : undè nullus, nisi ex Episcopi dispensatione, potest uti pileolo (gallicè, *calotte*) inter celebrandum.

PROPOSITIO.

Ad licitè celebrandum Sacerdos indutus esse debet vestibus sacris, quæ sunt pro simplicibus Sacerdotibus, Amictus, Alba, Cingulum, Manipulus, Stola et Casula.

Prob. ex consensu Theologorum, constanti Ecclesiæ praxi, variisque canonibus. Vide cap. 42, et alibi passim, dist. 1. de Consecrat.

Vestes autem illæ debent esse benedictæ ab Episcopo vel alio habente facultatem, ut patet ex canonibus variis, et usu. Debent pariter esse materiæ, formæ et coloris convenientis, juxta ritum et usum Ecclesiæ.

Quæritur 1.° utrùm in casu necessitatis, v. g., ut populus satisfaciat præcepto audiendi Missam, liceat celebrare absque aliquâ ex dictis vestibus.

Resp. 1.° In proposito casu celebrari potest, si desit aliqua ex vestibus minoribus, v. g., cingulum, amictus, manipulus.

Resp. 2.° Nunquàm celebrare licet absque albâ, stolâ vel casulâ, etiamsi id fiat ad satisfaciendum præcepto audiendi Missam; indè enim sequeretur gravis irreverentia adversùs sanctissimum Sacramentum. Deindè, in dicto casu, celebrari non potest in pane fermentato à Sacerdotibus Latinis, nec absque altari, nec in loco profano, nec horâ indebitâ, v. g., post cœnam, nec pluries in die, ut fatentur omnes Theologi; ergo à pari nec celebrare licet absque vestibus sacris quæ majores dicuntur.

Quæritur 2.° quandònam vestes sacræ suam benedictionem amittant.

Resp. Vestes sacræ, sicut et mappæ altaris, ac sacra linteamina, suam amittunt benedictionem, quandò non remanent aptæ ad sacrum ministerium sub eâdem formâ sub quâ benedictæ fuerunt, v. g., si una vel utraque albæ manica dissuatur, et separetur; si verò priusquàm separetur, contingat eam resarciri, etiam additâ novâ parte non benedictâ, tunc non amittitur benedictio, quia censetur eadem remanere vestis. Quantùm verò ad cingulum, si ita rumpatur, ut neutra pars ad cingendum sufficiat, suam benedictionem amittit, non verò si una pars sufficiat ad cingendum; poterit tamen illa connecti cum alterâ parte ad majorem commoditatem, eò magìs quòd non constet an cingulum debeat esse necessariò benedictum.

Quæritur 3.° an si quis bonâ vel malâ fide usus fuerit inter celebrandum vestibus aut linteaminibus non benedictis, hoc ipso illa sint benedicta.

Resp. negat., quia Ecclesia instituit ut illa quibusdam precibus et cæremoniis, non autem solo usu benedicerentur. Idem proportionaliter est dicendum de ecclesiis, altaribus, de calice et patenâ, quæ nec benedici aut consecrari, nec, si fuerint polluta aut exsecrata, reconciliari possunt per solum usum; sed semper legitimo ritu benedici aut consecrari aut reconciliari debent.

Hic vulgò agunt Theologi de reverentiâ rebus sacris modò recensitis debitâ, et præsertìm quærunt an cuique liceat illas contingere. Itaque

Statuitur 1.° Vasa sacra, nempè ciborium, calix, patena, ostensorium, lunula, et sacra linteamina, ut corporale, dùm in illis continentur corpus et sanguis Christi, absque gravi sacrilegio à nemine tangi possunt et gestari, præterquàm à Sacerdote et Diacono, saltem ordinariè. Id patet communi Ecclesiæ praxi, et omnium Doctorum consensu et canonibus.

Statuitur. 2.° Vasa sacra, etsi vacua sint, tangi non debent immediatè, nisi ab iis qui sunt in Ordinibus sacris : id patet ex dist. 1 de Consec. can. 42. Idem dicendum de sacris linteaminibus, scilicet corporali, pallâ et purificatorio, cùm ad sacrum ministerium inservierunt, sicut patet ex can. *Sacratas*, decret. part. 1, dist. 23. Deniquè communiter idem sentiunt Doctores de altaribus consecratis.

Notandum est quòd Sum. Pont. et Episcopi nonnunquàm facultatem concedant, ut Tonsurati, vel in Ordinibus minoribus constituti, tan-

gant vasa sacra : sic illud aliquandò permittitur iis qui sacristiæ inserviunt. Imò, si rationabilis causa suadeat, v. g., cùm sacra vasa sunt iterùm deauranda, vel in eis aliquid est reficiendum, tunc ex Sacerdotis permissione laici et mulieres possunt illa tangere.

Statuitur 3.° Vestes sacræ, et reliqua altaris ornamenta quæ nec Chrismate uncta fuerunt, nec corpus Domini aut sanguinem immediatè attingunt, ab omnibus, etiam laicis, cum reverentiâ tangi possunt; item sacra linteamina, etsi benedicta, quandò ad sacrum ministerium nondùm inservierunt, vel quandò lota fuerunt; pariter pyxis, ostensorium, lunula, quamvis benedicta, tangi possunt ab omnibus, cùm nondùm in eis reposita fuit sacra hostia. Deniquè calix et patena, dùm vacua sunt, ab omnibus mediante velo possunt tractari et portari. Ita omnes Doctores.

Quantùm ad Agnos cereos et Reliquias, mos est ut nudâ manu non tangantur, nisi à viris Deo sacris vel à Sanctimonialibus, dùm eas in thecis collocant et adornant.

Observandum autem quòd, quandò lavanda sunt sacra linteamina, id est, corporale, palla et purificatorium, ab homine in Sacris constituto debeant lavari in pelvibus ad hunc usum destinatis, priusquàm à Sanctimonialibus vel piis mulieribus tradantur perficienda et amylo imbuenda, sicut notatur in cap. *Nemo per ignorantiam*, de Consec. dist. 1, et sicut monet Episcopus ordinans Subdiaconos. Deniquè, si vestes sacræ, corporalia, linteamina, et alia ejusmodi vetustate fuerint consumpta, non ad usus profanos sunt adhibenda, sed igne potiùs absumenda, ut præscribitur in cap. *Altaris Palla*, de Consec. dist. 1.

ARTICULUS

ARTICULUS VII.

De sacris Ritibus et Cæremoniis circa Missæ celebrationem observandis.

Inter sacros ritus, alii intra, alii extra Missam servandi præcipiuntur : undè duplex erit paragraphus.

§ I.

De Ritibus intra Missam servandis.

PROPOSITIO.

Rubricæ omnes quæ proponunt servanda in ipso celebrationis actu, sunt præceptivæ.

Prob. 1.° *ex Conc. Trid.* Sess. 7, can. 13, de Sacramentis in genere : *Si quis dixerit, receptos et approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus, in solemni sacramentorum administratione àdhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato à ministris pro libitu omitti, aut in novos alios per quemcunque Ecclesiarum Pastorem mutari posse; anathema sit :* atqui, si Rubricæ non essent præceptivæ, ministri eas violare possent sine peccato; ergo, etc.

Prob. 2.° *ex Bullâ Pii V*, initio Missalis Romani appositâ, ubi sic loquitur S. Pont. : *Mandantes et strictè omnibus et singulis præcipientes in virtute sanctæ obedientiæ, ut Missam juxta ritum, modum et normam in Missali præscriptam decantent aut legant, neque in Missæ celebratione alias cæremonias aut preces addere vel recitare præsumant.* Similia verba leguntur in variis Missalibus cuique Diœcesi propriis : atqui hæc verba, *strictè præcipientes in virtute sanctæ obedientiæ*, non instructionem, sed gravissimam legem important; ergo, etc.

Colliges graviter peccare Sacerdotem qui in celebratione, vel quoad verba, vel quoad actiones, ea omittit quæ à Rubricâ præcipiuntur, nisi excuset materiæ levitas, aut inadvertentia. Sed aliquid certiùs et expressiùs in tam gravis momenti materiâ tradendum est.

Itaque distinguendum inter preces Missæ ordinarias, quæ scilicet in omni Missâ dicuntur, et preces extraordinarias, quæ in omni Missâ non dicuntur. Posteriores omittere est de se peccatum veniale, nisi tot omittantur quæ simul sumptæ notabilem materiam constituant. Circa alias, licèt certò definiri non possit quænam sit materia gravis vel levis, tamen receptum est apud Theologos pro materiâ gravi habendam esse omissionem, 1.° Confessionis quæ fit in principio Missæ, 2.° Epistolæ, 3.° Evangelii, 4.° Offertorii seu hostiæ cum formâ correspondente, seu calicis cum suâ etiam formâ, 5.° Præfationis. È contrà, qui omitteret unam aut alteram Collectam, Tractum, Graduale, aut aliquid ejusdem generis minùs præcipuum, mortaliter non delinqueret, nisi tot omitteret ejusmodi versiculos, ut ex iis exurgat notabilis materiæ omissio. Censetur autem notabilis materia, quæ Epistolæ nec longioris nec brevioris quantitatem attingit.

Quod spectat Canonem, qui à verbis, *Te igitur*, usque ad Orationem dominicam extenditur, fatentur omnes Doctores mortaliter peccare eum qui vel unam ex orationibus in eo contentis omittit, vel si tot verba in oratione prætermittat, ut mysterii per eam repræsentandi significationem vel destruat, vel notabiliter minuat. Extra hunc casum, non mortaliter delinqueret qui quinque tantùm aut sex verba omitteret.

Pariter mortalis peccati reus esset, qui omitteret, 1.° Orationem dominicam, 2.° precem *Libera nos,* 3.° verba quæ, immissâ in calicem hostiæ parte, recitari debent, 4.° totum *Agnus Dei;* secùs, si semel tantùm aut bis dicat, et idem est de, *Domine non sum dignus;* 5.° orationes communioni prævias : attamen videtur venialiter tantùm peccaturus, qui primam duntaxat omitteret; 6.° precem *Quid retribuam Domino*, etc., nisi omittenda sit, ut in Ecclesiâ Lugdunensi. De iis quæ communionem sequuntur, idem esto judicium ac de iis quæ Canonem præcedunt.

Quoad omissionem rituum qui in actione consistunt, grave vel leve peccatum erit, prout gravior vel levior erit cæremonia prætermissa : porrò ad graves cæremonias referuntur, 1.° mixtio aquæ cum vino, 2.° elevatio hostiæ et calicis post consecrationem, 3.° fractio hostiæ et ejusdem particulæ mixtio cum sanguine, 4.° purificatio patenæ et calicis.

Idem cum proportione dicendum de additione vel mutatione : si tamen additio ex indiscretâ tantùm devotione procederet, non excederet culpam venialem, nisi esset valdè gravis, vel in se, vel ratione circumstantiarum.

Ex dictis colliges quàm timendum sibi habeant Sacerdotes qui vix ullam ut par est cæremoniam exsequuntur, verba penè nulla jungunt cum actione ad quam pertinent, omnia miscent, et tantâ cum festinatione agunt, ut scandalum potiùs quàm pietatem excitent.

Discant igitur juniores Sacerdotes ita sacrosanctum Sacrificium tractare, ut non tantùm nimiam prolixitatem, quæ fastidium populo generat, sed et festinationem in eo celebrando devitent. Quòd

si spatium perpendatur quod necessarium est in Missâ ritè perficiendâ, *ex unanimi Scriptorum opinione, ad tertiam horæ partem saltem debet pertingere, neque horæ dimidium excedere*, inquit Bened. XIV, de Sacr. Missæ, sect. 2, n. 217.

Quæres 1.° utrùm liceat celebrare Missam linguâ vulgari, et Canonem altâ voce recitare.

Resp. Non defuerunt qui calumniati sint Ecclesiæ ritum, quo submissâ voce pars Canonis recitatur, et qui dixerint Missam linguâ vulgari celebrandam; sed horum opiniones à Conc. Trid. damnatæ fuerunt, Sess. 22, can. 9 : *Si quis dixerit, Ecclesiæ Romanæ ritum, quo submissâ voce pars Canonis et verba consecrationis proferuntur, damnandum esse; aut linguâ tantùm vulgari Missam celebrari debere.., eo quòd sit contra Christi institutionem; anathema sit.* Consentiunt igitur Theologi peccare graviter qui altâ voce recitat quæ submissè sunt dicenda, vel ex toto, vel ex maximâ parte. Si quis autem adeò temerarius foret, ut privatâ auctoritate Missam vulgari linguâ celebrare præsumeret, dubium non est quin gravissimi peccati reus fieret, cùm per hoc violaret ritum ab universali Ecclesiâ probatum, Concilii Tridentini auctoritate firmatum.

Quæres 2.° cujusnam Officii Missa sit celebranda.

Resp. 1.° non licere Sacerdoti pro nutu relinquere Officium diei, peccaretque, saltem venialiter, qui, sine rationabili causâ, solemnioribus festis, aut ferè semper, votivam Missam diceret, et rarissimè de diei Officio.

Resp. 2.° omisso diei Officio, Missam votivam celebrari posse, 1. si non sit Officium duplex, 2. licèt festum sit duplex, si privilegium habeatur,

vel aliqua urgens adsit causa, aut exigat Beneficii titulus.

Quæres 3.° an in Missæ celebratione requiratur minister.

Resp. In Missis etiam privatis requiritur saltem unus minister, isque debet esse vir, et non femina. Utrumque constat.

Prob. 1.ª *pars. Ex variis Ecclesiæ decretis.* Conc. Moguntin. an. 813, can. 43 : *Nullus Presbyter, ut nobis videtur, solus Missam cantare valet rectè; quomodò enim dicet, Dominus vobiscum, vel sursùm corda habere monebit, et alia similia dicet, si alius nemo cum eo sit!* Similia habent Conc. Nannetense, Conc. Paris. an. 829, Alexander III, cap. *Proposuit*, de Fil. Presbyt., etc., atque hæc est praxis Ecclesiæ.

Prob. 2.ª *pars.* Ex cap. 1, *de Cohabit. Cleric. et Mulier.*, ubi sic legitur : *Prohibendum est ut nulla femina ad altare præsumat accedere, aut Presbytero ministrare, aut intra cancellos stare, sive sedere.* Idem vetant Conc. Laodic. can. 44; Gelasius I, Epist. 9 ad Episcopos Lucaniæ; Conc. Paris. VI, lib. 1, cap. 45.

Qui tamen absque ministro celebraret in gravi necessitate, putà ob Viaticum ægro ministrandum, minimè peccaret; et hìc notandum est melius esse celebrare sine ministro, quàm cum feminâ ministrante.

Quæres 4.° an liceat aliquandò Missam interrumpere aut imperfectam relinquere.

Resp. 1.° Semper illicitum est directè intendere mutilationem sacrificii, ita ut non liceat intentatæ mortis vitandæ causâ solum consecrare panem, prævidendo defuturam esse potestatem sacrificii perficiendi, quia talis intentio est di-

rectè contra præceptum divinum et ecclesiasticum, et contra Religionem.

Resp. 2.° Præter casus memoratos in Rubricâ de Defectibus, cap. 3, in quibus Missa bonâ fide inchoata potest imperfecta relinqui; ex Jure canonico, si post inchoatam Missam excommunicatus denuntiatus superveniat, nec expelli possit, tunc si Canon non sit incœptus, non debet prosequi Sacerdos; inchoato verò Canone, ac potissimùm, peractâ consecratione, solus Sacerdos cum inserviente ministro remaneat sacrificium perfecturus usque ad communionem, quâ factâ, ipse recedat, si fieri possit, in sacristiam, ut reliquum Missæ perficiat; secùs, illud penitùs omittat.

Resp. 3.° Missa semel incœpta non potest interrumpi absque mortali peccato, nisi adsit gravis causa, v. g., si moribundus Baptismo vel Pœnitentiâ indigeat, vel si ei deferendum sit Viaticum, vel si infirmo qui alia sacramenta recipere non potest, ministranda sit Extrema Unctio; si succurrendum sit homini quem injusti invasores occisuri sunt, nisi Sacerdos ex eorum manibus eum eripiat. Ante Offertorium, ex usu recepto, Missa potest interrumpi à Parocho ad Concionem faciendam, ab Episcopo ad Ordines conferendos, à Superioribus religiosis ad vota religionis suscipienda. Nunquàm autem licet eam interrumpere cujuspiam exspectandi causâ.

Missam verò interruptam ut prosequi possit vel ipse qui eam inchoavit, vel alius in casibus à Rubricâ prævisis, necesse est ut sit unio moralis inter priorem et posteriorem partem. Sed quo temporis spatio perseverare censeatur unio illa moralis, non convenit inter Theologos; alii enim concedunt diem integrum, alii totum mane, id-

que sentire videtur Bened. XIV, de Sacr. Missæ, sect. 2, n. 110; alii unam, aut ad summum duas horas concedunt. De modo prosequendi, consule Rubricam, de Defectibus, cap. 3.

§ II.

De Ritibus extra Missam servandis.

Communis est Theologorum sententia, Rubricas quæ spectant cæremonias extra Missam servandas, non obligare sub peccato, nisi jure naturali vel canonico præcipiantur. De præcipuis breviter dicemus :

1.° Certum videtur Missam celebrare, non recitato Matutino cum Laudibus, nisi fiat *ex consuetudine*, aut nisi agatur de Missâ conventuali, non esse nisi peccatum veniale, à quo proindè justa causa excusat, putà, inquit *Habert*, si instet hora celebrandi, et populus aut persona gravis expectet, vel commodum celebrandi tempus elabatur. Huic sententiæ maximè favet Benedict. XIV, de Sacrificio Missæ, sect. 2, n. 102.

2.° Preces quæ notantur pro præparatione et gratiarum actione, non sunt de præcepto, cùm dicantur *pro opportunitate Sacerdotis faciendæ*, quod certè præceptum non sonat : undè absque peccato omitti possunt. Non tamen indè concludendum est licitum esse Missam celebrare absque ullâ præparatione, aut post illam omittere quamlibet gratiarum actionem; hæc enim, cùm sint juris naturalis, omitti non possunt, nisi adsit causa rationabilis. Veniale autem est omittere orationes dici solitas, cùm Sacerdos se induit vestibus sacris.

3.° Qui ante Missam lavare manus omitteret,

vel leviter vel graviter, pro negligentiæ gradu, delinqueret.

4.° Alii ritus ante vel post Missam præscripti non obligare videntur sub peccato.

Ex dictis in præsenti capite concludere pronum est, gravem Sacerdotibus incumbere obligationem ritus in Missâ servandos addiscendi et servandi, ne, vel propter culpabilem ignorantiam, vel propter negligentiam, gravis peccati reatum incurrant.

De multis aliis Missæ celebrationem spectantibus consule Opus jam citatum : *Traité des SS. Mystères*.

Hæc sunt præcipua quæ ad res externas pro sacrificio celebrando requisitas pertinent. De internâ autem ministri præparatione hìc dicere nostri non est instituti. Sed quæ sit necessaria, sic paucis exponit pius auctor libri nunquàm satis meditandi : *O quàm magnum et honorabile est officium Sacerdotum, quibus datum est Dominum majestatis verbis sacris consecrare, labiis benedicere, ore proprio sumere, et cæteris ministrare ! O quàm mundæ debent esse manus illæ, quàm purum os, quàm sanctum corpus, quàm immaculatum cor Sacerdotis, ad quem toties ingreditur auctor puritatis ! Ex ore Sacerdotis nihil nisi sanctum, nihil nisi honestum et utile procedere debet verbum, qui tam sæpè Christi accipit sacramentum. Oculi ejus simplices et pudici, qui Christi corpus solent intueri. Manus puræ et in cœlum elevatæ, quæ Creatorem cæli et terræ solent contrectare. Sacerdotibus specialiter in lege dicitur : Sancti estote, quoniam ego sanctus sum Dominus Deus vester :* de Imitatione Christi lib. 4, cap. 5.

TRACTATUS

DE

EXTREMÆ UNCTIONIS

SACRAMENTO.

TRACTATUM hunc in sex capita dividemus. Quæremus in 1.° an et quid sit Extremæ Unctionis sacramentum; in 2.° agemus de illius materiâ; in 3.° de illius formâ; in 4.° de multiplici fine et effectu; in 5.° de Ministro; in 6.° deniquè de suscipiente et suscipientis dispositionibus. De ritibus et cæremoniis hìc non agemus, quandoquidem sufficienter in Ritualibus explicantur.

CAPUT PRIMUM.

An et quid sit Sacramentum Extremæ Unctionis.

DUO erunt capitis hujus articuli : agemus in 1.° de nomine et definitione Extremæ Unctionis; videbimus in 2.° utrùm Extrema Unctio sit novæ legis sacramentum.

ARTICULUS PRIMUS.

De Extremæ Unctionis Nomine et Definitione.

Extrema Unctio sic dicitur, vel quia est, saltem ordinariè loquendo, christianarum unctio-

L 5

num ultima, vel quia Christiano periculosè ægrotanti et in extremis constituto confertur : undè à Conc. Trid. Sess. 14, cap. 3, sacramentum exeuntium nuncupatur.

Definitur Extrema Unctio, *Sacramentum novæ legis, quo per olei benedicti unctionem et Sacerdotis orationem, Christiano periculosè ægrotanti animæ atque etiam corporis, si animæ saluti expediat, sanitas confertur.* Variæ hujus definitionis partes explicandæ sunt.

Dicitur 1.°, *sacramentum novæ legis,* quo Extremæ Unctionis denotatur genus.

Dicitur 2.°, *quo per olei benedicti unctionem et Sacerdotis orationem,* quibus verbis materia, forma et minister hujus sacramenti insinuantur.

Dicitur 3.°, *Christiano periculosè ægrotanti, animæ atque etiam corporis, si animæ saluti expediat, sanitas confertur;* quibus vocibus denotantur sacramenti hujus effectus et subjectum.

ARTICULUS II.

An Extrema Unctio sit novæ legis Sacramentum.

Recentiores Hæretici, Waldensium exemplum secuti, Extremam Unctionem è numero sacramentorum expungere conati sunt. Contra quos sit

PROPOSITIO.

Extrema Unctio est Sacramentum verè et propriè dictum, à Christo Domino institutum, et à S. Jacobo promulgatum.

De fide est propositio, et expressè definita à Conc. Trid. Sess. 14, can. 1, de Extremâ Unct.

Idem etiam constat ex Conc. Florent. in decreto ad Armenos.

Prob. 1.° *ex Script.* Jacobi, c. 5, ℣. 14 et 15: *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiæ, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini: et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus; et si in peccatis sit, remittentur ei.* Ex quibus sic argumentor: Ad sacramentum novæ legis propriè dictum, tria requiruntur et sufficiunt, scilicet ritus externus permanens, gratiæ producendæ virtus, et institutio Christi: atqui hæc tria in Extremâ Unctione reperiuntur. 1. Ritus externus permanens, nimirùm unctio et Sacerdotis oratio. 2. Gratiæ producendæ virtus; vim enim habet animam ægroti spiritualiter alleviandi, et peccata remittendi, quod absque gratiæ infusione non fit. 3. Deniquè, Christi institutio; nullus enim ritus potest habere virtutem peccata remittendi et gratiam producendi, nisi ex Dei vel Christi institutione, quemadmodùm ipsimet fatentur Hæretici. Ergo, cùm tria hæc Extremæ Unctioni conveniant, sacramentis propriè dictis annumeranda est.

Prob. 2.° *ex Tradit.* et Catholicæ Ecclesiæ usu, quæ à primis seculis Extremam Unctionem, tanquam verum sacramentum adhibuit, et credidit illud esse ex Christi institutione, et promulgatione S. Jacobi, quod Concilia testantur et SS. Patres.

Concilium Cabilonense II, anno 813, can. 48, sic habet: *Secundùm beati Jacobi Apostoli documentum, cui etiam documenta Patrum consonant, infirmi oleo, quod ab Episcopis benedicitur, à Presbyteris ungi debent; sic enim*

ait : Infirmatur quis, etc. *Non est itaque parvipendenda hujusmodi medicina, quæ animæ corporisque medetur languoribus.*

Innoc. I, Summ. Pont., qui sedit anno 402, in Epist. ad Decentium, cap. 8, post relatum S. Jacobi testimonium, sic loquitur : *Quod non est dubium de fidelibus ægrotantibus accipi vel intelligi debere, qui sancto oleo Chrismatis perungi possunt.* Et posteà concludit ejusmodi unctionem esse sacramenti genus, id est, sacramentum ab Eucharistià et Pœnitentià distinctum. S. Aug. Serm. 215 de Tempore, sic loquitur : *Quoties aliqua infirmitas supervenerit, corpus et sanguinem Christi ille qui ægrotat, accipiat: et indè* (id est, posteà) *corpusculum suum ungat, ut illud quod scriptum est impleatur in eo : Infirmatur quis*, etc. *Videte, fratres, quia qui in infirmitate ad Ecclesiam cucurrerit, et corporis sanitatem recipere, et peccatorum indulgentiam merebitur obtinere.* S. Chrysost., lib. 5 de Sacerdotio, cap. 3, ex eodem S. Jacobi testimonio probat Sacerdotes condonandorum peccatorum habere potestatem.

Prob. 3.° Quia Græci firmissimè credunt Extremam Unctionem verum esse sacramentum, tum ex Professionis Augustanæ censurà, emissâ à Jeremià Patriarchâ Constantin. resp. 1, cap. 7; tum ex eorumdem Græcorum Euchologiis sive Ritualibus. Undè sic argumentari licet : Utraque Ecclesia, Latina scilicet et Græca, nunc credit Extremam Unctionem esse sacramentum; ergo vel idem semper credidit, vel sententiam mutavit : sed dici non potest quòd sententiam mutaverit; non enim potest mutationis hujus auctor assignari, nec locus, nec tempus, nec deniquè mo-

dus quo contigerit ejusmodi mutatio; ergo, etc. Adde quòd nullus ante Waldenses et Albigenses ausus est Extremam Unctionem è numero sacramentorum expungere.

Obj. Nulla est apud antiquos Scriptores hujus Unctionis mentio; ergo sacramentis non est annumeranda.

Resp. 1.° *Nego ant.* Attulimus enim auctoritatem Innoc. I, S. Aug., S. Chrysost., et Conc. Cabilonensis.

Resp. 2.° *Nego consequent.* Nam ideò frequens apud antiquos non habetur hujus sacramenti mentio, tum quia tempore persecutionis non poterat facilè administrari; tum quia insignior Christianorum pars non morbo, sed martyrio interibat; tum deniquè quia, ut ait Bellarminus, res notissimæ et quotidianæ non scribuntur.

Quæres quandonàm fuerit institutum à Christo Extremæ Unctionis sacramentum.

Resp. id apud Theologos non constare : tamen, juxta communiorem sententiam, sacramentum hoc Christus Dominus tunc instituit, cùm Apostolis potestatem circa remittenda et retinenda peccata concessit, Joan. 20; quia scilicet Extrema Unctio peccatorun omnium reliquias abstergit : sic sacramentum Extremæ Unctionis est veluti sacramenti Pœnitentiæ consummatio. Undè Unctio, de quâ Marc. c. 16, adumbrabat quidem, sed non erat Extremæ Unctionis sacramentum, tum quia ab Apostolis nondùm Sacerdotibus, quibuslibet, etiam non baptizatis, conferebatur; tum quia Unctionem hanc primariò ad restituendam corporis sanitatem adhibebant, quod de sacramento propriè dicto dici non potest.

CAPUT II.

De Extremæ Unctionis Materiâ.

PROPOSITIO PRIMA.

Materia Extremæ Unctionis remota, est oleum olivarum, ab Episcopo benedictum.

PROB. 1.ª *pars. Ex verbis S. Jacobi,* suprà relatis, c. 5, ℣. 14 : *Ungentes eum oleo in nomine Domini;* ubi olei nomine intelligitur oleum olivarum, seu oleum simpliciter dictum; nam oleum ab oleâ seu olivâ videtur nuncupatum. Deniquè apud Hebræos Palestinæ incolas, ad quos scribit S. Jacobus, oleum olivarum erat communissimum, et à plebe dicebatur oleum sine addito. Deindè nullum aliud olei genus usquàm adhibuit Ecclesia Catholica.

Prob. 2.ª *pars. Ex Conc. et Patribus :* ex Concilio Cabilonensi, jam relato, ubi dicitur infirmos ungendos esse oleo quod ab Episcopis benedicitur; Aquisgranensi II, can. 8; Florentino, in decreto ad Armenos, in quo sic habetur : *Quintum Sacramentum est Extrema Unctio, cujus materia est oleum olivæ per Episcopum benedictum;* et Tridentino, Sess. 14, cap. 1, de Extremâ Unctione, ubi asseritur quòd ex S. Jacobi verbis semper intellexit Ecclesia, materiam hujus sacramenti esse oleum ab Episcopo benedictum. Idem habet Innoc. I, loco citato, et venerabilis Beda, in cap. 6 S. Marci, ubi de Oleo infirmorum sic loquitur : *Ungatur oleo pontificali benedictione consecrato.* Ex quibus probabiliter colligitur benedictionem

hanc non esse solummodò accidentalem, sed reverà essentialem; nam quoties Ecclesia et SS. PP. aliquid simpliciter assignant tanquam sacramenti materiam, toties intelligi debet de materiâ essentiali; quia solam materiam essentialem solent tradere, ut patet inductione.

Hæc Olei infirmorum benedictio Episcopis in Ecclesiâ Latinâ reservatur; in Græcâ verò à simplicibus Presbyteris conficitur. Græcorum usum probavit Clemens VIII in instructione ad Episcopos Latinos directâ, titulo circa Oleum infirmorum : *Non sunt*, inquit, *cogendi Presbyteri Græci, olea sancta, præter Chrisma, ab Episcopis Latinis accipere, cùm ejusmodi olea ab eis in ipsâ oleorum et sacramentorum exhibitione, ex veteri ritu, conficiantur et benedicantur.*

Colliges ex dictis invalidum fore sacramentum, si ministretur cum oleo ex nucibus vel amygdalis, vel cum oleo olivarum non benedicto, vel etiam cum Chrismate quod in Confirmatione adhiberi solet, vel cum Oleo Catechumenorum. Ratio est, quia nec Oleum catechumenorum, nec sanctum Chrisma eam acceperunt benedictionem, quâ ex Ecclesiæ institutione benedici debet Oleum infirmorum; quamobrem, si Sacerdos per errorem sacro Chrismate vel Oleo Catechumenorum infirmum unxerit, ipsum denuò ungere debebit Oleo infirmorum, debitam proferendo formam, quemadmodum præcepit S. Carolus in Concilio Mediolanensi V. Ita communiùs Theologi.

PROPOSITIO II.

Proxima Extremæ Unctionis materia est unctio olei ab Episcopo benedicti, ut per se patet.

Prob. Quia materia proxima alicujus sacramenti est applicatio materiæ remotæ : sed materia remota est oleum ab Episcopo benedictum, ut mox probavimus; unctio verò est olei applicatio; ergo, etc.

Quæres quænam corporis partes ungendæ sint.

Resp. quòd quilibet Sacerdos sequi debet approbatum Ecclesiæ suæ ritum, tum quoad partes ungendas, tum quoad unctionum numerum : sic autem habetur in Rituali Romano et in cæteris Ritualibus : *Quinque corporis partes præcipuæ ungi debent, quas veluti sensuum instrumenta homini natura tribuit, nempè oculi, aures, nares, os et manus; attamen pedes etiam, et renes ungendi sunt : sed renum unctio in mulieribus, honestatis gratiâ, semper omittitur, atque etiam in viris, quandò infirmus commodè moveri non potest.* Sed sive in mulieribus, sive in viris, alia corporis pars pro renibus ungi non debet, scilicet propriâ auctoritate; nam in quibusdam locis, juxta rituale diœcesanum, ungitur pectus in viris, et pars superior pectoris in feminis, loco renum, formam præscriptam pronuntiando (1).

Disputant autem Theologi an ista quintuplex

(1) In hâc Diœcesi Tolosanâ ungi præscribuntur oculi, nares, aures, manus, pedes et pectus : at ultima hæc unctio, pectoris scilicet, in feminis de integro omittitur, nec per aliam quamlibet suppleri debet. Ritual. Tolos. p. 231.

unctio sit de necessitate sacramenti : affirmant post S. Thomam nonnulli; probabilior nobis videtur opposita sententia, quæ docet ad essentiam sacramenti unicam sufficere unctionem, et *prob.* tum ex S. Jacobo, qui simpliciter unctionis mentionem facit; tum ex variis Ritualibus, Paris., Aurel., Rhemensi, et Mechliniensi à Facultate Lovaniensi approbato, ubi legitur in pestiferis satis esse, si oblongâ virgâ oleo tinctâ unicum ungatur sensùs organum ad unctionem magìs expositum, sub istâ formulâ : *Per istam S. Unctionem...... indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti per omnes sensus.*

Constat verò ex solo usu, non ex necessitate sacramenti, unctiones fieri debere in modum crucis.

CAPUT III.

De Extremæ Unctionis Formâ.

PROPOSITIO.

Forma Extremæ Unctionis his continetur verbis : Per istam sanctam Unctionem, et suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid per visum, *etc.*, deliquisti.

Certa est propositio, et *prob.* tum ex Florent. in decreto ad Armenos, ubi tota hæc forma habetur; tum ex Trid. Sess. 14, cap. 1, de Doctrinâ Sacramenti Extremæ Unctionis, ubi docet formam esse illa verba : *Per istam S. Unctionem*, etc.; tum ex communi Ecclesiæ usu et Theologorum consensu.

Quæres 1.° an forma hujus sacramenti necessariò debeat esse deprecatoria, an sufficiat indicativa.

Resp. quidquid speculativè nonnulli sentiant, solam deprecatoriam formam in praxi esse adhibendam; tum quia eam ubique deprecatoriam esse testatur Morinus, lib. 8 de Pœnitentiâ, cap. 16; tum quia in his S. Jacobi verbis, *Et orent super eum*, deprecatoria forma satis innuitur; tum quia talem tradunt Conc. Florent. et Trid. et Ritualia; tum deniquè quia in sacramentis forma certò valida adhiberi debet quandò potest: sed forma deprecatoria est certò valida, non autem indicativa; ergo, etc.

Quæres 2.° quid essentiale sit in illâ formâ.

Resp. hæc sola verba essentialia esse, *Per istam S. Unctionem indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti*: ita vulgò Theologi. Nam, inquiunt, ad essentiam formæ sufficit exprimi actum ministri, subjectum, et effectum sacramenti: sed hæc omnia in assignatis vocibus exprimuntur; ergo, etc. Attamen tota forma ab Ecclesiâ præscripta proferri debet, ut ex alibi dictis constat.

Quæres 3.° quis sit hujus formæ sensus.

Resp. hunc esse sensum: Per istam Unctionem largiatur tibi Dominus gratiam, quæ vim habeat peccata remittendi, si quædam supersunt; vel quæ peccati reliquias in te abstergat.

Quæres 4.° quid faciendum sit, quandò periculum imminet ne infirmus antè decedat quàm finiantur unctiones.

Resp. cum Rituali: Citò ungatur infirmus, incipiendo ab eo loco, *Per istam S. Unctionem*, etc. Deindè, si supervivat, dicantur orationes prætermissæ. Si verò, dùm inungitur, infirmus

decedat, Presbyter ultrà non procedat. Quòd si dubitat an vivat adhuc, unctionem prosequatur, sub conditione pronuntiando formam, dicendo: *Si vivis, per istam S. Unctionem*, etc. Idem in Conc. Mediolanensibus statuitur: addunt Doctores nonnulli, tantam contingere posse necessitatem, ut celeri motu plures unctiones, vel unica pro omnibus fieri possit sub unâ formâ omnibus æquivalente, dicendo: *Per istam S. Unctionem indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti per visum, auditum, odoratum, gustum et tactum;* vel breviùs, *per omnes sensus*, ut suprà diximus.

Nota quòd, quamvis extra gravissimæ necessitatis casum plures fiant unctiones et multoties forma repetatur, ista tamen omnia unicum moraliter conficiunt sacramentum, quia nimirùm ad eumdem ordinantur effectum, scilicet ad conferendam animæ sanitatem, et abstergendas omnes peccati reliquias, applicando remedium singulis sensuum organis, veluti totidem peccatorum radicibus.

CAPUT IV.

De multiplici Extremæ Unctionis Fine et Effectu.

Sacramenti hujus effectus et fines ad quatuor commodè revocari possunt. 1.us Est gratia, tum sanctificans, tum sacramentalis; 2.us peccati remissio; 3.us ejusmodi reliquiarum abstersio. 4.us sanitas corporis. Sit itaque

PROPOSITIO PRIMA.

Extrema Unctio gratiam confert, tum sanctificantem, tum sacramentalem.

De fide est propositio, definita à Conc. Trid. Sess. 14, can. 2, de Sacramento Extremæ Unctionis: *Si quis dixerit sacram infirmorum Unctionem non conferre gratiam, nec remittere peccata, nec alleviare infirmos;.... anathema sit.* Idem fusiùs explicatur cap. 2.

Prob. ex relatis S. Jacobi verbis, c. 5, ℣. 15: *Et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus; et, si in peccatis sit, remittentur ei:* sed spiritualis animæ alleviatio, et peccatorum remissio, non fit absque gratiæ infusione; ergo, etc. Idem manifestè patet ex iis omnibus quibus suprà probavimus Extremam Unctionem esse verum novæ legis sacramentum.

Quæres quid sit gratia sacramentalis Extremæ Unctionis.

Resp. esse ipsammet gratiam habitualem, quatenùs datur per modum spiritualis alleviationis, et tribuit jus ad specialia gratiæ auxilia, quibus infirmus sublevatus, et morbi incommoda ac labores leviùs fert, et tentationibus dæmonis calcaneo insidiantis faciliùs resistit. Ita Conc. Trid., hìc, cap. 2.

PROPOSITIO II.

Extrema Unctio peccata remittit, si quæ expianda supersint.

De fide est propositio, definita à Trid., loco citato.

Prob. Jacobi c. 5, ℣. 15: *Et si in peccatis sit,*

remittentur ei. Vox autem *peccati,* absolutè sumpta, in sacris Litteris non modò veniale, sed et mortale peccatum significare solet : undè quamvis Extrema Unctio primariò fuerit instituta ad conferendum gratiæ augmentum, ideòque rectè vocetur sacramentum vivorum, nihilominùs tamen potest etiam aliquo sensu dici sacramentum mortuorum, quia scilicet secundariò fuit instituta ad hominem à peccato mortali liberandum, si in tali peccato versetur, et debitè sit attritus.

PROPOSITIO III.

Extrema Unctio peccati reliquias abstergit.

Patet ex Trid. Sess. 14, cap. 2, de Doctrinâ Sacramenti Extremæ Unctionis, et colligitur ex Jacobi c. 5.

Quæres quid per istas peccati reliquias intelligatur.

Resp. tria præsertìm intelligi, secundùm varias Doctorum interpretationes. 1.° Intelliguntur ipsæ culpæ quæ expiandæ supersunt. 2.° Tepiditas et torpor, seu pronitas ad malum et difficultas ad bonum, ex peccatis originali et actualibus proveniens. 3.° Pœna temporalis ob culpas præteritas luenda, cujus aliqua pars per Extremæ Unctionis sacramentum remittitur, juxta mensuram institutionis Christi.

PROPOSITIO IV.

Extrema Unctio corporis sanitatem interdùm restituit, ubi animæ saluti expedierit.

Certa est propositio. *Prob.* 1.° Jacobi c. 5, ℣. 15 : *Et oratio fidei salvabit infirmum,* id est,

à corporali infirmitate liberabit, quemadmodùm vulgò exponunt Interpretes. 2.° Conc. Cabilonense, can. 48 : *Non est itaque parvipendenda hujusmodi medicina, quæ animæ corporisque medetur languoribus.* Florentinum, in decreto ad Armenos : Hujus Sacramenti *effectus est mentis sanatio : et quantùm autem expedit, etiam ipsius corporis.* Tridentinum, Sess. 14, cap. 2 : *Sanitatem corporis interdùm, ubi saluti animæ expedierit, consequitur* (infirmus). Idem etiam habetur ex S. Augustino, jam relato.

Dixi, *ubi saluti animæ expedierit,* quia scilicet sacramenti hujus, sicut et aliorum, primarius effectus est animæ salus; ac proindè, cùm corporis sanitas sit duntaxat secundarius effectus, eam conferre non debet, nisi prout animæ saluti expedierit.

CAPUT V.

De Extremæ Unctionis Ministro.

Duo hìc breviter aperienda sunt, 1.° quis validè, 2.° quis licitè possit sacramentum hoc ministrare.

PROPOSITIO PRIMA.

Solus Sacerdos ritè ordinatus Extremam Unctionem validè potest ministrare.

De fide est propositio, definita à Trid. Sess. 14, de Sacram. Extremæ Unct., cap. 3, et can. 4.

Prob. Jacobi c. 5, ℣. 14 : *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiæ :* in quo Apostoli textu, Presbyterorum nomine, non

ætate seniores aut primores in populo intelligendi veniunt, sed aut Episcopi, aut Sacerdotes ab Episcopo ritè ordinati per impositionem manuum presbyterii, ut observat Trid. loco citato, idque juxta unanimem SS. PP. traditionem, quam inter alios testantur Innoc. I in Epist. ad Decentium, S. Chrysost. lib. 5 de Sacerd., cap. 3, et Conc. Cabilonense, verbis jam relatis.

PROPOSITIO II.

Nullus Sacerdos licitè potest Extremam Unctionem ministrare, nisi sit proprius Pastor, vel ab eo licentiam habuerit actu concessam, aut saltem rationabiliter præsumptam, excepto gravissimæ necessitatis casu.

Certa est propositio, et probata generatim fuit in *Tractatu de Sacramentis* in genere.

Notandum quòd si Regulares, absque speciali Parochi vel Episcopi licentiâ, Extremam Unctionem, vel sacrum Viaticum Clericis vel laicis non sibi subditis ministrare præsumant, præter mortale peccatum, etiam excommunicationis sententiam Apostolicæ Sedi reservatam incurrunt, sicut decrevit Clemens V in Concilio Viennensi, et habetur Clementinâ 1.ª de Privilegio. Eo tamen in casu, validum foret administratum Extremæ Unctionis sacramentum, cùm ejus validitas à jurisdictione non dependeat.

Dixi, *excepto gravissimæ necessitatis casu*; si urgeat mortis periculum, nec adsit Parochus, nec Superior adiri possit, tùm sacramentum hoc quilibet Sacerdos validè et licitè ministrabit, ut habetur in Conc. Mediol. V, part. 1, tit. 1.

PROPOSITIO III.

Ad conferendum Extremæ Unctionis Sacramentum unicus sufficit Sacerdos.

Certa est propositio.

Prob. 1.° Cap. *Quæsivit,* de Verborum significatione, Alexander III respondet quòd *Sacerdos, uno præsente Clerico, et etiam solus, potest infirmum ungere.*

Prob. 2.° ex universali Latinæ Ecclesiæ praxi, quam si quis reprobare audeat, anathemate damnatur à Conc. Trid., hìc, can. 3.

Dices : Habetur Jacobi c. 5, *Inducat Presbyteros,* in numero plurali; ergo unus non sufficit.

Resp. explicando Apostoli verba : Inducat Presbyteros, id est, aliquem ex Presbyteris, *conc.;* id est, plures necessariò inducat, *nego,* et *nego cons.* Contrarium enim demonstrat Ecclesiæ Latinæ usus : undè verborum S. Jacobi idem est sensus ac communis hujus loquendi rationis, quâ, ægrotante aliquo, dicuntur accersendi Medici, quamvis unicus advocetur.

CAPUT VI.

De Suscipiente et Suscipientis Dispositionibus.

Quatuor articulis hoc caput absolvemus : dicturi in 1.° quinam possint hoc sacramentum suscipere; in 2.° an et quomodò necessarium sit ad salutem; in 3.° quænam dispositiones ad illud requirantur; in 4.° deniquè an et quomodò sacramentum hoc iterari possit.

ARTICULUS

ARTICULUS PRIMUS.

Quinam possint hoc Sacramentum suscipere.

PROPOSITIO.

Extremæ Unctionis sacramentum solis conferri debet baptizatis, adultis, et periculosè ægrotantibus.

Constat ex Ecclesiæ praxi et Theologorum consensu.

Prob. 1.ª *pars.* Quia Baptismus est aliorum sacramentorum janua; ergo cùm non baptizatis alia sacramenta ministrari non possint, nec consequenter Extrema Unctio.

Prob. 2.ª *pars.* Quia hujus sacramenti effectus est remissio peccati actualis, si quod sit, et reliquiarum illius, atque corroboratio adversùs tentationes : sed pueri ante rationis usum, aut perpetuò amentes, capaces non sunt horum effectuum; ergo, etc.

Prob. 3.ª *pars.* Ex verbis S. Jacobi, *Infirmatur quis in vobis?* Similiter Concilia et SS. Patres asserunt hoc sacramentum solis infirmis conferri.

Colliges sacramentum hoc ministrandum esse pueris qui rationis usum attigerunt, quamvis sacræ communionis non fuerint participes; quia, cùm sint Pœnitentiæ capaces, sunt etiam Extremæ Unctionis, quæ est Pœnitentiæ consummativa. Debet etiam ministrari iis qui aliquandò usum rationis adepti, illum posteà amiserunt, dummodò absque irreverentiæ periculo possit iis ministrari, et dummodò sanâ mente illud petierint, vel verisimiliter petiissent : quod de

illis omnibus præsumendum est, qui in Ecclesiâ Catholicâ vixerunt, nisi contrarium appareat. Impœnitentibus verò, et qui in manifesto peccato mortali moriuntur, et excommunicatis, et nondùm baptizatis, et pueris usum rationis nondùm habentibus pœnitùs denegetur, ut præscribit Rituale.

Quæres quid hìc nomine infirmorum intelligatur.

Resp. omnes intelligi in quibus ex morbo vel aliâ causâ intrinsecâ videtur periculum mortis imminere : idcircò ministrari debet Extrema Unctio iis qui præ senio deficiunt, et in diem videntur morituri, etiam sine aliâ infirmitate. È contrà ministrari non debet iis qui sani sunt, licèt statìm morituri per violentiam extrinsecam, quales sunt capite plectendi, vel milites prælium inituri, vel periculosam navigationem ingressuri; illi enim inter infirmos non debent numerari. Attamen lethaliter vulneratis ministrari potest.

ARTICULUS II.

An et quomodò necessarium sit ad salutem Extremæ Unctionis Sacramentum.

PROPOSITIO PRIMA.

Quibusdam in casibus necessarium est ad salutem Extremæ Unctionis Sacramentum.

Constat propositio. *Prob.* inductione : Cùm Christianus subito morbo correptus, Pœnitentiæ sacramentum nullo verbo vel signo petiit, si peccati mortalis sit conscius, et de eo duntaxat attritus, omninò necessaria ipsi erit Extrema Unctio, ut per se patet, cùm nullum aliud eo in casu possit

recipere sacramentum; et de peccato suo duntaxat attritus supponatur. 2.° Cùm quis tam graves in infirmitate patitur tentationes, ut moraliter impossibile sit eas vincere absque Extremæ Unctionis subsidio, tunc, si mentis sit compos, tenebitur hoc sacramentum recipere, si possit; nam unusquisque tenetur uti remedio ad salutem necessario.

PROPOSITIO II.

Vix potest infirmus absque peccato Sacramentum Extremæ Unctionis per solam negligentiam non petere : graviùs autem peccat, qui à Pastore monitus, recusat vel notabiliter differt illud recipere.

Certa est propositio. *Prob.* Quia hic homo salutem suam alicui periculo exponit, animam defraudans subsidio, quod frequenter necessarium est ad morbi labores patienter ferendos, et vincendas tentationes. Deindè ex tali omissione grave sequi potest scandalum. Si verò quis ex formali contemptu suscipere renueret, ille mortaliter peccaret, ut omnes fatentur.

Undè invigilare debent Pastores ut nullus sine tali remedio decedat.

ARTICULUS III.

Quænam dispositiones ad dignè suscipiendam Extremam Unctionem requirantur.

Constat, ex alibi dictis, ad Extremam Unctionem dignè suscipiendam, si quis in peccatis sit, saltem veram et supernaturalem de peccatis suis attritionem requiri.

Insuper illud ex generali Ecclesiæ consuetudine observandum est, quòd si tempus et infirmi

conditio permittat, ante Extremam Unctionem Pœnitentiæ et Eucharistiæ sacramenta infirmo præbeantur; fuit tamen olim consuetudo contraria, et etiam nunc quibusdam in locis solet Extrema Unctio ante sacrum Viaticum administrari, quandò uno eodemque tempore defertur ad infirmum. Ideò suum cuique Rituale observandum est (1).

ARTICULUS IV.

An et quomodò Sacramentum hoc iterari possit.

Statuimus 1.° Extremæ Unctionis sacramentum in diversis morbis iterari potest; sic enim expressè tradit Conc. Trid. Sess. 14, de Sacram. Extrem. Unct., cap. 3 : *Si infirmi post susceptam hanc unctionem convaluerint, iterùm hujus sacramenti subsidio juvari poterunt, cùm in aliud simile vitæ discrimen inciderint.*

Statuimus 2.° In eàdem infirmitate, eodem durante statu morbi, iterari non debet : ita patet ex Rituali, et totius Ecclesiæ praxi. Si verò in longâ infirmitate constitutus periculum mortis evaserit, èt iterùm in illud incidat, sacramentum hoc iterùm eidem ministrandum erit : ita communiter Doctores.

Hæc de Extremæ Unctionis sacramento sufficiant.

---

(1) Praxis est Diœceseos Tolosanæ Extremam Unctionem ante Viaticum infirmis ministrare.

TRACTATUS
DE ORDINIS
SACRAMENTO.

VERAM et orthodoxam de Ordinis sacramento doctrinam singulari diligentiâ debent addiscere quicunque ad ecclesiasticum statum vel aspirant, vel jam in eo sunt constituti, ut omnes quæ hoc in sacramento contrahuntur obligationes fideliter adimpleant, quemadmodùm passim admonent SS. PP. : *Dignum est,* inquit S. Ambrosius, *ut dignitas sacerdotalis noscatur à nobis, et deindè servetur à nobis.*

Tractatum hunc in duas dissertationes dividemus : agemus in priori de Ordinis sacramento in communi; in posteriori verò de Tonsurâ, et singulis Ordinibus in particulari.

DISSERTATIO PRIMA.

DE SACRAMENTO ORDINIS IN COMMUNI.

SEX erunt hujus dissertationis capita : exponetur in 1.° quid et quotuplex sit Ordinis sacramentum; agemus in 2.° de Ordinis materiâ et formâ ; in 3.° de multiplici fine et effectu; in 4.° de ministro; in 5.° de suscipiente et suscipientis dispositionibus ; in 6.° deniquè de cæremoniis et circumstantiis Ordinationis.

CAPUT PRIMUM.

Quid, et quotuplex sit Ordinis Sacramentum.

Quatuor erunt articuli : dicemus in 1.° de nomine et definitione sacramenti Ordinis ; quæremus in 2.° utrùm Ordo seu Ordinatio sit sacramentum ; in 3.° quot sint Ordines ; in 4.° deniquè an quilibet ex Ordinibus tam majoribus quàm minoribus, veram habeat sacramenti rationem.

ARTICULUS PRIMUS.

De Ordinis Nomine et Definitione.

Ordinis vox, præsertìm apud ecclesiasticos auctores, duo significat, scilicet 1.° gradum potestatis et ministerii ecclesiastici, quo sensu dicitur aliquis in Ordine sacerdotali constitutus ; 2.° actionem per quam talis potestas confertur, et hoc posteriori sensu Ordo seu Ordinatio rectè definitur, *Sacramentum novæ legis, quo confertur potestas obeundi sacras et ecclesiasticas functiones, ac præsertìm Eucharistiam consecrandi, aut aliquod munus circa illam exercendi ex officio.*

Hæc nostra definitio concinit cum aliis quas plerique auctores afferunt, v. g., cum illà quàm tradunt Magister Sententiarum, et S. Thomas, quà Ordo dicitur *Signaculum quo potestas spiritualis traditur ordinato.*

ARTICULUS II.

Utrùm Ordo seu Ordinatio verum sit Sacramentum.

Hæretici quidam, quos inter Wiclefus et Lutherus, finxerunt Christianos omnes, saltem in gratiâ constitutos, esse æqualiter Sacerdotes, nullamque novam potestatem aut gratiam per Ordinationem conferri, sed eam non esse nisi figmentum humanum, aut ritum quemdam eligendi ministros verbi Dei et sacramentorum. Contra hos Hæreticos, sit

PROPOSITIO.

Ordo seu Ordinatio est verum et propriè dictum novæ legis Sacramentum.

De fide est propositio, expressè definita à Conc. Trid. Sess. 23, can. 3 et can. 4, in quibus definitur Ordinationem verè et propriè sacramentum esse à Christo institutum, per eamque conferri Spiritum Sanctum. Idem habetur in decreto ad Armenos.

Prob. 1.° *ex Scrip.* I Timoth. c. 4, ℣. 14 : *Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per Prophetiam, cum impositione manuum Presbyterii ;* et II ad eumdem, c. 1, ℣. 6 : *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum.* Ex quibus Apostoli verbis patet in Ordinatione reperiri tria ad rationem sacramenti novæ legis requisita, scilicet, adest 1. signum sensibile et permanens, nimirùm manuum impositio. 2. Gratiæ producendæ virtus : *Noli negligere gratiam... Admo-*

neo te, ut resuscites gratiam. 3. Deniquè Christi institutio; quia nimirùm, fatentibus etiam Hæreticis, solus Deus potest dare signo sensibili vim gratiæ producendæ.

Prob. 2.° *ex Conc. Chalced.*, œcum. IV, act. 15, can. 2, ubi simoniæ arguuntur, qui pecuniam pro Ordinationibus sumunt, quia, inquiunt Patres, *hoc est gratiam sub pretio redigere.* Idem habet Bracarense II, can. 3, et alia multa; ergo supponunt per Ordinationem conferri gratiam, ac consequenter Ordinationem esse sacramentum.

Prob. 3.° *ex SS. PP.* qui unanimi consensu relata Apostoli verba ad sensum nostrum intellexerunt. Sic. S. Ambr. lib. de Dignitate Sacerd. cap. 5 : *Homo imponit manus*, inquit, *Deus largitur gratiam.* Sic S. Aug. lib. 2 contra Epist. Armeniani, cap. 13 : *Utrumque sacramentum est* (Baptismus nempè et Ordo), *et quâdam consecratione utrumque homini datur, illud cùm baptizatur, istud cùm ordinatur.* Idem pronuntiat S. Thom. Supplem. quæst. 34, art. 3 : *Ordo*, inquit, *ab omnibus annumeratur inter septem Sacramenta.*

Obj. 1.° Apoc. c. 5, ℣. 10, omnes fideles dicuntur Sacerdotes : *Fecisti nos*, inquit S. Joannes, *Deo nostro regnum et Sacerdotes*; ergo peculiare non est in Clericis Sacerdotium, ideòque Ordinatio non est sacramentum.

Resp. Dist. Dicuntur Sacerdotes Sacerdotio spirituali et impropriè dicto, *conc.*; secùs, *nego.* Verba laudata de mystico et metaphorico intelliguntur Sacerdotio, quatenùs Christiani Deo offerunt spirituales hostias, preces et opera bona, prout rem clariùs explicat S. Petrus, Epist. I,

c. 2, ℣. 5 : *Et ipsi*, inquit, *tanquam lapides vivi superædificamini, domus spiritualis, sacerdotium sanctum, offerre spirituales hostias.*

Obj. 2.° Manuum impositio non designat sacramentum Ordinationis; ad varios etenim fines olim adhibebatur : sic manus imponebantur pueris, ægrotis, pœnitentibus; sic etiam ad constituendos Apostolos et Discipulos qui Christi Evangelium annuntiarent, eadem usurpabatur cæremonia; ergo gratis asseritur manuum impositionem in rationem sacramenti institutam esse.

Resp. Nego ant. ad cujus prob. *nego consequent.* Hoc quippe argumento probatur solùm, impositionem manuum in sacramento Ordinis esse loco materiæ, quæ ideò communis est alteri sacramento, nempè Confirmationi, aliisque etiam ritibus tum politicis tum ecclesiasticis. Constat enim ex probationibus nostris impositioni manuum in Ordinationis ritu usurpatæ annexam esse gratiæ producendæ virtutem.

Obj. 3.° Non legitur Christum Apostolis manus imposuisse ut eos Sacerdotes constitueret; ergo, etc.

Resp. Nego consequent. Tum quia plura fecit Jesus quæ scripta non sunt, tum quia, nullo observato ritu externo, et sine sacramento, potuit Apostolos ordinare Sacerdotes, et præcipere tamen ut in posterum nonnisi per manuum impositionem crearentur Ecclesiæ ministri; istud autem ita demandatum esse probat constans Patrum traditio.

ARTICULUS III.

Quinam et quot sint Ordines.

Dividi vulgò solent in Majores seu sacros, et

Minores seu non sacros, ut constat ex Conc. Trid. Sess. 23, can. 2. Tres sunt Majores Ordines, scilicet, Presbyteratus, Diaconatus et Subdiaconatus; Minores autem quatuor, nimirùm Acolythatus, Exorcistatus, Lectoratus, et Ostiariatus. Tres priores Majores vocantur, quia hominem in altiori potestatis gradu constituunt: dicuntur autem sacri, quia annexum habent continentiæ votum, et jus conferunt tractandi immediatè res sacras, scilicet Christi corpus, vel saltem sacra vasa et linteamina. Alii verò dicuntur Minores, quia tantam non conferunt dignitatem et potestatem.

PROPOSITIO.

Constat esse septem Ordines in Ecclesiâ.

Prob. 1.° Quia Conc. Trid., hìc, cap. 2, septem Ordines à nobis assignatos sigillatìm enumerat; quod etiam constat ex latinis Pontificalibus et Ecclesiæ usu.

Prob. 2.° Quia non solùm de Sacerdotibus, ut Tit. c. 1, ℣. 5, sed et de Diaconis apertam mentionem faciunt sacræ Litteræ: I. ad Tim. c. 3, ℣. 8: *Diaconos similiter pudicos*, etc. Sequentium verò Ordinum nomina et ministeria ab Ecclesiæ initio in usu fuisse cognoscimus ex S. Ignatio Martyre, qui in Epist. ad Antiochenses salutat Presbyteros, Diaconos, Hypodiaconos (id est, Subdiaconos), Lectores, Janitores et Exorcistas; ex S. Cornelio Sum. Pont. qui in Epist. ad Fabium Antioch., ab Eusebio relatâ, dicit in *Ecclesiâ Romanâ Presbyteros esse* 46, *Diaconos* 7, *Subdiaconos* 7, *Acolythos* 42, *Exorcistas et Lectores, unà cum Ostiariis*, 52; ex

Conc. Roman. III, sub Sylvestro Sum. Pont. in quo prædicti Ordines enumerantur, sicut et ex Carth. IV, ubi S. Aug. interfuit, quod singulorum Ordinum ritus profert, can. 2, et sequentibus; ergo, etc.

Prob. 3.° *Ratione* congruentiæ. Nam totuplex esse debet Ordo, quotuplex assignari potest functio circa sacram Eucharistiam : atqui septuplex assignari potest. 1. Enim Sacerdos Eucharistiam consecrat et Missæ sacrificium offert; 2. Diaconus Sacerdoti proximè assistit et inservit; 3. Subdiaconus materiam consecrandam præparat in vasis sacris; 4. Acolythus materiam illam præsentat ad altare; 5. Exorcista, dæmones ab energumenis expellendo, eos reddit aptos ut sacrificio interesse possint; 6. Lector, præsentes fideles instruendo, disponit ad dignam Eucharistiæ perceptionem; 7. Ostiarius dignos admittit, et indignos expellit.

Obj. 1.° Episcopatus est Ordo; ergo sunt plusquàm septem Ordines.

Resp. Dist. ant. Episcopatus est Ordo, qui in Sacerdotio totaliter et genericè sumpto continetur, *conc.*; qui in Sacerdotio genericè sumpto non continetur, *nego*. Item *dist. cons.* Sunt plusquàm septem Ordines, secundùm divisionem ultimam et infimam; *conc.*; secundùm divisionem vulgarem, quæ recta est et adæquata, *nego*. Verè quidem Sacerdotium genericè sumptum dividi potest in simplicem Presbyteratum et Episcopatum : nihilominùs tamen vulgaris et usitata divisio in praxi est retinenda.

Obj. 2.° S. Ignatius, in Epist. jam relatâ, aliis Ordinibus annumerat Cantores seu Psalmistas, et Fossarios seu Laboratores, qui defunctorum

corpora curabant, et Conc. Carth. IV, post alios Ordines, tradit modum instituendi Psalmistas; ergo, etc.

Resp. Baronius et plures Theologi Psalmistarum munus et alia ejusmodi non fuisse Ordines propriè dictos, sed officia duntaxat ecclesiastica, quæ forsitan alicui ex septem Ordinibus connecti solebant : tum quia Fossariorum officium ad Eucharistiam non referebatur; tum quia Conc. Carth. IV, de Psalmistâ loquens, non dicit eum ordinari, sicut de aliis dixerat, sed de eo sic habet, can. 10 : *Psalmista seu Cantor potest absque scientiâ Episcopi, solâ jussione Presbyteri, Officium suscipere cantandi, dicente sibi Presbytero : Vide ut quod ore cantas, corde credas, et quod corde credis, operibus comprobes.* Sed constat Ordinem propriè dictum conferri non posse à simplice Presbytero, inconsulto Episcopo, et absque Sum. Pontificis aut speciali Ecclesiæ privilegio; ergo, etc.

Nota 1.° quòd nec Conc. Trid., nec aliud OEcumenicum, definivit non esse vel fuisse in Ecclesiâ plusquàm septem Ordines; sed cùm Hæretici quosdam ex septem Ordinibus in Ecclesiâ Romanâ conferri solitis deriderent, Trid. Synodus declaravit eos omnes veros esse Ordines et in Ecclesiâ retinendos.

Nota 2.° Episcopatum, Presbyteratum et Diaconatum peculiariter vocari ordines hierarchicos, id est, sacrum habentes principatum, et fungentes actionibus hierarchicis; quæ juxta S. Dionysium tres sunt, scilicet purgare, illuminare et perficere.

ARTICULUS IV.

An quilibet ex Ordinibus veram habeat Sacramenti rationem.

PROPOSITIO PRIMA.

De fide est Sacerdotium seu sacerdotalem Ordinem verum esse Sacramentum.

Prob. Quia testimonia ex Scripturâ et Traditione modò relata, directè et præcipuè sacerdotalem Ordinationem spectant, quandoquidem Sacerdotium inter Ordines locum obtinet primarium : si autem Sacerdotium sacramentum non esset, nullus Ordo sacramenti rationem haberet.

PROPOSITIO II.

Diaconatus verè Sacramentum est.

Prob. contra Durandum, Cajetanum et Maldonatum. Quia Diaconatui competunt tria ad sacramenti rationem requisita, scilicet, 1.° ritus externus et permanens; nimirùm impositio manuum et oratio, ut habetur Act. 6, ubi refertur primos Diaconos per manuum impositionem et orationem ordinatos fuisse. 2.° Gratiæ producendæ virtus; quia Episcopus in Ordinatione Diaconi dicit, *Accipe Spiritum Sanctum :* id autem frustrà non dicit, ut definitur à Conc. Trid. Sess. 23, can. 4; ergo per Ordinationem diaconalem datur Spiritus Sanctus, ac proindè gratia. 3.° Institutio Christi; tum quia Trid., hic, can. 6, definivit ecclesiasticam hierarchiam divinâ Ordinatione institutam, constare ex Episcopis, Presbyteris et Ministris : cùm ergo Diaconi

præcipuum inter Ministros locum obtineant, ad hierarchiam divinâ Ordinatione institutam pertinent, ac consequenter sunt ex divinâ Ordinatione et institutione; tum quia ritus externus vim habens producendæ gratiæ, non potest esse nisi ex divinâ institutione: sed talis est diaconalis Ordinatio; ergo, etc.

Obj. 1.° Primi Diaconi fuerunt ab Apostolis constituti ad ministrandum mensis, et ad pauperes sublevandos, ut videre est Act. c. 6; ergo Diaconatus non est sacramentum.

Resp. Dist. ant. Constituti fuerunt Diaconi ad ministrandum mensis, tanquam ad finem minùs præcipuum, *conc.;* tanquam ad unicum et primarium finem, *nego.* Sic enim de Diacono loquuntur SS. PP.: S. Ignatius in Epist. ad Trallianos: *Oportet et Diaconis, mysteriorum Christi ministris, per omnia placere; nec enim ciborum et potuum ministri sunt, sed Ecclesiæ Dei administratores;* S. Cyprianus, Epist. 65: *Diaconos, post ascensum Domini in cœlos Apostoli sibi constituerunt episcopatûs sui et Ecclesiæ ministros.* Deindè ad quid tot eximias dotes in primis Diaconis desiderassent Apostoli, nimirùm ut essent pleni fide et Spiritu Sancto? Cur ipsos per manuum impositionem et orationem consecrassent, si constituendi fuissent duntaxat ciborum et mensarum Ministri? Ordinati sunt ergo Diaconi ad sacrum ministerium, 1.° scilicet ut Apostolis Eucharistiam conficientibus ministrarent, eamque populo distribuerent: hoc enim Diaconorum munus semper fuisse, ut sacris mysteriis inservirent, testantur Conc. Nicænum I et tota Traditio; 2.° ut prædicarent et baptizarent, quod et fecisse leguntur in Actibus Apostolorum

S. Stephanus et S. Philippus; 3.° ut mensis præessent et Ecclesiæ facultates sapienter distribuerent, atque hæc fuit occasio ut tunc ordinarentur primi illi Diaconi.

Obj. 2.° Si Diaconatus esset sacramentum, jam plura essent quàm septem Sacramenta : falsum cons.; ergo et antecedens.

Resp. Nego maj. Non enim ex multiplicitate signorum materialiter sumptorum desumitur sacramentorum multiplicitas, sed ex diversitate finis et effectùs ad quem ordinantur illa signa : atqui Presbyteratus et Diaconatus ad eumdem finem, putà confectionem et administrationem Eucharistiæ, quanquam diversimodè, referuntur; ergo, licèt Presbyteratus et Diaconatus sint sacramenta, et duo distincti Ordines, non indè sequitur duo utiquè esse distincta sacramenta; distincta dico *genericè*, cùm ad unum Ordinis sacramenti genus pertineant.

PROPOSITIO III.

Multi et gravissimi Theologi docent Subdiaconatum, et unumquemque ex Minoribus Ordinibus veram habere rationem Sacramenti.

Ita Magister Sentent., S. Thomas, S. Bonaventura, Bellarminus, Isambertus, Sylvius, aliique permulti, contra plures alios Scholæ Magistros, et *probant* ex eo quòd SS. PP. et Conc. generatim et absque ullà exceptione docent Ordinem esse sacramentum. Ita Florent. in decreto ad Armenos, et Trid. Sess. 23. Sed non solùm Sacerdotium et Diaconatus, verùm etiam Subdiaconatus et Minores sunt verè Ordines, per quos, velut per gradus in Sacerdotium tenditur, ut constat ex Trid., hic, cap. 2; ergo sacramenta sunt.

Quæres quandonàm sacramentum Ordinis fuerit à Christo Domino institutum.

Resp. 1.° Sacerdotium in ultimâ cœnâ fuit institutum, cùm scilicet Apostolos novi Testamenti Sacerdotes Christus instituit, dando ipsis potestatem consecrandi corpus ipsius et sanguinem, ut declarat Trid. Sess. 22, cap. 1. Potestatem dimittendi peccata tunc præsertìm Apostolis tribuit, *cùm à mortuis excitatus*, ait S. Synodus Trid., Sess. 14, cap. 1, *insufflavit in discipulos, dicens: Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis*, etc., ut refertur Joan. c. 20, ℣. 22 et 23.

Respondent 2.° Theologi citati quòd probabile est Ordines Sacerdotio inferiores in ultimâ cœnâ pariter à Christo fuisse institutos, tum quia illi omnes ad Eucharistiam, quæ tunc instituta est, suo modo ordinantur, ut suprà vidimus; tum quia in Sacerdotio quod tunc, quantùm ad consecrandi potestatem, fuit Apostolis collatum, eminenter continentur: ita tamen illos Ordines tunc Christus instituit, ut Ecclesiæ arbitrio et prudentiæ reliquerit potestatem eos Ordines conferendi, cùm sibi congruum vel necessarium videretur.

CAPUT II.

De Sacramenti Ordinis Materiâ et Formâ.

Certum est 1.° materiam sacramenti Ordinis esse aliquod signum sensibile, formam verò verba quæ à ministro materiam exhibente proferuntur.

Certum est 2.° validas esse tum Latinorum, tum Græcorum Ordinationes, dummodò utrique exhibeant ritus omnes in propriis suis pontificalibus libris præscriptos, et à Sum. Pontifice atque Ecclesiâ approbatos.

Certum est 3.°, juxta præsentem Latinæ Ecclesiæ morem, in Ordinatione Presbyteri et Diaconi duplicia exhiberi signa, scilicet manuum impositionem cum formâ correspondente, et instrumentorum porrectionem cum verbis similiter correspondentibus; si quis autem ex illis ritibus fuerit omissus, constat illum esse supplendum priusquàm Ordinis sic collati functiones exerceantur, ut patet ex cap. *Pastoralis*, et cap. *Presbyter*, de Sacram. non iterandis.

Certum est 4.°, apud Græcos, in Ordinatione solam adhiberi manuum impositionem et ipsi correspondentem orationem.

Hinc non levis est inter Doctores difficultas, an sola manuum impositio, aut sola instrumentorum porrectio, vel utraque simul, sit essentialis pro ordinatione Presbyteri et Diaconi, saltem in Ecclesiâ Latinâ, in quâ utraque illa materia adhibetur. Disputant pariter Doctores, an forma essentialis sit ea quæ manuum impositioni respondet, an quæ instrumentorum porrectioni, an utraque simul. Quamvis autem ista disputatio magni non sit ad praxim momenti, quid tamen super illâ certius et scitu magis necessarium videatur, sequentibus articulis aperiemus.

ARTICULUS PRIMUS.

Quænam sit Materia et Forma essentialis Sacramenti Ordinis.

PROPOSITIO PRIMA.

Manuum impositio est materia essentialis pro collatione Sacerdotii et Diaconatûs.

Constare videtur propositio, et juxta Maldonatum tenenda est fide catholicâ.

Prob. 1.° Quia quotiescunque Scriptura de Ordinis sacramento loquitur, semper illud per manuum impositionem designat, ut de Diaconatu videre est Act. c. 6, et de Sacerdotio I Timoth. c. 4, ℣. 14, et II ad eumdem c. 1, ℣. 6: *Admoneo te ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum;* ergo, etc.

Prob. 2.° Quia Sacerdotium et Diaconatum collata semper fuisse per manuum impositionem, testantur omnia Græcorum Euchologia et antiqua Latinorum Pontificalia, in quibus pro illis Ordinibus de solà manuum impositione fit mentio, et quamvis Pontificalia Latina, post nonum seculum edita, addant illis Ordinationibus instrumentorum porrectionem, nunquàm tamen manuum impositionem omiserunt.

Deindè Conc. et SS. PP. dicunt hierarchicas Ordinationes per manuum impositionem perfici, docentque per eamdem cônferri gratiam, et characterem imprimi. Imò in Conc. et PP. Græcis, Ordinatio ferè nunquàm aliter designatur quàm per manuum impositionem. Unde in Chalced. Conc. et aliis, quoties in interprete latino legitur Ordinatio, toties in Græco *Cheirotonia*, id est, manuum impositio.

Recentiores nonnulli, cùm negare non possint manuum impositionem hierarchicis Ordinationibus fuisse olim essentialem, fingunt illam à ratione substantialis ritùs excidisse ab eo tempore, quo introducta fuit in Ecclesià Latinâ instrumentorum porrectio.

Sed facilè refelluntur ex Conc. Trid. quod apertè declarat manuum impositionem pertinere ad essentiam sacramenti Ordinis: 1.° enim Sess. 23,

cap. 3, probat Ordinationem esse sacramentum, ex eo quòd manuum impositio gratiam producat. 2.° Dicit, cap. 2, in sacris Litteris doceri quæ maximè attendenda sunt in Ordinatione Sacerdotum et Diaconorum : sed nullus alius ritus in Script. exprimitur quàm manuum impositio et oratio. 3.° Definit, can. 4, per sacram Ordinationem dari Spiritum Sanctum, ac proindè Episcopos non frustrà dicere : Accipe Spiritum Sanctum : sed hoc non dicunt Episcopi nisi cùm manus imponunt. 4.° Deniquè Sess. 14, cap. 3, de Doctrinâ Sacramenti Extremæ Unctionis, docet ministros Extremæ Unctionis esse Episcopos, aut Sacerdotes ab ipsis ritè ordinatos per impositionem manuum Presbyterii : sed ritus ex quo probatur Ordinem esse sacramentum, qui maximè attendendus est in Ordinatione, per quem datur Spiritus Sanctus et gratia confertur, per quem deniquè veri Sacerdotes ordinantur, est Ordinationi essentialis; ergo, etc.

Obj. In decreto ad Armenos, pro Ordinum materiâ nihil assignatur quàm instrumentorum porrectio; ergo manuum impositio non est Ordinationi essentialis.

Resp. Nego consequent. Ut enim eruditi observant Theologi, decretum ad Armenos totum ritum essentialem non explicuit, sed unam duntaxat partem, nempè instrumentorum porrectionem, quæ Latinæ Ecclesiæ propria erat et minùs nota Armenis; necesse enim non fuit Armenis manuum impositionem exponere, quia satis illam ex Scripturâ nòverant, et juxta Orientalis Ecclesiæ ritum, illam hactenùs in Ordinationibus adhibuerant; ideòque decretum illud, postquàm de instrumentorum porrectione sermonem fecit,

brevitatis causâ, remittit ad Pontificale Romanum, in quo manuum impositio simul habetur cum instrumentorum porrectione.

PROPOSITIO II.

Juxta communiorem Theologorum sententiam, porrectio instrumentorum est quoque essentialis in Ordinatione Presbyteri et Diaconi, apud Latinos.

Prob. 1.° *ex Conc. Florent.* in decreto ad Armenos, ubi sic habetur : *Sextum Sacramentum est Ordinis, cujus materia est illud per cujus traditionem confertur Ordo ; sicut Presbyteratus traditur per Calicis cum vino, et Patenæ cum pane porrectionem, Diaconatus verò per Libri Evangeliorum dationem.*

Prob. 2.° Quia ex Pont. Romano, quo solo nunc tota Latina utitur Ecclesia, Diaconi et Presbyteri appellantur ordinandi, quousque instrumenta tetigerunt, et statìm post instrumentorum contactum vocantur ordinati. Prætereà, Pontificale præscribit moneri ordinandos, ut instrumenta, quibus character imprimitur, tangant. Quæ monitio etiam Presbyteros spectat et Diaconos : si verò per instrumentorum contactum character imprimitur, procul dubio contactus ille ad essentiam sacramenti pertinet.

Prob. 3.° Quia permulti Theologi, tum antiquiores cum S. Thomâ, tum recentiores, ut Sylvius, Maldonatus et alii, constanter tuentur, non solam manuum impositionem, sed etiam porrectionem instrumentorum pertinere ad essentiam Ordinationis presbyteralis et diaconalis.

Idem proportionatè dicendum est de formâ Ordinis, quod de materiâ dictum est.

Prob. Quia cuilibet materiæ sua debet correspondere forma ad sacramentum conficiendum, quandoquidem, ut alibi diximus, quodlibet sacramentum constat materiâ et formâ : cùm ergo manuum impositio sit Ordinationi essentialis, forma ipsi correspondens est etiam essentialis; et cùm, juxta communiorem sententiam, instrumentorum porrectio sit etiam essentialis in Ecclesiâ Latinâ, pariter forma eidem correspondens censeri debet essentialis.

Colliges duplicem esse Diaconatùs materiam et formam. 1.[a] Est manùs impositio à solo Episcopo facta cum hâc formâ : *Accipe Spiritum Sanctum ad robur, ad resistendum diabolo et tentationibus ejus, in nomine Domini.* 2.[a] Est traditio libri Evangeliorum sub his verbis : *Accipe potestatem legendi Evangelium in Ecclesiâ Dei, tam pro vivis quàm pro defunctis, in nomine Domini.*

Pariter cùm duæ conferuntur in Ordinatione Presbyteri potestates, scilicet circa corpus Christi naturale, et corpus ejus mysticum, id est, fideles Ecclesiæ, duplex etiam est materia et forma partialis. 1.[a] Confertur traditione calicis cum vino et aquâ, et patenæ cum hostiâ superpositâ; forma verò talis est : *Accipe potestatem offerre Sacrificium Deo, Missasque celebrare tam pro vivis quàm pro defunctis.* 2.[a] Potestas confertur per impositionem manuum Episcopi et Presbyterii, cum oratione correspondente; quæ potestas ampliùs declaratur per secundam manuum impositionem Episcopi dicentis in fine Missæ : *Accipe Spiritum Sanctum; quorum remiseris peccata, remittuntur eis; et quorum retinueris, retenta sunt.*

ARTICULUS II.

Quomodò Materiam et Formam Christus determinaverit.

PROPOSITIO.

Materiam et formam Ordinis in genere tantùm, et non in particulari, determinavit Christus.

Prob. Quia materia et forma quæ à Christo determinatæ sunt in particulari, nunquàm immutatæ sunt ab Ecclesiâ, ut potè quæ, sicut declaravit Trid. Sess. 21, cap. 2, nihil possit circa sacramentorum substantiam : atqui Ordinum materia et forma immutatæ sunt ab Ecclesiâ; certum est enim primos Diaconos non fuisse ordinatos per traditionem libri Evangeliorum, cùm nondùm scripta essent Evangelia. Præretereà, in Scripturâ et antiquis Conc. et Pontificalibus latinis, nulla porrectionis instrumentorum habetur mentio pro Ordinibus hierarchicis; nunc tamen, ut suprà diximus, secundùm probabiliorem et communiorem Doctorum sententiam, illa instrumentorum porrectio est Ordini hierarchico essentialis in Ecclesiâ Latinâ; ergo, etc.

Deindè in Ecclesiâ Græcâ Ordines hierarchici, aut saltem Presbyteratus, etiam nunc per solam manuum impositionem conferuntur; at in Ecclesiâ Latinâ omnes hierarchici Ordines per manuum impositionem et instrumentorum porrectionem conferuntur. Deniquè, in eâdem Ecclesiâ Græcâ talis est Ordinum hierarchicorum forma : *Divina gratia, quæ semper infirma curat, et imperfecta perficit, promovet N., Reverendum Subdiaconum, in Diaconum;* ac sic de Presby-

teratu et Episcopatu. At verò in Ecclesià Latinà variæ sunt pro singulis Ordinibus formæ, et à Græcorum formà plurimùm diversæ.

Quæres quomodò hierarchicæ Græcorum Ordinationes cum Latinis conciliari possint.

Resp. 1.° quòd Theologi qui admittunt solam manuum impositionem cum oratione essentialem esse, etiam in Ordinationibus Latinorum, facilè omnes Ecclesiæ Catholicæ Ordinationes conciliant, quia nimirùm sive in Græcorum, sive in Latinorum Ordinationibus hierarchicis, adhibita semper fuit, et etiam nunc adhibetur manuum impositio cum oratione; ergo omnes illæ Ordinationes eamdem habent simpliciter materiam, et eamdem quoad sensum formam, sicque quoad substantiam omnes inter se conveniunt.

Resp. 2.° quòd Theologi qui, præter manuum impositionem, arbitrantur etiam instrumentorum porrectionem in Ecclesià Latinà essentialem esse, dicunt omnes Ecclesiæ Catholicæ Ordinationes in eo convenire, quòd in illis omnibus inveniatur manuum impositio cum oratione; et quamvis in Ecclesià Latinà aliquid manuum impositioni fuerit superadditum, quo ejusdem materiæ significatio clariùs explicetur; et quamvis variæ Latinorum formæ partiales clariùs sacræ Ordinationis effectus significent quàm Græcorum formæ; id tamen, in eorum sententià, non impedit quominùs illæ Ordinationes, quoad substantiam, dicantur convenire.

Quæ adversùs hanc nostram sententiam objici solent, ex dictis in *Tractatu de Sacramentis in genere* solvuntur.

CAPUT III.

De multiplici Ordinis Fine et Effectu.

Duos præsertìm ob fines sacramentum Ordinis à Christo fuit institutum : 1.° ut singuli Ordinibus initiati, ac præcipuè Sacerdotes, honorem et cultum Deo debitum impendant, juxta illud Apost. ad Heb. c. 5, ℣. 1 : *Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum.* 2.° Ut animarum salutem modis omnibus, ac præsertìm verbi prædicatione, sacramentorum administratione, et bonorum operum exemplo promoveant, juxta illud quod Salvator Apost. Petro dixit, Joan. c. 21, ℣. 17 : *Pasce oves meas.* Duo pariter sunt Ordinis effectus, nimirùm, gratia et character, cui spiritualis potestas connectitur; de his nunc agendum est. Sit itaque

PROPOSITIO PRIMA.

Per Ordinis Sacramentum gratia sanctificans et sacramentalis ex opere operato confertur.

De fide est propositio, et ex jam dictis abundè probata manet.

Quæres quid sit gratia sacramentalis Ordinis.

Resp. esse ipsam gratiam habitualem copiosam et abundantem, quatenùs hominem inclinat, et idoneum efficit ad dignè fungendum sacris ministeriis, tribuitque jus ad recipiendas tempore convenienti speciales gratias actuales, conducentes ad ritè fungendnm istis ministeriis.

PROPOSITIO

PROPOSITIO II.

Per Sacerdotium datur potestas consecrandi corpus et sanguinem Christi, ac prætereà potestas peccata remittendi et retinendi : quæ quidem potestates non Christianis omnibus, sed solis ritè ordinatis competunt.

De fide est tota propositio.

Prob. 1.ª *pars.* Luc. c. 22, ℣. 19 : *Hoc facite in meam commemorationem;* quibus verbis, ut notat Conc. Trid. Sess. 22, cap. 1, præcepit Christus Apostolis, eorumque in Sacerdotio successoribus, ut corpus ipsius et sanguinem sub panis et vini speciebus consecrarent et offerrent.

Prob. 2.ª *pars.* Joan. c. 20, ℣. 22 et 23, Christus dixit Apostolis : *Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata*, etc., quibus verbis potestatem remittendi, et retinendi peccata Apostolis et eorum legitimis successoribus fuisse communicatam, universorum Patrum consensus semper intellexit, ut tradit Conc. Trid. Sess. 14, cap. 1, et can. 3.

Prob. 3.ª *pars.* Quia potestates illas non Christianis omnibus, sed solis Apostolis eorumque successoribus tribuere voluit Christus, ut docet Apost., I Cor. c. 12, ℣. 28, 29, his verbis : *Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesiâ, primùm Apostolos, secundò Prophetas, tertiò Doctores.... Nunquid omnes Apostoli....? nunquid omnes Doctores?* etc. Et ibidem, c. 4, ℣. 1 : *Sic nos existimet homo ut ministros Christi, et dispensatores Mysteriorum Dei.* Et Ephes. c. 4, ℣. 11 : *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos*, etc. Idem unanimi consensu docent SS.

PP., Conc. Trid. Sess. 7, can. 10, et Sess. 23, cap. 4.

PROPOSITIO III.

Per Ordinis Sacramentum character imprimitur.

De fide est, ut videre licet in Conc. Trid. Sess. 23, cap. 4 et can. 4; atque etiam Sess. 7, can. 9. Character autem est nota quædam spiritalis, quâ fit ut Ordinatio ritu legitimo collata, iterari non possit.

Prob. ex Traditione, quam testantur S. Aug. lib. 2, in Epist. Parmeniani, cap. 13, ubi de Baptismo et Ordine sic loquitur: *Utrumque Sacramentum est... in Ecclesiâ Catholicâ, utrumque non licet iterari;* et S. Hieron. Dialogo adv. Lucif. ubi docet à Nicænâ Synodo concessum fuisse Novatianorum Episcopis, si conversi fuerint, ut sacerdotalia exercerent munia, quod ipsis concessum nunquàm fuisset, si existimatum fuisset characterem in Ordinatione non imprimi.

Obj. Ordinationes ab Episcopis hæreticis, schismaticis et depositis collatæ, irritæ multoties declaratæ sunt et nullæ.

Resp. Dist. ant. Declaratæ sunt irritæ, quantùm ad functiones Ordinum, aliaque similia privilegia, *conc.;* quantùm ad characterem et potestatem validè peragendi functiones à solo charactere dependentes, *nego.*

Inst. Reordinati aliquandò fuerunt ab Hæreticis ordinati; ergo, etc.

Resp. Dist. ant. Reordinati fuerunt ordinati ab Hæreticis, qui ritè secundùm Ecclesiæ ritum non

ordinabant, *conc.*; ordinati ab Hæreticis qui secundùm Ecclesiæ ritum ordinabant, reordinati fuerunt, jubente aut approbante Ecclesiâ, *nego.* Verè quidem qui ab Hæreticis ordinati fuerant, per quamdam rehabilitationis cæremoniam, Ordinationi aliquatenùs similem, ad functiones Ordinum priùs susceptorum admittebantur, sed verè nunquàm fuerunt reordinati.

CAPUT IV.

De Sacramenti Ordinis Ministro.

PROPOSITIO PRIMA.

Solus Episcopus est Minister Sacramenti Ordinis, simpliciter et absolutè loquendo.

De fide est, ut constat ex Conc. Trid. Sess. 23, cap. 4, et can. 7, ubi sic legitur: *Si quis dixerit Episcopos non esse Presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi et ordinandi, vel eam quam habent illis esse cum Presbyteris communem....; anathema sit.* Idem patet ex Conc. Florent.

Prob. Tum quia quoties de Ordinatione agitur in Scripturis, ea semper tribuitur Apostolis, et eorum successoribus, ut videre est II Timot. c. 1, ℣. 6; Tit. c. 1, ℣. 5, et Act. c. 6, ℣. 6; tum quia SS. PP. unanimiter jus ordinandi ad solos Episcopos pertinere dicunt: ideòque tanquam hæreticus damnatus fuit Aerius eo quòd asseruerit ordinandi potestatem simplicibus Presbyteris competere, ut refert S. Epiphanius, Hæresi 75.

PROPOSITIO II.

Ordinatio episcopalis et sacerdotalis à solis Episcopis validè conferri potest.

De fide est, si eo præsertìm intelligatur sensu, quòd simplicibus Presbyteris ratione sui characteris non competat potestas ordinandi Episcopos vel Presbyteros, idque saltem definivit Conc. Trid., locis jam citatis.

Prob. Quia facultas ordinandi Episcopos et Presbyteros, ab Ecclesiâ aut Sum. Pontifice non videtur posse simplicibus Presbyteris committi, ut patet ex S. Hieron. Epist. 85, ad Evagrium seu Evangelium, nunc 101, ubi sic loquitur: *Quid facit Episcopus, exceptâ Ordinatione, quod non faciat Presbyter,* id est, quod absolutè facere non possit? ibi enim Ordinationem excipit S. Hieron. ab omnibus aliis functionibus, quæ ex speciali dispensatione committi poterant simplicibus Presbyteris: constat autem tempore S. Hieron. multas functiones simplicibus Presbyteris licitas non fuisse, quales sunt consecrationes Virginum, Altarium, Ecclesiarum, etc.; illas tamen, absolutè loquendo, posse committi indicat, non verò Ordinationem.

PROPOSITIO III.

Diaconorum et Subdiaconorum Ordinatio à solo Episcopo validè conferri potest, saltem spectato jure communi.

Certa est propositio.

Prob. de Diaconatu: Quia testimonia Scripturæ et SS. PP. jam relata, ostendunt generatìm sacramentum Ordinis à solo Episcopo validè conferri

posse, quod saltem de Ordinibus verè hierarchicis, et quæ vera sunt Sacramenta, intelligendum est : atqui Diaconatus ad hierarchiam strictè pertinet, et verè sacramentum est; ergo, etc.

Deindè constat, saltem per 14 secula, simplicibus Presbyteris concessam non fuisse potestatem ordinandi Diaconos. Undè gravissimi Theologi putant facultatem hanc eis nullatenùs posse committi.

Prob. de Subdiaconatu : Quia Conc. Trid., hic cap. 4, declarat ad solos Episcopos pertinere potestatem ordinandi ministros Ecclesiæ, quod præsertim sacros Ordines spectat.

Deindè Catechismus Concil. Trid. parte 2.ª, de Ordinatione sacrâ, num. 53, sic habet : *Subdiaconos, Diaconos et Sacerdotes unus tantùm Episcopus ordinat;* ergo, etc.

Dices : Innoc. VIII, circa annum 1489, concessisse dicitur Joanni Abbati Cisterciensi, et quatuor Abbatibus ejusdem ordinis eorumque successoribus, ut Monachis suis Ordines Subdiaconatûs et Diaconatûs conferrent; ergo immeritò à quibusdam negatur id posse concedi simplicibus Presbyteris.

Respondent eruditissimi Theologi Bullam istam esse supposititiam, aut saltem corruptam.

Prob. 1.° Quia Bulla ista nec in Bullario Romæ edito, nec in publicis monumentis pontificales constitutiones referentibus invenitur. 2.° Quia in primâ ejus parte, seu supplicatione, Abbas postulat solùm ut sibi renovetur, et confirmetur privilegium conferendi Monachis suis Tonsuram, et Minores Ordines; in posteriori autem parte, sive in concessione, datur facultas conferendi Subdiaconatum et Diaconatum, nullâ factâ mentione

Ordinum Minorum. 3.° si verum fuisset hoc privilegium, latere non potuisset Concilii Trid. PP., præsertim cùm ibi adesset Cisterciensis Abbas : sed Conc. Trid. Sess. 23, cap. 10, de Reform. satis apertè supponit nulli Abbati competere facultatem conferendi Diaconatum et Subdiaconatum; ibi enim vetat ne Abbates aliis quàm regularibus sibi subditis Tonsuram et Minores conferant. Idem à fortiori prohibuisset de Diaconatu et Subdiaconatu, si quosdam existimasset Abbates frui privilegio istos Ordines conferendi. 4.° Deniquè Catech. Conc. Trid. prætenso huic privilegio clarissimè contradicit, parte 2.ª de Sacram. Ordinis num. 53, his verbis : *Quamvis nonnullis Abbatibus permissum sit ut Minores et non sacros Ordines interdùm administrent, tamen hoc proprium munus esse Episcopi nemo dubitat, cui uni ex omnibus, prætereà nemini, licet reliquis Ordinibus, qui Majores et sacri dicuntur, initiare. Nam Subdiaconos, Diaconos et Sacerdotes unus tantùm Episcopus ordinat.*

Quis autem finget prædictam Bullam, si fictitia non esset, ignoratam fuisse à doctissimis hujus Catechismi auctoribus, à Sum. Pont. Pio V et Greg. XIII, qui eumdem approbârunt, ac deniquè à S. Carolo Borrom. innumerisque clarissimis Præsulibus, qui librum illum maximè commendârunt.

PROPOSITIO IV.

Quamvis solus Episcopus sit ordinarius Minorum Ordinum Minister, tamen, ex apostolicâ concessione, simplices Presbyteri facultatem habent eos conferendi.

Prob. ex Conc. Trid. Sess. 23, cap. 10, jam

citato, ubi supponitur hanc Abbatibus in Regulares sibi subditos competere potestatem. Idem habetur ex Catechismo Concilii, verbis relatis, et in pluribus aliis monumentis. Sic Abbates Benedicti Regularibus sibi subditis Minores Ordines conférre solent.

PROPOSITIO V.

Licèt Ordines ab Episcopo quolibet, etiam hæretico, deposito, excommunicato, etc., validè suscipiantur; attamen unusquisque à proprio debet Episcopo ordinari, non autem ab alieno, nisi cum Episcopi proprii licentiâ, seu cum litteris dimissoriis.

Certa est propositio.

Prob. ex Concil.: Conc. Nicæno, can. 17, Sardic. can. 18 et 19, Lugd. II, can. 15, et Trid. Sess. 23, cap. 8 de Reform., ubi sic legitur: *Unusquisque à proprio Episcopo ordinetur. Quòd si quis ab alio promoveri petat, nullatenùs id ei... permittatur: nisi ejus probitas ac mores Ordinarii sui testimonio commendentur.* Episcopus, qui aliquem non sibi subditum, quovis prætextu, et absque litteris dimissoriis ordinaverit, ab exercitio pontificalium per annum, taliter verò promotus ab exsecutione Ordinum sic susceptorum, donec suo Prælato visum fuerit, ipso jure sint suspensi. Id habetur in eodem Conc. Sess. 14, cap. 2 de Reformatione.

Quæres quisnam sit proprius Episcopus.

Resp. olim per proprium Episcopum intellectum fuisse vulgò Episcopum originis, eoque sensu loquuntur Conc. Nicæn. I, Sardic. et Lugd., locis citatis. Attamen Bonif. VIII, cap.

Cùm nullus, de Temporibus Ordinationum, in Sexto, declaravit proprium Episcopum tripliciter dici posse, vel ratione originis, vel ratione domicilii, vel ratione Beneficii. Nihilominùs tamen in Galliâ retentum est communiter jus antiquum, sicut solemniter declaratum est in Comitiis Gallicani Cleri, anno 1655, his verbis: *Pour l'Ordination l'on n'aura égard qu'à l'Evêque de la naissance, et non point de la demeure, ni du Bénéfice.*

Notandum litteras dimissorias non solùm ab Episcopo, sed etiam ab ejus Vicario Generali dari posse, modò ad id expressam facultatem ab Episcopo acceperit. Litteræ illæ dimissoriæ non exstinguuntur per mortem concedentis Episcopi, probabiliùsque valent donec revocentur; Capitulum Ecclesiæ Cathedralis non potest, Sede vacante, ejusmodi litteras concedere, ante elapsum ab Episcopi morte annum, nisi iis qui Beneficii ecclesiastici occasione fuerint arctati, ex Conc. Trid. Sess. 7, de Reform., cap. 10.

CAPUT V.

De Ordinandis et eorum Qualitatibus.

PROPOSITIO.

Solus homo masculus validè potest ordinari, seu, quod idem est, *mulieres divino jure sunt incapaces, tum Sacerdotii, tum aliorum Ordinum. Præterea requiritur ut sit baptizatus, et non omninò invitus.*

PRIMA pars, quæ quantùm ad Sacerdotium de fide est,

Prob. 1.° *ex Script.* I Timoth. c. 2, ℣. 11 et 12, sic loquitur Apost. : *Mulier in silentio discat cum omni subjectione : docere autem mulieri non permitto, neque dominari in virum.* I Cor. c. 14, ℣. 34 et 35 : *Mulieres in Ecclesiis taceant, non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse; sicut et Lex dixit : si quid autem volunt dicere, domi viros suos interrogent; turpe est enim mulieri loqui in Ecclesiâ :* atqui per Sacerdotium confertur dominium spiritale in fideles, et imponitur obligatio loquendi et docendi in Ecclesiâ; ergo, etc.

Prob. 2.° *ex Traditione.* Nam, teste S. Epiphanio, Hæresi 79, Collyriani pro Hæreticis habiti sunt, eo quòd mulieribus Sacerdotium conferrent. Eamdem veritatem docent unanimiter SS. PP. Undè Innoc. III rectè dicit mulieres adeò esse Sacerdotii incapaces, ut quamvis B. Virgo longè dignior et excellentior Apostolis fuerit, non illi tamen, sed istis regni cœlorum claves tradiderit Christus; ergo, etc.

Quoad alios Ordines Sacerdotio inferiores, *prob.* tum quia id constanter docent Theologi, tum quia multi ex his Ordinibus, ut Diaconatus, Subdiaconatus et Lectoratus dant jus docendi in Ecclesiâ; tum quia omnes Ordines quamdam habent Sacerdotii participationem, cujus incapaces sunt mulieres.

Quantùm ad secundam et tertiam propositionis partem, quòd nimirùm Ordinatus debeat esse baptizatus, et quòd non omninò invitus ordinetur, satis superque jam probatæ sunt, præsertim ubi de *Sacramentis in genere* diximus.

Obj. Exstiterunt olim in Ecclesiâ Diaconissæ, Presbyteræ et Episcopæ; ergo, etc.

Resp. feminas istis nominibus appellatas nullo Ordine propriè dicto insignitas fuisse. Ac 1.° quidem Presbyteræ et Episcopæ dictæ sunt, Episcoporum et Presbyterorum qui ante Ordinationem nupserant, uxores, quæ, sicut et mariti, perpetuam servabant continentiam. Aliquandò etiam Presbytera dicta fuit, juxta græcam significationem, quælibet vidua senior. Quantùm ad Diaconissas, nec sacris altaribus, nec Eucharistiæ conficiendæ aut ministrandæ inserviebant, sed, ut observat S. Epiphan. Hæresi 79, institutæ sunt in Ecclesiâ, ut muliebris sexûs honestati consulatur. Vide etiam Constitutiones apostolicas, lib. 8, cap. 28. Deindè ritus quo Diaconissæ constituebantur, à multis seculis abrogatus est in universâ Ecclesiâ. Undè facilè colligitur illum non fuisse Ordinem propriè dictum.

Quæres quænam requirantur qualitates ad licitam Ordinationem.

Resp. Requiritur 1.° ut ordinandus ex legitimo matrimonio sit procreatus; 2.° ætas legitima, scilicet annus 22 pro Subdiaconatu, 23 pro Diaconatu, et 25 pro Presbyteratu, ut patet ex multis canonibus : vide Conc. Trid. Sess. 23, cap. 12 de Reformatione, quod de anno saltem inchoato intelligendum est; 3.° Confirmationis susceptio, etiam ante Tonsuram, ut constat ex Trid. ibidem; 4.° immunitas à censurâ, et omni impedimento canonico; 5.° vitæ probitas, et de eâ testimonium, ibid. cap. 5 ; 6.° scientia cuique Ordini proportionata ; 7.° titulus vel beneficialis, vel patrimonialis, pro sacris Ordinibus, ut constat ex Trid. Sess. 21, cap. 2 de Reformatione.

Prætereà, aliæ sunt propinquæ præparantes ad Ordinem recipiendum, de quibus passìm in mysticis libris.

CAPUT VI.

De Ordinationis Cæremoniis, Obligationibus et Circumstantiis.

Cæremoniæ Ordinationum servandæ facilè disci possunt ex Pontificali : mysticæ earum significationes ex auctoribus asceticis.

Obligationes pro sacris Ordinibus tres sunt præcipuæ. 1.ª Castitas perpetua, ut patet ex Conc. Nicæno I, can. 3; Ancyrano, can. 10; Eliberitano, can. 23; Aurelian. cap. 2; ac demùm ex Concilio Tridentino, Sess. 24, can. 9. 2.ª Est divini Officii recitandi obligatio, ut constat saltem ex consuetudine, quæ vim legis obtinuit. 3.ª Est obligatio deferendi clericalem habitum, ut constat ex innumeris Conc. ac præsertìm Trid. Sess. 14, cap. 6 de Reform. De habitu clericali loquuntur quatuor Synodi Lugdunenses, quarum prima, quæ celebrata est anno 1566, sic habet : *Viris Ecclesiasticis vestes sint talares... Tonsuram habeant congruentem, comam non nimis ornatam et compositam habeant, sed brevem, tenùs aures rotundam quam non nutriant... Quòd si ea relaxaverint, anathema sint.* Idem confirmatum est annis 1577, 1614, et 1626.

Quantùm ad Ordinis circumstantias, duæ præsertìm notandæ sunt regulæ circa tempus Ordinationis ab Ecclesiâ præscriptæ.

1.ª Ut Ordines nonnisi certis quibusdam diebus conferantur : docet Pont. Romanum, quòd prima Tonsura quâcunque die, horâ et loco con-

ferri potest; Minores verò Ordines diebus dominicis et festivis duplicibus dari possunt; at verò sacros Ordines, Diaconatum, Subdiaconatum et Presbyteratum, conferre non licet, absque speciali Summ. Pont. privilegio, nisi in Sabbatis quatuor Temporum, Sabbato ante Dominicam Passionis, et Sabbato sancto. Episcoporum consecratio non fiebat olìm nisi die dominicâ, posteà addita sunt Apostolorum natalitia : nunc autem indulgere solent Summ. Pont. ut quâvis festivâ die celebrari possit.

2.ª Ut interstitia ab Ecclesiâ præscripta religiosè serventur, nisi propter Ecclesiæ necessitatem vel utilitatem ab eis dispensent Episcopi. *Prob.* Quia servanda sunt Ecclesiæ præcepta, ac præsertìm quæ frequentiùs ac sollicitiùs à Concil. et Summ. Pont. commendantur : atqui talia sunt interstitia, ut videri potest apud Siricium, Innoc. I, Greg. Magnum; ex Conc. antiquis patet, ac præsertìm ex Trid. Sess. 23, cap. 11 de Reformatione.

Quæres quanta servanda sint interstitia.

Resp. varia olìm diuturna fuisse, nunc autem statuit Conc. Trid., Sess. 23, cap. 11, ut nullus ad sacros Ordines promoveatur, nisi post annum à susceptione postremi gradûs Minorum Ordinum. Cap. 13, decernit ut Subdiaconi, si per annum saltem in suo Ordine versati non sint, ad altiorem ascendere non permittantur. Cap. 14, concedit ut ad Presbyteratum assumantur qui in Diaconatu ad minùs integrum annum, nisi, ob Ecclesiæ necessitatem ac utilitatem, aliud Episcopo videretur, ministraverint.

DISSERTATIO SECUNDA.

DE TONSURA ET SINGULIS ORDINIBUS.

Capitibus sex dissertationem hanc absolvemus. 1.um Erit de Tonsurâ clericali, 2.um de quatuor Minoribus, 3.um de Subdiaconatu, 4.um de Diaconatu, 5.um de Presbyteratu, 6.um deniquè de Episcopatu. De Sum. Pontificatu, Cardinalatu, Patriarchatu hìc non agemus, cùm hæc nec Ordines sint, nec sacramenta, sed duntaxat dignitates, quibus est annexa major jurisdictio.

CAPUT PRIMUM.

De Tonsurâ Clericali.

Tonsura clericalis est ecclesiastica cæremonia per quam Christianus speciali modo Deo consecratur, et in Clero constituitur, ut se ad Ordines præparet.

Tonsura non est Ordo propriè dictus. Nam 1.° Conc. Trid. Sess. 23, cap. 2, indicat Tonsuram esse duntaxat viam et dispositionem ad Ordines suscipiendos; deindè Catechism. Conc. idem expressè docet, hìc, num. 27. Deindè Tonsura nullam habet functionem in ordine ad Eucharistiam, quod tamen requiritur ad Ordinem propriè dictum.

Nota quòd, quamvis Tonsura non sit Ordo propriè dictus, antiquissima tamen est cæremonia, et ex apostolicâ traditione accepta, ut post multos Patres docet Catechism. Conc. Trid. num. 30.

Circa dispositiones ad Tonsuram requisitas, sic statuit Conc. Trid. Sess. 23, cap. 4 de Reform. : *Primâ Tonsurâ non initientur, qui sacramentum Confirmationis non susceperint, et fidei rudimenta edocti non fuerint ; quique legere et scribere nesciant ; et de quibus probabilis conjectura non sit, eos non secularis judicii fugiendi fraude, sed ut Deo fidelem cultum præstent, hoc vitæ genus elegisse.*

CAPUT II.

De Quatuor Minoribus Ordinibus.

Trademus 1.° eorum definitionem, 2.° eorum materiam et formam, 3.° Deniquè functiones.

1.° Igitur Ostiariatus est Ordo dans potestatem aperiendi et claudendi Ecclesiæ januas, ac admittendi eos qui mysteriis interesse debent, et repellendi indignos.

Lectoratus est Ordo dans potestatem legendi ex pulpito in Ecclesiâ, quæ magis expediunt ad utilem populi instructionem.

Exorcistatus est Ordo dans potestatem imponendi manus super energumenos; ad diabolum ab ipsis expellendum.

Acolythatus est Ordo dans potestatem accendendi, ex officio, Ecclesiæ luminaria, et urceolos cum vino et aquâ porrigendi in Missâ.

2.° Ostiariatûs materia est traditio clavium; forma verò hæc verba : *Sic agite quasi reddituri rationem pro his rebus, quæ his clavibus recluduntur.*

Materia Lectoratûs est traditio libri de quo

lecturi sunt Lectores; forma verò : *Accipite, et estote verbi Dei relatores, habituri, si fideliter et utiliter impleveritis officium vestrum, partem cum iis qui verbum Dei benè administraverunt ab initio.*

Exorcistatùs materia est traditio libri exorcismorum, vel Pontificalis, vel Missalis; forma verò: *Accipite, et commendate memoriæ, et habete potestatem imponendi manus super energumenos, sive baptizatos, sive catechumenos.*

Duplex est Acolythatùs materia et forma partialis : 1.[a] est traditio candelabri cum candelâ exstinctâ; forma verò huic correspondens : *Accipite ceroferarium cum cereo, et sciatis vos ad accendenda Ecclesiæ luminaria mancipari in nomine Domini.* ℟. *Amen* 2.[a] Materia est traditio urceoli vacui; forma verò : *Accipite urceolum ad suggerendum vinum et aquam in Eucharistiam sanguinis Christi in nomine Domini.* ℟. *Amen.*

3.° Ostiarii functiones sunt aperire fidelibus Ecclesiæ januas, et eas semper infidelibus claudere, percutere cymbalum et campanam, et providere ne rerum, quæ in Ecclesiâ sunt, aliquid depereat; procurare munditiem et ornatum Ecclesiæ. Vide S. Hier. in Epist. ad Heliod. ubi loquitur de Nepotiano.

Duæ sunt Lectoris functiones, scilicet, in Ecclesiâ legere quæ ad magìs utilem populi instructionem inserviunt, et parvulos ac rudes fidei principia edocere, ut tradit S. Thomas.

Exorcistæ officia sunt manus imponere super energumenos, ad fugandos dæmones à corporibus. Undè debent etiam suis vitiis imperare.

Acolythi functiones sunt urceolos cum vino et aquâ Subdiacono porrigere, præparare luminaria

ad sacrificium, cereum accensum ad Altare transferre, et per virtutum exempla in Ecclesiâ lucere.

CAPUT III.

De Subdiaconatu.

Subdiaconatus definiri potest Ordo sacer potestatem dans inserviendi ad altare, et porrigendi Diacono calicem cum vino, et patenam cum hostiâ dùm celebratur; atque etiam legendi Epistolam, tam pro vivis quàm pro defunctis.

Duplex est Subdiaconatûs materia et forma partialis: 1.[a] est traditio calicis vacui cum patenâ vacuâ; forma verò: *Videte cujus ministerium vobis traditur; ideò vos admoneo, ut ita vos exhibeatis, ut Deo placere possitis.* 2.[a] Est traditio libri Epistolarum sub hâc verborum formâ: *Accipite librum Epistolarum, et habete potestatem legendi eas in Ecclesiâ Dei, tam pro vivis quàm pro defunctis, in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs Sancti.* ℟. *Amen.*

Tres præcipuè contrahit obligationes Subdiaconus: 1.[a] est perpetuam servandi castitatem, 2.[a] recitandi Officium divinum, 3.[a] semper gerendi clericalem habitum.

Subdiaconi functiones sunt assistere Diacono, ipsique ministrare in Missæ sacrificio, calicem et patenam ad altare deferre, calici aquam infundere, et Epistolam solemniter legere dùm Missa celebratur.

CAPUT IV.

De Diaconatu.

Diaconatus definitur Ordo sacer potestatem dans inserviendi proximè Sacerdoti celebranti, et legendi Evangelium in Missâ. Juxta communem sententiam in praxi sequendam, Diaconatus, prout in Ecclesiâ Latinâ confertur, duplicem habet materiam et formam partialem : 1.ª est impositio manûs dextræ solius Episcopi super ordinandi caput; forma verò : *Accipe Spiritum Sanctum ad robur, ad resistendum diabolo et tentationibus ejus, in nomine Domini.* ℟. *Amen.* 2.ª Est traditio libri Evangeliorum; forma verò : *Accipe potestatem legendi Evangelium in Ecclesiâ Dei, tam pro vivis quàm pro defunctis, in nomine Domini.* ℟. *Amen.*

Diaconi functiones sunt publicè in Missâ Evangelium legere, assistere et ministrare in sacrificio Missæ; concionemque, permittente Episcopo, ad populum habere.

CAPUT V.

De Presbyteratu.

Presbyteratus est Ordo sacer potestatem conferens conficiendi corpus et sanguinem Christi, atque etiam peccata remittendi et retinendi.

De Presbyteratûs materiâ et formâ diversæ sunt Theologorum sententiæ; cùm enim multiplex nunc fiat in Ordinatione Presbyterorum manuum

impositio, non convenit inter Doctores an omnes ad essentiam pertineant, vel, posito quòd non omnes, quænam ex illis sit essentialis.

Theologi nonnulli rem totam sic probabilissimè explicant. In Sacerdotio duplex confertur potestas, nimirùm offerendi Sacrificium, et peccata remittendi : offerendi potestas confertur tum per primam manuum impositionem et orationem ipsi correspondentem, tum per calicis cum vino et aquâ, et patenæ cum pane porrectionem, atque etiam per verba correspondentia; potestas verò remittendi peccata confertur per ultimam manuum impositionem, quæ fit in fine Missæ, cum verbis istis : *Accipe Spiritum Sanctum*, etc.

Constat ex Pontificali, quòd initio sacerdotalis Ordinationis, Episcopus utramque manum imponit simul super caput cujuslibet ordinandi nihil dicens, quod et faciunt omnes adstantes Presbyteri; et statìm posteà, tum Pontifex, tum Presbyteri, dextras super ordinandos extensas tenent, quæ manuum extensio est moralis continuatio præcedentis manuum impositionis, cui correspondet oratio quam Pontifex profert, dùm ipsi adstantes Sacerdotes dextras super ordinandos extensas tenent.

Jam verò hanc manuum impositionem essentialem esse *probant*, 1.° ex Script. I Tim. c. 4, ℣. 14 : *Noli negligere gratiam, quæ est in te, quæ data est tibi per Prophetiam, cum impositione manuum Presbyterii* : ex quibus Apostoli verbis Trid. Syn. Sess. 14, cap. 3. Extr. Unct. declarat illos veros esse Sacerdotes, qui ritè ordinati sunt per impositionem manuum Presbyterii : vox autem Presbyterii significat Presbyterorum congregationem, in quâ unus, scilicet

Episcopus, aliis præest, et cum illis manus imponit : atqui sola prima manuum impositio fit ab Episcopo simul et adstantibus Presbyteris, altera verò à solo Episcopo peragitur; ergo prima illa manuum impositio est essentialis.

Prob. 2.° Quia sola hæc prima manuum impositio habetur in Conc. Carthag. IV, et in antiquis Pontificalibus, imò per illam sacerdotalis Ordinatio distinguitur à Diaconali, ut videre est in eodem Conc. Carthag. can. 4, in Rubricâ Pont. de Ordinatione Diaconi, et in Sacramentario S. Gregorii.

Prob. 3.° Quia omnia Scripturæ et Traditionis testimonia quæ probant manuum impositionem esse Ordinationi essentialem, directè spectant sacrificandi potestatem, quæ est perpetua Sacerdotum potestas : sed ejusmodi potestas non datur per aliam quàm per primam manuum impositionem; nam novi Sacerdotes creduntur habere sacrificandi potestatem, quandò consecrationis verba simul cum Episcopo proferunt; sed eam non possunt habere per secundam manuum impositionem, quæ non fit nisi post communionem; ergo eam habent per primam manuum impositionem, ac proindè illa prima impositio est essentialis.

Nota tamen quòd hæc manuum impositio, quæ ex Ecclesiæ consuetudine fit ab Episcopo simul et adstantibus Presbyteris, essentialis esse dicitur, non quatenùs à Presbyteris, sed quatenùs ab Episcopo fit; sic quamvis episcopalis Ordinatio ab uno solo Episcopo fieri possit, nihilominùs tamen Ordinis Episcopalis materia dicitur esse manûs impositio, quæ ex Ecclesiæ consuetudine à tribus simul Episcopis peragitur.

1.° Quòd oratio huic manuum impositioni correspondens sit essentialis, *probant* tum quia Carthag. Conc. vocat eam simpliciter benedictionem et orationem ad ordinandos Presbyteros; tum quia forma, quæ materiæ essentiali correspondet, est etiam essentialis : sed talis est ejusmodi oratio, quia nimirùm antiqua Pontificalia nihil aliud habent quod formæ locum tenere videatur, præter illam orationem, quæ in Latinis omnium seculorum Pontificalibus reperitur.

2.° Porrectionem instrumentorum, et verba illi correspondentia esse materiam et formam partialem, per quam sacrificandi potestas confertur, *probant* ex Conc. Florent. et iis quæ suprà retulimus.

3.° Potestatem remittendi peccata conferri per ultimam manuum impositionem, quæ fit in fine Missæ cum his verbis correspondentibus : *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseris peccata, remittuntur eis, et quorum retinueris, retenta sunt;* ac consequenter ultimam illam manuum impositionem essentialem esse, *probant,* tum quia Christus per distinctas et diversas actiones Discipulis suis tradidit potestatem sacrificandi, et peccata remittendi; primam enim ipsis in ultimâ Cœnâ contulit, per hæc verba Luc. c. 22, ℣. 19 : *Hoc facite in meam commemorationem,* ut tradit Conc. Trid. Sess. 22, cap. 1; alteram verò potestatem Christus illis tradidit post resurrectionem suam, quandò, ut habetur Joan. c. 20, ℣. 21 et 22, insufflavit in Discipulos, et dixit eis : *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata,* etc., ut videri potest in Conc. Trid. Sess. 14, cap. 1, cujus hæc sunt verba : *Dominus autem sacramentum Pœnitentiæ tunc*

præcipuè instituit, cùm à mortuis excitatus insufflavit in discipulos suos, dicens : Accipite Spiritum Sanctum, etc.; item, can. 3 : tum quia Trid. Synodus, Sess. 13, can. 4, definiens Episcopos non dicere frustrà, *Accipite Spiritum Sanctum*, indicare videtur verba eo instanti quo proferuntur, efficere quod significant : sed verba hæc significant dari potestatem remittendi peccata; ergo tunc datur ejusmodi potestas : ac proindè verba illa sunt forma essentialis. Cùm ergo ultima manuum impositio sit materia huic formæ correspondens, debet etiam dici essentialis; ergo, etc.

Colliges in illâ Theologorum sententiâ triplicem esse materiam, triplicemque partialem formam Presbyteratûs : 1.ª per quam datur sacrificandi potestas, est manuum impositio, quæ initio Ordinationis fit tum ab Episcopo, tum ab adstantibus Sacerdotibus; forma verò, hæc oratio : *Oremus, fratres carissimi*, etc., quæ ab Episcopo profertur, dùm ipse et adstantes Presbyteri dexteras super ordinandos extensas tenent. 2.ª Materia, per quam etiam traditur sacrificandi potestas, est traditio calicis cum vino et aquâ, et patenæ cum hostiâ superpositâ; forma verò, *Accipe potestatem offerre Sacrificium Deo, Missasque celebrare, tam pro vivis quàm pro defunctis, in nomine Domini.* 3.ª Materia, per quam sola confertur potestas peccata remittendi, est ultima manuum impositio, quæ à solo fit Episcopo in fine Missæ; forma verò his constat verbis : *Accipe Spiritum sanctum, quorum remiseris peccata, etc.*

Alii et quidem eruditi Theologi existimant solam primam manuum impositionem, et orationem ipsi correspondentem ad substantiam Ordina-

tionis Sacerdotalis pertinere; et per unicum illum ritum conferri gratiam, characterem, omnesque Sacerdotis potestates: undè, juxta illorum sententiam, alii ritus fuerunt ab Ecclesiâ superadditi, non ad aliquid novi producendum, sed ad distinctiùs et perfectiùs significandos effectus qui per primam manuum impositionem realiter collati sunt.

Ut autem formarum et verborum, quæ in Ordinationis decursu proferuntur, veritatem salvare possint, dicunt sufficere quòd omnes illæ actiones et orationes unicam moraliter constituant Ordinationem; et sic absque ullâ falsitate, quod paulò antè factum est, jam fieri dicitur, quemadmodùm in aliis Ecclesiæ orationibus frequenter contingit.

Verùm, quidquid sit de illis opinionibus speculativè sumptis, in praxi constare non potest validam esse in Ecclesiâ Latinâ Ordinationem, nisi omnes materias et formas modò recensitas adhibuerit Episcopus.

Quæres quænam sint Presbyteri functiones.

Resp. quòd Presbyteri functiones sunt conficere Eucharistiæ sacramentum et Missæ sacrificium offerre, sacramenta ministrare, prædicare, pro aliis orare, et omnium christianarum virtutum exempla præbere.

CAPUT IV.

De Episcopatu.

Tres erunt articuli: agemus in 1.° de naturâ Episcopatûs, in 2.° de ejus materiâ et formâ, in 3.° an et quomodò Episcopatus sit Presbyteratu superior.

ARTICULUS PRIMUS.

De naturâ Episcopatûs.

PROPOSITIO PRIMA.

Episcopatus seu Episcopalis Ordinatio est verum Sacramentum.

Prob. 1.° Quia præcipui Scripturæ et Traditionis textus, quibus suprà probavimus Ordinem esse verum novæ legis sacramentum, de Episcopali Ordinatione maximè debent intelligi.

Prob. 2.° Quia ex Conc. Trid. Sess. 23, can. 4, patet conferri gratiam per illam Ordinationem in quâ dicitur : *Accipe Spiritum Sanctum* : atqui in Ordinatione Episcopali consecrator et duo assistentes Episcopi, manus imponentes super caput electi, dicunt : *Accipe Spiritum Sanctum* ; ergo Episcopalis Ordinatio gratiam confert, ac proindè est verum sacramentum.

PROPOSITIO II.

Episcopatus est verus Ordo.

Prob. Quia gradus ecclesiasticus ad hierarchiam præcipuè pertinens, est verus Ordo : atqui talis est Episcopatus, ut clarum est ex Trid., hic, cap. 4, can. 6. Deindè ritus quo consecrantur Episcopi, vocatur Ordinatio, eodem cap. 4; ergo, etc.

PROPOSITIO III.

Episcopatus est Ordo distinctus à simplici Presbyteratu.

Prob. 1.° ex iis quibus superiorem propositionem probavimus, ubi Episcopatus non solùm

Ordo dicitur, sed etiam à reliquis Ordinibus et Presbyteratu distinguitur.

Prob. 2.° Quia Ordinum distinctio petitur ex diversâ potestate et functione circa consecrationem et administrationem Eucharistiæ : sed Episcopatus includit potestatem quamdam circa Eucharistiæ sacramentum, quam non includit simplex Presbyteratus; nam Episcopatus, præter Eucharistiæ potestatem, quam cum simplici Presbytero communem habet, prætereà includit auctoritatem ordinandi Presbyteros, ipsisque communicandi potestatem Eucharistiæ conficiendæ; ergo, etc.

Igitur Episcopatus et Presbyteratus duo sunt Ordines distincti, sed qui in Sacerdotio totaliter et genericè sumpto continentur.

ARTICULUS II.

De Episcopatûs Materiâ et Formâ.

Multiplex in Episcopi consecratione ritus adhiberi solet : 1.° liber Evangeliorum apertus à consecratore et Episcopis assistentibus ponitur supra cervicem et scapulas electi, et mox iidem caput electi tangunt ambabus manibus, simulque ista verba proferunt : *Accipe Spiritum Sanctum.* 2.° Consecrator pollice dextero inungit Chrismate caput electi, formans crucem, et statim totum liniens intra coronam, cum hâc verborum formâ : *Ungatur et consecretur caput tuum cœlesti benedictione in Ordine Pontificali, in nomine Patris,* etc. Deindè manus junctas Chrismate pariter inungens, hæc verba profert : *Ungantur manus istæ de oleo sanctificato et de chrismate sanctificationis ;* etc. 3.° Consecrator pastoralem baculum

baculum consecrato tradit cum his verbis : *Accipe Baculum pastoralis Officii, ut sis in corrigendis vitiis piè sæviens*, etc. Tùm annulum ejus dexteræ immittit sub hâc formâ : *Accipe annulum, fidei scilicet signaculum; quatenùs sponsam Dei, sanctam videlicet Ecclesiam, intemeratam fide ornatus illibatè custodias.* Posteà librum Evangeliorum, opitulantibus Episcopis assistentibus, tradit consecrato tangendum, dicens : *Accipe Evangelium, et vade, prædica populo tibi commisso*, etc.

Quæritur an sola manuum impositio cum formâ sibi correspondente; an verò omnes illi ritus sint essentiales.

Resp. quidquid sit speculativè loquendo, omnes illos ritus esse in praxi adhibendos, quia scilicet, quamvis certum non sit, tamen probabile est ritus assignatos ad materiam Episcopatûs pertinere.

ARTICULUS III.

An et quomodò Episcopatus sit Presbyteratu superior.

Duplex distingui solet potestas, Ordinis scilicet et jurisdictionis : potestas Ordinis est potestas conficiendi sacramenta, v. g., Eucharistiam, Ordinem; potestas jurisdictionis est potestas publica jus dicendi, seu causas cognoscendi et dijudicandi. Episcopatus hìc non sumitur inadæquatè, prout à Presbyteratu distinguitur et dicit tantùm ordinandi et confirmandi potestatem, et aliquam jurisdictionem quam Presbyteratui superaddit; sed adæquatè sumitur et in sensu composito, quatenùs etiam Presbyteratum includit.

PROPOSITIO PRIMA.

Episcopi, jure divino, superiores sunt simplicibus Presbyteris, non Ordine solùm, sed etiam jurisdictione.

Prob. 1.° *ex Conc. Trid.* Sess. 23, can 7, ubi expressè definit Episcopos esse Presbyteris superiores : quòd autem velit eos superiores esse ex divinâ institutione, patet ex can. 6, ubi definit hierarchiam divinâ ordinatione institutam constare ex Episcopis, Presbyteris et Ministris. Idem habet cap. 4, ubi declarat Episcopos, qui in Apostolorum locum successerunt, ad hierarchicum Ordinem præcipuè pertinere : sed Apostoli erant, tum gradu, tum jurisdictione, superiores aliis Discipulis, ut indè constat quòd non sine solemni cæremoniâ S. Matthias è numero Discipulorum fuerit ad Apostolatum assumptus; cùm ergo, ut constanter docent SS. PP., simplices Sacerdotes Discipulis succedant, jure divino sunt inferiores Episcopis, qui in Apostolorum locum succedunt, ut iidem SS. PP. constanter docent.

Prob. 2.° Quia ex totâ antiquitate constat, etiam in primis Ecclesiæ seculis, Episcopos præfuisse Presbyteris, ipsisque majores et superiores habitos fuisse. Testes sunt S. Ignatius, S. Clemens, S. Dionysius, S. Irenæus, et alii plures. Undè Aerius inter hæreticos fuit annumeratus, ut refert S. Epiph. Hæres. 75, eo quòd Presbyteros Episcopis pares esse contenderet.

Ad solvendas objectiones, *observandum* est 1.° quòd, licèt secundùm rem et potestatem Episcopatus et Presbyteratus distincti semper fuerint, initio tamen Ecclesiæ secundùm nomen distincti non fuerunt; nam Episcopi nomen, non Episco-

pis solùm, sed etiam Presbyteris; sicut et Presbyteri nomen aliquandò Episcopis tribuebatur, quemadmodùm colligitur tum ex Script. I ad Timoth. c. 4, ubi Presbyteri nomine etiam Episcopi designantur; et ad Philipp. ubi Episcoporum nomine Sacerdotes etiam comprehendit Apostolus, cùm eos ibi non nominet, quos tamen non omitteret; et aliundè non videatur plures fuisse Philippis Episcopos; tum ex S. Chrys. et Theod. qui in eumdem locum asserunt, *commune fuisse Presbyteri et Episcopi nomen, non verò potestatem.*

Observandum 2.° quòd, licèt Episcoporum jurisdictio in actu primo spectata, etiam initio Ecclesiæ, superior fuerit jurisdictioni Presbyterorum, nihilominùs tamen quoad actum secundum, seu quoad exercitium, aliquandò vix distincta fuit; cùm enim tunc Episcopi simul cum Presbyteris habitarent, unanimes, sine ambitione, sine æmulatione, et omnia communi potiùs consensu quàm hierarchico ordine et imperio gererent, ideò Presbyteri cum Episcopis Ecclesias regere videbantur; eo ferè modo quo Generalis Episcopi Vicarius, ex ejusdem consensu et concessione, videtur, quoad actum secundum et exercitum, idem posse quod Episcopus.

Obj. S. Hieron. in cap. 1. Epist. ad Titum, sic habet: *Idem est Presbyter et Episcopus; et antequàm diaboli instinctu studia in Religione fierent..., communi Presbyterorum consilio, Ecclesiæ gubernabantur.* Eadem fermè habet Epist. 88 ad Oceanum; ergo Episcopus jure divino non est superior Presbyteris.

Resp. Dist. ant. Idem Episcopus et Presbyter secundùm nomen, *conc.;* secundùm potestatem,

subdist. Secundùm potestatem jurisdictionis in actu secundo, id est, secundùm aliquod ejus exercitium, *conc.;* secundùm potestatem Ordinis aut jurisdictionis in actu primo, *nego.* Solutio patet ex dictis.

Inst. Ibidem S. Hieron. dicit Episcopos majores esse Presbyteris, potiùs Ecclesiæ institutione et consuetudine, quàm divinâ institutione; ergo, etc.

Resp. Dist. ant. Ecclesiæ auctoritate et consuetudine Episcopi facti sunt Presbyteris majores, quoad aliquod jurisdictionis exercitium, *conc.;* quoad potestatem Ordinis, aut jurisdictionis, *nego.* Cùm enim Episcopi, initio Ecclesiæ, jurisdictiotionis suæ exercitium Presbyteris commisissent, ac postmodùm quidam Presbyteri cœpissent intumescere, Ecclesiæ auctoritate statutum est, ut jurisdictionis exercitium, quod ad Episcopos jure divino pertinebat, et ex Episcoporum concessione ad Sacerdotes derivaverat, Presbyteris ampliùs non permitteretur; sicque jure ecclesiastico, divinam tamen institutionem supponente, potiùs quàm divino jure, Episcopi, quoad suæ jurisdictionis usum, facti sunt Presbyteris majores et superiores, non solùm Ordine, ut constat ex his ejus verbis Epist. 85 ad Evag., *Quid facit Episcopus, exceptâ Ordinatione, quod Presbyter non faciat?* verùm etiam jurisdictione: colligitur ex ejus Epist. ad Heliod., ubi Episcopos comparat Apostolis, qui procul dubio Presbyteris erant jurisdictione majores. Et ex ejusdem Commentario in cap. 1 Epist. ad Titum, ubi Episcopos Moysi comparat, Presbyteros verò 70 Judicibus quos elegit Moyses: ipse autem illis fuit jurisdictione superior.

PROPOSITIO II.

Licèt omnes Episcopi charactere et Ordine sint æquales, parem tamen non habent omnes inter se jurisdictionem.

Prob. Tum quia jure divino Sum. Pont. S. Petri successor cæteris præest Episcopis, et primatum, quem ab ipso Christo S. Petrus acceperat, in Romanos Pontifices legitimos suî successores transmisit; tum quia ex Ecclesiæ instituto varii distincti sunt Episcoporum gradus, alii aliis superiores; nam Patriarchæ superiores sunt Primatibus, Primates Archiepiscopis seu Metropolitanis, Archiepiscopi Episcopis.

Quæres quænam sint Episcopi functiones.

Resp. præcipuas Episcopi functiones esse Ecclesiæ Ministros ordinare, Confirmationis sacramentum administrare, altaria, calices, templa virginesque consecrare, atque ut uno verbo dicam, totam Diœcesim regere.

TRACTATUS

DE

CENSURIS

ET IRREGULARITATIBUS.

TRACTATUM hunc Pastoribus non solùm et Confessariis, sed et omnibus Sacerdotibus pernecessarium, bipartitum faciemus. 1.ª Pars erit de Censuris; 2.ª Pars de Irregularitatibus.

PARS PRIMA.

DE CENSURIS.

DUOBUS capitibus absolvemus quidquid de censuris disserendum occurrit : in 1.° agemus de censuris in genere; in 2.° de censuris in particulari.

CAPUT PRIMUM.

De Censuris in genere.

QUATUOR potissimùm hìc examinanda sunt : 1.° quid et quotuplex sit censura, 2.° quænam sint causæ censurarum, 3.° quænam sint causæ excusantes à censuris, 4.° utrùm per solam absolutionem possint tolli censuræ, à quo, et quomodò.

SECTIO PRIMA.

Quid et quotuplex sit Censura.

In primo hujus sectionis articulo explicabimus definitionem censuræ, in secundo ejus divisionem.

ARTICULUS PRIMUS.

Quid sit Censura.

Censuræ nomine Romani significabant sententiam Censoris mores corrigentis, aut pœnas decernentis : hinc censuræ vox à Scriptoribus ecclesiasticis translata est ad pœnam illam spiritualem designandam, quam Ecclesiæ Prælati fidelibus contumacibus infligunt.

Censura autem, qualem intelligimus, rectè definitur, *Pœna ecclesiastica et medicinalis, per quam homo baptizatus, delinquens et contumax, privatur usu quorumdam bonorum spiritualium.*

Dicitur 1.°, *pœna*, id est, punitio et vindicta criminis, et per hanc vocem censura convenit cum aliis pœnis ecclesiasticis, v. g., depositione, degradatione, etc. Differt verò à cessatione à divinis, quæ non est propriè pœna, sed signum luctûs et tristitiæ; item differt ab irregularitate ex defectu, quæ sinæ culpâ contrahitur; imò et ab irregularitate quæ ex delicto oritur, quia illa non tam est pœna, quàm inhabilitas quædam ad sacrum altaris ministerium.

Dicitur 2.°, *pœna ecclesiastica*, id est, quam soli Ecclesiæ Prælati possunt infligere; solius enim est potestatis ecclesiasticæ privare subditos bonis spiritualibus.

Dicitur 3.°, *medicinalis*, id est, inflicta ut

reus emendetur et resipiscat; Ecclesia enim primariò et principaliter intendit peccatoris contumacis resipiscentiam per censuræ castigationem, ut patet ex cap. *Cùm contingat*, de Officio Delegati; cap. *Ex litteris*, de Constitutionibus; cap. *Cùm medicinalis*, de Sententiâ excommunicationis, in Sexto: et satis innuit S. Paulus, I Cor. c. 5, ℣. 3 et 5, ubi de incestuoso à se excommunicato loquens, ait: *Judicavi... tradere hujusmodi Satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit.* Hinc de ratione censuræ est, ut sit vinculum dissolubile, et per absolutionem solvendum, statim atque peccator emendatus fuerit: per hanc autem vocem, *medicinalis*, censura differt à meris pœnis, quæ infliguntur ad punitionem delinquentis, v. g., à depositione et degradatione; quia ab illis ordinariè non absolvuntur peccatores, etiam post emendationem.

Dicitur 4.°, *per quam homo baptizatus, delinquens et contumax*, ut exprimantur conditiones in illo requisitæ in quem ferri possunt censuræ. 1. Enim, cùm censura sit actus jurisdictionis ecclesiasticæ, ut aliquis sit ei obnoxius, debet esse Baptismo initiatus, ratione cujus subditus fit Ecclesiæ. 2. Cùm sit pœna, supponit delictum. 3. Deniquè fertur in contumaces, id est, Ecclesiæ non obedientes; censura enim tantùm ab iis incurritur, qui monitiones Ecclesiæ spernunt, ut ex Jure Canonico probabitur infrà.

Dicitur 5.°, *privatur usu quorumdam bonorum spiritualium*, scilicet, sacrificii, sacramentorum, suffragiorum Ecclesiæ, jurisdictionis spiritualis, Beneficiorum, aliorumque hujusmodi bonorum communium, quorum dispensatio Ecclesiæ est commissa.

Dixi 1, privatur *usu* quorumdam bonorum; quia censura non tollit ipsam facultatem et potestatem, v. g., titulum Beneficii, ut faciunt depositio et degradatio; sed censura tollit tantùm exercitium et usum potestatis.

Dixi 2, *quorumdam* bonorum spiritualium; quia omnis censura non privat omnibus bonis spiritualibus, etiam communibus; imò non datur aliqua censura quæ possit privare hominem bonis spiritualibus privatis, v. g., charactere, aut bonis spiritualibus gratiæ et virtutum, fidei, spei et charitatis, vel merito bonorum operum.

Dixi 3, *bonorum spiritualium;* quia censura non privat bonis temporalibus, nisi secundariò, et quatenùs ad spiritualia referuntur : ut est, v. g., convictus fidelium, quo privantur excommunicati, item ingressus Ecclesiæ, sepultura ecclesiastica, fructus Beneficii.

ARTICULUS II.

Quotuplex sit Censura.

Omissis divisionibus quæ ex Tractatûs decursu facilè colligi poterunt, v. g., quòd censura alia sit gravis, alia levis; alia reservata, alia non reservata : his, inquam, omissis, quatuor præ cæteris exponendæ sunt divisiones censurarum.

I. DIVISIO.

Dividitur censura in suas *species*. Tres sunt autem species censuræ : scilicet, excommunicatio, suspensio et interdictum. Ita communiter Doctores, contra recentiores quosdam qui addunt cessationem à divinis, et irregularitatem ex delicto.

Prob. 1.° ista divisio ex pluribus locis Juris Canonici, præsertìm verò ex cap. *Quærenti*, de Verborum Significatione, in quo Innoc. III ait censuræ nomine intelligi excommunicationem, suspensionem et interdictum : quæ Pontificis responsio manca esset, ac errori causam daret, si essent aliæ species censuræ.

Prob. 2.° ex praxi et stylo communi Rom. Curiæ. De tribus illis censuris agemus cap. sequenti.

II. DIVISIO.

Censura dividitur ratione *modi* quo ferri solet, in censuram *à Jure*, et in censuram *ab homine*.

Censura *à Jure* dicitur illa quæ per legem seu statutum perpetuum fertur generaliter in omnes subditos qui legem illam fuerint transgressi.

Censura autem *ab homine* dicitur ea, quæ per sententiam Judicis ecclesiastici, vel per mandatum, seu præceptum temporale ac transitorium Prælati, fertur extraordinariè, ex causâ et facto particulari, vel in personas determinatas : hæc divisio colligitur ex cap. *Nuper*, de Sententiâ excommunicationis, et ex cap. *Eos qui*, eodem titulo, in Sexto.

Undè multiplex colligitur discrimen inter censuram à Jure et censuram ab homine; 1.° enim censura à Jure semper generalis est, et omnes subditos capaces afficit : at verò censura ab homine est particularis, et fertur, saltem ordinariè, in personas determinatas, vel ex causâ particulari determinatâ, v. g., *Petrus excommunicationi subjaceat, nisi intra annum restituat;* vel, *Qui nuper orto incendio quippiam abripuit, excommunicatus sit, nisi triduum restituat;* vel, *Qui talem incendiarium non indicaverit, sit excommunicatus.*

2.° Censura à Jure est perpetua, et durat quandiù lex illam imponens non est abrogata: at verò censura ab homine cessat per mortem Superioris, vel per ejus amotionem, si eveniat antequàm contrahatur; sed jam contracta manet etiam post ejus mortem, donec tollatur per absolutionem.

III. DIVISIO.

Dividitur etiam censura ratione *modi*, in censuram *latæ sententiæ*, et in censuram *sententiæ ferendæ*.

Censura *latæ sententiæ* ea est quam Superior per legem actu infligit, seu quæ secum exsecutionem trahit, et incurritur statim ipso facto, seu crimine admisso, et absque ullâ Judicis sententiâ (1).

Signa autem censuræ latæ sunt 1.° istæ vel similes voces, *Ipso facto, ipso jure, eo ipso*, etc. 2.° Verbum præsentis, vel præteriti temporis, v. g., *Sit excommunicatus*, *Excommunicatur*, Excommunicationis sententiâ *duximus* innodandum, Noverit se *excommunicatum*, etc.

Censura *ferendæ sententiæ*, quæ dicitur etiam comminatoria, est ea quam Superior jubet infligi, vel minatur se inflicturum, seu quam reus non

---

(1) Propositio Synodi Pistoiensis, n. 47, « quæ tradit, » necessarium esse juxta leges naturales et divinas, ut » sive ad excommunicationem, sive ad suspensionem » præcedere debeat examen personale, atque adeò sen- » tentias dictas *ipso facto*, non aliam vim habere, nisi » seriæ comminationis sine ullo actuali effectu, » hæc, inquam, propositio damnata est à Pio VI, Constit. *Auctorem fidei*, tanquam « falsa, temeraria, perniciosa, » Ecclesiæ potestati injuriosa, erronea. »

incurrit ipso facto et eo ipso quòd crimen admisit, sed per Judicis sententiam infligi debet. Signa autem censuræ ferendæ sententiæ sunt 1.° verba comminatoria, v. g., Præcipimus *sub pœnâ* excommunicationis, *sub interminatione* anathematis. 2.° Verbum futuri temporis, v. g., Qui hoc fecerit, *excommunicabitur*, vel, *Statìm erit excommunicandus*. 3.° Verba quæ Judicis actionem exigunt, ut, *Excommunicetur, Suspendatur*, etc.

Quandò autem verba sunt ambigua, et dubitatur utrùm censura sit latæ sententiæ, an ferendæ; tùm, secundùm sententiam communem, existimanda est censura sententiæ ferendæ, donec aliter à Superiore præscriptum sit, juxta hanc regulam 49 Juris in Sexto, *In dubiis, benignior est interpretatio facienda.*

IV. DIVISIO.

Censura ab homine dividitur in *justam* et *injustam; validam*, et *invalidam*, seu nullam. *Justa* censura dicitur, quæ ex omni parte legitimè lata est, adeò ut ferenti censuram nihil exprobrari possit. Talis est censura lata 1.° ab habente potestatem; 2.° in hominem subditum; 3.° ex causâ sufficienter probatâ; 4.° servato Juris ordine substantiali et accidentali. Hujusmodi censura semper est valida in foro exteriori, sed aliquandò potest esse nulla coram Deo, ut si feratur adversùs eum qui juridicè convictus fuit de crimine quod reipsâ non admisit.

Censura *injusta* ea est cui deest aliqua ex enumeratis conditionibus.

Injusta censura potest esse *valida* aut *invalida*. *Valida* est, cùm adsunt omnia ad essentiam censuræ requisita, deestque tantùm aliquid acciden-

tale, putà si feratur ex perverso motivo, si omittatur trina monitio, si paulò gravior imponatur pœna, etc. Censura *injusta* est simul et *nulla*, quandò ipsi deest aliquid substantiale, sive ex parte Judicis, qui jurisdictione caret; sive ex parte subjecti, cujus culpa vel evidenter nulla est, vel non sufficienter probata; sive ex parte Juris, cujus ordo substantialis omissus est.

SECTIO II.

De Causis Censurarum.

Quatuor hìc quærimus, 1.° quis possit ferre censuras, 2.° in quos ferri possint, 3.° quam ob causam, 4.° quænam conditiones seu formalitates servandæ sint in ferendis censuris.

ARTICULUS PRIMUS.

Quis possit ferre Censuras.

PROPOSITIO PRIMA.

Est in Ecclesiâ potestas ferendi Censuras.

Propositio fide constat, adversùs Wiclefum, Joan. Hus, et Lutherum, cujus hæc propositionum 23 damnata est à Leone X, anno 1520: *Excommunicationes sunt tantùm externæ pœnæ, nec privant hominem communibus spiritualibus Ecclesiæ orationibus.*

Prob. 1.° *ex verbis Christi*, Matth. c. 18, ℣. 18: *Quæcunque alligaveritis super terram, erunt ligata et in Cœlo*: quod autem hoc in loco sermo sit de potestate ferendi censuras, declarant hæc verba antecedentia: *Si ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus et Publicanus*, id

est, separetur, ut indignus ecclesiasticâ communione et ejus fructu; item ex Apostolo, II Cor. c. 10, ℣. 6 : *Et in promptu habentes*, inquit, *ulcisci omnem inobedientiam.*

Prob. 2.° *ex praxi Ecclesiæ,* quæ, vel ab ipsis Apostolorum temporibus, hàc potestate usa est, ut satis innuit S. Paulus, I Cor. c. 5, ℣. 3, 4, 5 : *ego quidem*, inquit, *absens corpore, præsens autem spiritu, jam judicavi ut præsens eum, qui sic operatus est, in nomine Domini nostri Jesu Christi.... tradere hujusmodi Satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini nostri Jesu Christi.* Item, I Timoth. c. 1, ℣. 20, actum ejusdem potestatis indicat, S. Paulus, cùm ait : *Ex quibus est Hymenæus et Alexander; quos tradidi Satanæ, ut discant non blasphemare.* Idem patet ex Epist. II S. Joannis.

Hujus praxis testes eximii sunt SS. PP. Tertullianus, in Apolog. cap. 39, ubi sic loquitur : *Summum futuri judicii præjudicium est, si quis ita deliquerit, ut à communicatione orationis et conventûs et omnis sancti commercii relegetur.* Quibus verbis excommunicatio apertè intelligitur, quam superiùs vocaverat censuram divinam.

S. Chrysost. Hom. 2 in cap. 2 Epist. ad Heb. : *Nemo*, inquit, *vincula contemnat ecclesiastica; non est enim homo qui ligat, sed Christus, qui nobis dedit hanc ligandi potestatem.*

S. Aug. lib. 2 Retract. cap. 17, ex his verbis I Cor. c. 5, ℣. 13, *Auferte malum ex vobis ipsis,* colligit potestatem ferendi censuram, hunc sensum verbis istis tribuens : *Hominem malum et perniciosum separate per excommunicationem.* Et libro de Corrept. et Gratiâ, cap. 15, sic loqui-

tur : *Corripiantur itaque à præpositis suis subditi fratres, correptionibus de charitate venientibus... Quia et ipsa, quæ damnatio nominatur, quam facit episcopale judicium, quâ pœnâ in Ecclesiâ nullâ major est, potest, si Deus voluerit, in correctionem saluberrimam cedere.*

Luculenta sunt etiam hujus praxis testimonia innumeræ propemodùm excommunicationes et suspensiones contra Hæreticos aliosque latæ in Conciliis, ab exordio Ecclesiæ congregatis.

Prob. 3.° *ex Conc. Constantiensi*, in quo damnati sunt errores Wiclefi et Joan. Hus. Item ex Conc. Trident. Sess. 25, de Reform. cap. 3.

Deniquè illud ipsum ratio suadet; nam quælibet Respublica, ut coerceat subditos, jus habet illos privandi bonis propriis, vel privilegiis Reipublicæ; ergo Ecclesia, quæ est Respublica à Christo instituta, jus idem habet in subditos suos: hoc autem jure utitur per censuras.

PROPOSITIO II.

Censuræ ferri possunt ab omni et solo Ecclesiæ Prælato vel ejus delegato, id est, à Clerico habente jurisdictionem ordinariam vel delegatam in foro externo.

Prob. propositio quoad Prælatos, ex cap. *Transmissam,* de Electione; et ex cap. *Cùm ad Ecclesiarum,* de Officio Judicis ordinarii. Quoad delegatum verò, ex cap. *Prætereà,* de Officio Judicis delegati; item ex omnium Doctorum consensu, et ex usu Ecclesiæ.

Nomine autem Prælati ecclesiastici intelligitur omnis Clericus habens jurisdictionem in foro externo, qualis est, 1.° Sum. Pontifex in totâ

Ecclesiâ; 2.° Episcopi in suâ Diœcesi, eorumque Vicarii Generales et Officiales; 3.° Capitulum Ecclesiæ Cathedralis, sede vacante; 4.° etiam Prælati regulares, respectu subditorum suorum.

At verò Parochi non intelliguntur nomine Prælatorum; quia non habent jurisdictionem in foro externo : undè censuras ferre non possunt.

Adde quòd Concilia, tum generalia, tum nationalia, tum provincialia, ferre possint censuras, ut omnes nôrunt.

Dixi in propositione, *à Clerico,* quia laicus non potest ferre censuram, ut patet ex cap. *Decernimus,* de Judiciis : quocircà de legati à Prælatis jure ecclesiastico debent esse Clerici.

Ut autem hæc potestas ferendi censuras validè exerceatur à Prælatis, requiritur 1.° ut non sit impedita, v. g., ut ferens censuram non sit publicè et nominatim excommunicatus, aut suspensus, cap. *Audivimus,* causâ 24, q. 1. Requiritur 2.° ut ferens censuram liberè agat, et consequenter habeat usum actualem rationis. 3.° Requiritur ut censura feratur in subditos, cap. *A nobis,* de Sententiâ excommunicationis.

ARTICULUS II.

In quos ferri possint Censuræ.

PROPOSITIO.

Censuræ ferri possunt in solos et omnes homines baptizatos, viatores, rationis et doli eapaces, et subditos, delinquentes ac contumaces.

Propositio certa est, et ab omnibus admittitur.

Dixi 1.°, *homines;* quapropter quandò locustæ, aliaque hujusmodi nociva animalia dicuntur ex-

communicari, et anathematizari, id non debet intelligi de excommunicatione, quæ est censura, sed tantùm de quàdam adjuratione et oratione factâ pro ipsorum interitu vel expulsione.

Dixi 2.°, *baptizatos*, quia Ecclesia nullam habet jurisdictionem in non baptizatos, etiamsi sint Catechumeni : *Quid enim mihi de iis, qui foris sunt, judicare*, ait S. Paulus, I Cor. c. 5, ℣. 12? *Nam eos qui foris sunt Deus judicabit*, ℣. 13. Habet tamen Ecclesia jurisdictionem in Hæreticos, Apostatas, Schismaticos, excommunicatos, aliosque hujusmodi baptizatos, cap. *De Judæis*, dist. 45.

Dixi 3.°, *viatores*, quia mortui nec ampliùs subsunt Ecclesiæ, nec esse possunt contumaces, aut emendari; et proindè non possunt directè censurâ affici : quandò ergo in Jure dicuntur mortui excommunicari, illud vel intelligi debet de quâdam exsecratione ac detestatione, vel declaratione excommunicationis, quam ante mortem incurrerant, et à quâ non sunt ante mortem absoluti; vel de excommunicatione indirectâ, quâ Ecclesia præcipit vivis, ne ipsis exhibeant officia solita fidelibus, ex cap. *Neque*, dist. 88, et ex cap. *Si quis Episcopus*, de Hæreticis. Sic autem dicuntur absolvi ab excommunicatione, quandò, propter eorum pœnitentiam, fidelibus conceditur licentia dandi eis sepulturam ecclesiasticam, ipsisque suffragia Ecclesiæ applicandi, cap. *A nobis*, de Sent. excomm.

Dixi 4.°, *rationis ac doli capaces*, quia infantes, vel perpetuò amentes, sunt incapaces peccati, ac proindè præcepti et censuræ; possunt tamen insani, furiosi, ebrii vel dormientes, incurrere censuram propter delictum vigente usu

rationis commissum, scilicet secuto effectu. Quoad impuberes autem, id est, puellas minores annis 12, aut mares annis 14 minores, probabilior opinio est, 1. eos censuris à *Jure* latis verè subjici; 2. licèt censuris *ab homine* possint absolutè ligari, iisdem tamen de facto non affici, adeòque eos excommunicationem non incurrere, si consequenter ad monitorium non revelent, nisi constaret contrariam esse Superioris intentionem.

Dixi 5.°, *subditos,* quia censura est actus jurisdictionis, quæ non potest exerceri nisi à Superiore in subditos, cap. *Ut animarum,* de Constitutionibus, in Sexto.

Quæres 1.° an advenæ et peregrini ligentur censuris locorum per quæ transeunt sine animo ibi manendi.

Respondent Doctores satis communiter, hujusmodi peregrinos ligari censuris à Jure latis per statutum, seu legem generalem; non verò latis per sententiam Judicis, vel censuris ab homine.

Ratio cur ligentur censuris à Jure est, quia statutum immediatè afficit territorium, ut omnes in eo existentes rectè ac convenienter se gerant pro communi bono, pace, bonisque moribus talis regionis: et verò, ex regulà 55 Juris, in Sexto, *Qui sentit commodum, sentire debet et onus*: at peregrini gaudent commodis loci in quo versantur; ergo debent etiam illius legibus adstringi.

Sententia seu censura ab homine personas immediatè et secundùm se afficit, ac proindè non ligat advenas, qui secundùm se non sunt subditi. Si tamen contingat ut aliquod crimen ibi committant, citari possunt ratione delicti, et compelli ad satisfaciendum; si autem fuerint contumaces, possunt ligari censuris per sententiam,

ut patet ex cap. *De illis*, titulo *De Raptoribus*, et cap. *Postulasti*, de Foro competenti.

Quæres 2.° an diœcesani extra Diœcesim existentes ligentur censuris sui Episcopi.

Resp. 1.° ex communi sententiâ, eos non ligari censuris per statutum latis, si crimen commiserint extra Diœcesim existentes; quia statutum non obligat extra territorium, cap. 2 *de Constitutionibus*, in Sexto. Subditi tamen, quamvis extra Diœcesim existentes, censentur aliquandò delinquere in propriâ Diœcesi, seu ibi consummare peccatum sub censurâ prohibitum, ideòque censuram incurrere : sic, v. g., Clerici, ubicunquè sint, cogi possunt per censuras ad residendum, vel ut veniant ad Synodum, etc., cap. *Ex tuæ devotionis*, de Clericis non resident.; tunc enim propriè in eo loco consummatur omissio, in quo fieri debent quæ oportet, juxta hanc regulam : Qui alicubi non facit quod facere deberet, videtur facere adversùs ea quæ non facit. Incurrunt etiam censuram, quamvis extra Diœcesim existentes, si lata sit sub conditione et respectu ad delictum præteritum, patratum tempore prioris domicilii : v. g., si dicatur, Nisi qui furatus est, restituerit, Nisi qui talem rem novit, revelaverit ante mensem, sit excommunicatus; tunc enim non revelans, vel non restituens, elapso mense, incidet in censuram, licèt mutaverit domicilium, quia manet subjectio in ordine ad talem causam, ut potè incœptam : cap. *Proposuisti*, de Foro competenti.

Resp. 2.° Doctores communiter affirmare diœcesanos, extra Diœcesim existentes, ligari censuris ab homine latis; quia censura ab homine immediatè et per se afficit eos quibus hæret, quocunquè secesserint.

Quæres 3.° an censurâ jam ligati, possint adhuc ligari aliâ censurâ, non solùm diversâ, sed etiam ejusdem rationis, v. g., an excommunicatus possit iterùm excommunicari.

Resp. ex omnium sententiâ, illud posse fieri, idque satis expressum est in Jure : ratio est quia, ut ait S. Thomas, *pœnæ et medicinæ iterantur, quandò causa id exigit.*

Neque dicas aliquem non posse privari nisi unicâ Ecclesiæ communione. Respondeo enim sub pluribus titulis, et pluribus de causis, illum privari posse, ita ut indigeat pluribus absolutionibus, aut unâ generali pluribus æquivalente. Undè qui successivè percuteret plures Clericos, vel unum pluries cum morali interruptione, plures etiam excommunicationes incurreret, cap. *Cùm pro causâ,* de Sent. excomm. : sicut potest homo pluribus peccatis mortalibus privari gratiâ sanctificante; et capite damnari diversis sententiis, propter diversa delicta.

ARTICULUS III.

Ob quam culpam ferri possint Censuræ.

PROPOSITIO.

Censuræ non infliguntur nisi ob peccatum externum factum cum contumaciâ et inobedientiâ erga Ecclesiam, illudque, saltem ordinariè, mortale et consummatum, seu in suo genere completum.

Propositio communis est, et satis patet ex usu et praxi Ecclesiæ.

1.° Itaque censuræ non infliguntur nisi ob peccatum, quia sunt pœnæ, eæque medicinales,

ut diximus : est tamen inter censuras hoc discrimen, quòd excommunicationem, ut potè pœnam gravissimam, nemo possit incurrere nisi propter culpam personalem, ut statuitur cap. *Romana*, de Sent. excomm., in Sexto. Suspensio verò et interdictum ferri possunt in communitatem, ob ipsius communitatis culpam, quamvis in eâ aliqui sint innocentes, ut patet ex cap. *Si sententia*, de Sent. excomm., in Sexto.

2.° Censuræ non infliguntur, nisi ob peccatum externum, ita S. Thomas; et ratio est quia peccatum merè internum Ecclesia ordinariè non punit per censuras, ut suppponitur cap. *Tua nos*, et cap. *Sicut*, de Simoniâ : undè censura contra Hæreticos lata, non ligat eos qui nulla hæresis signa dederunt.

3.° Censuræ inferuntur ob peccatum factum cum contumaciâ et inobedientiâ contra Ecclesiam; nam ex usu Ecclesiæ constat, censuras non incurri, nisi ab eo qui Ecclesiæ monitiones spernit, seu qui, post Ecclesiæ præceptum sub pœnâ censuræ latum, non desistit à patrando peccato. Idem indicant Christi verba, Matth. c. 18, ℣. 17 : *Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus et Publicanus*. Quandò ergo peccator Ecclesiæ parere paratus est, nullus est censuræ locus; cùm, ut ait Innoc. IV in Conc. Lugdunensi I, *medicinalis sit excommunicatio, non mortalis; disciplinans, non eradicans* : quod idem de quâlibet censurâ est dicendum. Hinc ad censuram quæ fertur per modum sententiæ pro delicto præterito, prærequiruntur monitiones.

4.° Infliguntur censuræ ob peccatum mortale, quia censuræ, saltem præcipuæ et totales,

sunt gravissimæ pœnæ, quæ ex communi omnium consensu non debent infligi, nisi pro peccato gravi, ut proportionetur pœna delicto, ut statuitur à Bonifacio VIII, et de excommunicatione præcipitur à Trid., Sess. 25. Dixi, *saltem totales præcipuæ* censuræ; quia debet excipi excommunicatio minor, quæ incurritur propter communicationem cum excommunicato, licèt communicatio illa interdùm sit solùm veniale peccatum; item excipitur aliqua suspensio ab uno tantùm actu Officii, seu Beneficii, v. g., à dando suffragio, quæ suspensio infligi potest ob peccatum veniale.

Cæterùm, diligenter advertendum est multa esse per se loquendo indifferentia, quæ tamen ad bonum commune, vel decentiam statûs clericalis, vel ad vitanda animarum scandala et damna, sicut et varios et perniciosos abusus, censentur esse magni momenti; ideòque strictè et sub gravi censurâ possunt præcipi, vel prohiberi. Quandò aliquid à Superiore prohibitum est aut præceptum sub gravi censurâ, semper præsumendum est illud esse grave et magni momenti, quia Judicis ecclesiastici est judicare utrùm causa, ob quam infligitur, gravis sit, an non: ita *Suarez*, disp. 4, sect. 6.

5.° Deniquè censuræ infliguntur ob peccatum consummatum et opere completum. Ratio est quia, quandò de censuris agitur, verba strictè intelligenda sunt, nec debent extendi, juxta regulam Juris, *Odia restringi convenit.* Hinc non sufficit intentio faciendi peccatum sub censurâ prohibitum, si effectus non sequatur; imò neque sufficit peccatum inchoatum exteriùs, nisi sit consummatum. Undè censuram latam contra homi-

cidas non incurreret, qui grave vulnus infligeret, si ex eo mors non sequeretur.

ARTICULUS IV.

Quænam conditiones seu formalitates servandæ sint in ferendis Censuris.

PROPOSITIO PRIMA.

Censuræ ferri non debent sine præviâ aliquâ admonitione.

Prob. ex cap. *Sacro*, de Sententiâ excommunicationis; et ratio est quia, cùm censuræ sint medicinales, ferri non possunt nisi in contumaces: at contumax esse non potest, nisi qui, præcedente monitione et censuræ comminatione, Ecclesiæ seu Superiori recusat obedire.

Cæterùm, in omnibus censuris à Jure, imò et in censuris ab homine pro culpis futuris, non requiritur admonitio distincta ab ipsâ lege, vel prohibitione, cùm ipsa lex et Superioris præceptum satis et quasi continuè moneant. At verò in censuris ab homine pro culpâ præteritâ vel præsenti, præcedere debet monitio canonica, id est, jussio desistendi vel satisfaciendi pro delicto sub censurâ prohibito, in cujus monitionis seu jussionis contemptu consistit contumacia.

Triplex quidem ordinariè debet præcedere admonitio canonica, saltem ut licita sit et justa censura; si tamen urgens sit necessitas, unicâ factâ monitione, infligi censura potest, juxta cap. *De illicitâ*, causâ 24, quæst. 3, et cap. *Reprehensibilis*, de Appellationibus.

PROPOSITIO II.

Necesse est Censuram ferri talibus signis seu verbis aut scriptis, quæ sufficienter exprimant hanc vel illam Censuram infligi in tales vel tales personas, licèt nulla sit determinatè præscripta verborum forma.

Ratio est, quia præceptum seu voluntas Superioris de ferendâ censurâ sufficienter declarari debet; ergo, etc.

Quæres quomodò facienda sit denuntiatio illius qui censuram contraxit.

Resp. hujusmodi denuntiationem fieri non posse, nisi auctoritate Superioris legitimi, aut ab ipso delegati; idque publicè in Ecclesiâ, vel scripto affixo ad valvas Ecclesiæ, juxta morem receptum cujusque Diœcesis, fieri debere, ut colligitur ex 1 de Sent. excomm., in Sexto, et satis constat ex usu et praxi Ecclesiæ.

SECTIO III.

De Causis excusantibus à Censuris.

Generatìm statui potest à censuris excusare, quidquid excusat à peccato; quod quidem multipliciter contingere potest. Itaque

1.° Excusat ignorantia invincibilis sive Juris sive facti: ratio est, quia ad censuram incurrendam requiritur peccatum et contumacia: atqui ubi est ignorantia invincibilis, saltem alterutrum deest; ergo, etc. Et confirm. ex cap. *Ut animarum*, de Constit., in Sexto. Undè patet etiam ignorantiam vincibilem et mortaliter culpabilem, sive sit affectata, sive crassa et supina, à censuris non excusare, et ratio à contrario est, quòd talis ignorantia

ignorantia non impediat peccatum mortale et contumaciam, virtualiter saltem volitam. Quid autem et quotuplex sit ignorantia, petendum est ex *Tract. de Actibus humanis.*

Hinc 1.° qui percutit aut occidit aliquem Clericum, quem invincibiliter ignorat esse Clericum, non incurrit censuram adversùs Clericorum percussores latam, cap. *Si verò,* 2 de Sent. excom. Ratio est, quia, licèt ille reus sit homicidii, quod scienter committit, ratione tamen ignorantiæ suæ immunis est à sacrilegii malitiâ, cui annexa est censura. Utrùm autem invincibilis ignorantia solius censuræ excuset ab eâ incurrendâ, an, v. g., qui scit ingressum in claustra Monialium prohibitum esse lege ecclesiasticâ, sed invincibiliter ignorat censuram contra delinquentes latam, ab eâ sit immunis : alii generatìm et sine exceptione respondent affirmativè, quia, inquiunt, nemo contumax censetur ad effectum contrahendi censuram, nisi monitus fuerit de pœnâ incurrendâ; atque hæc sententia vera videtur. Alii tamen, ita quidem esse fatentur ubi agitur de censurâ per particulare statutum impositâ, contrarium verò sentiunt ubi quæstio est de censurâ Jure communi seu papali latâ.

Hinc 2.° si quis, suspicans, aut dubitans de censurâ, agit contra legem opus cui reipsâ annexa est censura, censuram incurrit, quia talis habet satis contumaciæ et præsumptionis ad talem censuram, quam contemnere censetur.

Hinc 3.° ignorantia venialiter solùm culpabilis (qualis contingere potest iis qui, licèt aliquam adhibeant diligentiam, ut eorum quæ scire tenentur notitiam comparent, in ipsâ tamen indagatione nonnihil venialis cujusdam negligentiæ

afferunt), excusat à gravi censurâ. Censura quippe gravis non incurritur sine peccato mortali : atqui ignorantia solùm venialiter culpabilis, excusat à peccato mortali; ergo, etc. De inadvertentiâ verò eodem modo ratiocinandum est ac de ignorantiâ.

2.° Excusat metus gravis, si res prohibita sit solo jure ecclesiastico, nec incutiatur ille metus in contemptum Ecclesiæ. Patet quia qui legem merè ecclesiasticam omittit ex gravi metu, putà amittendi vitam, famam, fortunas, verè non peccat, cùm leges humanæ cum tanto incommodo obligare non soleant; ergo nec censuram incurrit.

Dixi 1.°, *metus gravis ;* si quippe levis sit, non excusat à peccato; ergo nec à censurâ.

Dixi 2.°, *si solo jure ecclesiastico res sit prohibita ;* etenim si jure divino aut naturali etiam prohibita esset, ex probabiliori sententiâ, incurreretur censura legis hujus transgressioni annexa; probaturque quia, cùm in eo casu metus non excuset à peccato, non præsumitur Ecclesia velle tunc à præceptis suis dispensare, quæ ab eodem peccato efficaciùs homines retrahere possunt.

Dixi 3.°, *nec incutiatur metus in contemptum Ecclesiæ ;* aliàs enim incurritur censura, quia tunc grave peccatum admittitur, dùm fit id quod vergit in contemptum Ecclesiæ et Religionis.

Hinc 1.° qui, ex metu in odium Ecclesiæ Romanæ incusso, quadragesimalem abstinentiam solveret, censuræ subjiceretur, si qua huic transgressioni esset annexa. Hinc 2.° censuram non incurrit Clericus qui ex gravi metu cauponam ingreditur.

3.° Excusat impotentia moralis implendi quod sub censurâ præceptum est, quia ex regulâ 6 Juris, *Nemo potest ad impossibile obligari ;*

aliundè impotentia excusat à peccato, ergo et à censurâ.

4.° Censuram conditionalem suspendit appellatio legitimè interposita ante lapsum temporis ad implendam conditionem concessi, non item si fiat à censurâ absolutè latâ, aut post statuti lapsum temporis. 1.ª Pars constat cap. *Præterea*, 4 de Appellat. Undè qui ab inferiori Judice excommunicatur, nisi intra mensem satisfaciat, appellatione ad Superiorem interpositâ, censuram suspendit. 2.ª Pars prob. cap. *Pastoralis*, 53 de Appellat., et ratio est, quia talis censura plenum statim effectum sortitur, et tandiù ligat, donec ligatus absolvatur; devolutivum ergo tunc duntaxat effectum habet, non suspensivum, appellatio legitima.

Dixi, *appellatio legitimè interposita*, ad quod tres potissimùm requiruntur conditiones: 1.ª est causa sufficiens et probabilis, quia *Appellationis remedium non est ad defensionem iniquitatis, sed ad præsidium innocentiæ institutum*, ex cap. 61 de Appell. 2.ª Est ut appellatio sit ab inferiori Judice ad superiorem, causâ 2, quæst. 6, cap. 28 : undè frivola et nulla est appellatio ab Ecclesiâ dispersâ, ad Ecclesiam in Concilio congregatam. 3.ª Ut appellatio fiat tempore statuto, id est, ex præsenti Jure, intra 40 dies à publicatione sententiæ, *Cabassut*, lib. 4, cap. 12.

5.° Censura injusta simul et evidenter palàmque nulla, nullatenùs ligat nec obligat, v. g., si lata est post appellationem legitimè interpositam, vel contineat errorem intolerabilem, ut si diceretur, *Excommunico te, quia eleemosynam pauperi tribuisti, quia debitam Principi fidem infringere noluisti.* Prob. ex Gelasio, relato caus.

11, q. 3, cap. 46; et ratio est quia, cùm nulla sit coram Deo et hominibus, nullum effectum habere potest.

Dixi 1.°, *injusta simul et nulla;* si enim esset simpliciter injusta, v. g., quia Superior ex irâ vel odio excommunicat, vel quia accidentales quasdam omittit formalitates, verè ligat, plenumque sortitur effectum. Undè sic loquitur S. Greg. Magnus, Hom. 26 in Evang. : *Is qui sub manu Pastoris est, ligari timeat vel injustè.*

Dixi 2.°, *evidenter palàmque nulla;* si enim nullitas non esset publica et notoria, tunc ad vitandum scandalum, servanda esset censura coram iis quibus explorata non esset censuræ nullitas : violatio tamen hujus censuræ irregularitatem non induceret, *cùm ipsi desit secundùm rei veritatem,* inquit *Cabassut,* lib. 5, cap. 10, *canonicum fundamentum.*

Cæterùm, eâ in re, proprio standum non est judicio, sed consulendi viri prudentes ab omni studio partium alieni, atque in dubio pro Superiore semper præsumendum.

SECTIO IV.

Utrùm per solam absolutionem tolli possint Censuræ, à quo, et quomodò.

Diximus initio hujus Tractatûs, censuram ordinariè tollendam esse, quoties reus est emendatus, quia est tantùm pœna medicinalis : hanc verò per legitimam absolutionem tolli evidens est, tum ex usu Ecclesiæ, tum ex potestate illi concessâ non ligandi solùm, sed et solvendi : superest ergo ut tria in titulo posita exponamus.

ARTICULUS PRIMUS.

An per solam absolutionem solvantur Censuræ.

PROPOSITIO.

Censuræ strictè dictæ per solam legitimi Judicis, seu Superioris ecclesiastici absolutionem tolli possunt.

Propositio certissima est.

Prob. Quia si quo alio modo tolli, seu desinere possint censuræ, certè vel per mortem rei, vel per ejus emendationem, vel per mortem ferentis. At non tolluntur 1.° per mortem rei, ut patet ex cap. *A nobis,* et cap. *Sacris,* de Sent. excomm.: quapropter etiam mortuus privatur Ecclesiæ suffragiis et ecclesiasticâ sepulturâ. 2.° Censuræ non cessant per solam rei emendationem et cessationem contumaciæ, aut satisfactionem, ut expressè ait Clemens III, cap. *Cùm desideres,* de Sent. Excomm., et Greg. XI, cap. *Quamvis,* eodem titulo: idem patet ex Bullâ Alexand. VII in quâ damnata est hæc propositio : *Quoad forum conscientiæ, reo correcto, ejusque contumaciâ cessante, cessant censuræ.* Nec 3.° cessant per mortem ferentis; nam post mortem excommunicantis, v. g., Episcopi, excommunicatus remanet ligatus, ut patet ex cap. *Pastoralis,* de Officio Judicis ordinarii; restat ergo ut per solam absolutionem tollantur censuræ.

Dixi, *censuræ strictè dictæ;* quia censuræ quædam, v. g., suspensiones et interdicta feruntur interdùm ad certum tempus, in modum meræ pœnæ, potiùs quàm censuræ; ideòque sine aliâ absolutione tolluntur, post elapsum tempus defi-

P 3

nitum : hinc Sacerdos ad sex menses suspensus, eo elapso tempore, absolutione non indiget, ut ab hâc censurâ liber evadat. Sed hujusmodi pœnæ non sunt censuræ propriè dictæ, et sicut non supponunt necessariò contumaciam, nec requirunt præviam monitionem, ita non tolluntur per absolutionem, sicut censuræ strictè dictæ.

ARTICULUS II.

A quo tolli possint Censuræ.

PROPOSITIO PRIMA.

A censuris ab homine per sententiam particularem latis, ille solus potest absolvere qui eas tulit, vel ejus successor, vel Superior, vel appellationis Judex.

Prob. propositio ex can. 13 Conc. Sardicensis, et can. 55 Conc. Eliberitani. Ratio est quia cùm is qui censuram tulit sit proprius Judex, et causa ab eo cognosci cœpta sit; ideò terminari ab alio non potest, nisi ab ipso, vel ab ejus successore, aut Superiore, causâ cognitâ, ne scilicet detur locus fraudi, et turbetur ordo judicandi. De successore probatur evidenter ex cap. unico *De Majoritate et Obedientiâ,* in Sexto; quia scilicet successor habet eadem jura. De Superiore id etiam patet, quia jus ejus restringi non potest ab inferiore, et de his tribus conveniunt omnes Doctores. Quoad Judicis appellationem, prob. ex cap. *Ad reprimendam,* de Officio Judicis ordinarii.

PROPOSITIO II.

A censuris, etiam à Jure, si sint reservatæ, nullus absolvere potest, nisi is cui sunt reservatæ, aut illius successor, vel ejus Superior quoad hoc, vel is cui hæc facultas specialiter est concessa.

Prob. ex cap. *Nuper*, de Sententiâ excommunicationis; item ex Conc. Trid. Sess. 14, cap. 7.

Dixi, *Superior quoad hoc*; nam Archiepiscopus non potest Suffraganeorum suorum subditos absolvere, cap. *Venerabilibus*, de Sent. excomm., in Sexto, nisi in casu appellationis, aut visitationis, ubi est in usu.

Colliges 1.° eos qui potestatem habent absolvendi à censuris Sum. Pontifici reservatis, non idcircò posse absolvere à censuris quas Episcopus sibi reservavit.

Colliges 2.° à censuris Papæ reservatis Episcopum aliquandò posse absolvere : 1. quidem in casibus occultis, ut ait Concil. Trid.; 2. quandò rei sunt impuberes, vel senes, vel debiles, vel pauperes, vel quandò sui juris non sunt, vel si sint mulieres, vel deniquè si rei sint legitimè impediti ut adeant Papam, ut patet ex cap. *Mulieres*, cap. *De cætero*, et cap. *Ea noscitur*, de Sent. excomm.

Prædicti tamen absolvi non debent, nisi cum onere (si impedimentum non sit perpetuum) sistendi se posteà coram Sum. Pontifice aut ejus Legato : non quidem ut ab ipsis absolvantur, sed ut eorum mandatum accipiant, cap. *De cætero*, et cap. *Ea noscitur*, jam citatis; alioquin ipso facto recidunt in eamdem censuram, cap. *Eos*

qui, de Sent. excomm., in Sexto (quod restringendum est ad loca ubi disciplina illa viget; in Galliis enim contraria prævaluit consuetudo). Ab hoc tamen onere comparendi coram Sum. Pontifice excipiendi sunt qui propter puerilem ætatem ab Episcopo absolutionem acceperunt; non enim tenentur, cùm adoleverint, Summ. Pontificem adire, ut expressè definitur, cap. *Pueris*, de Sententiâ excommunicationis.

Colliges 3.° in articulo mortis nullam censuram esse reservatam, sed ab omnibus censuris quemlibet Sacerdotem posse absolvere, juxta Trid. Attamen qui in illo mortis articulo absolutus est à censuris, à Sacerdote aliàs carente absolvendi potestate, tenetur, cùm primùm poterit, sistere se Superiori ad accipiendum ejus mandatum.

PROPOSITIO III.

Sacerdos quilibet legitimè approbatus potest pro foro conscientiæ ab omnibus absolvere censuris, quæ sunt à Jure et non ab homine, et quæ non sunt reservatæ.

Prob. ex 2. parte, cap. *Nuper à nobis*, de Sent. excomm.; patet etiam ex usu et praxi communi totius Ecclesiæ. Ratio est quia ex eo ipso quòd Superior censuras illas non reservat, potestatem Confessariis concedit ab iis absolvendi.

ARTICULUS III.

Quisnam sit modus absolvendi à Censuris.

PROPOSITIO.

Ad legitimam absolutionem à censuris, requiritur ut ea verbo, vel scripto, vel saltem alio signo externo sufficienter exprimatur.

Ratio est quia, cùm fiat inter homines, debet etiam humano ac sensibili modo fieri.

Quamvis autem nulla determinata verborum forma requiratur ad essentiam seu valorem absolutionis à censuris, illicitum tamen est uti aliâ formâ quàm consuetâ : hæc autem forma duplex est. 1.° Quidem, si absolutio detur extra sacramentum Pœnitentiæ, maximè in foro externo, servanda est forma quæ præscribitur in Rituali, cum cæremoniis ac precibus ibi appositis. 2.° Si absolutio detur in sacramento Pœnitentiæ, sufficit forma generalis, scilicet : *Absolvo te ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis, et interdicti, inquantùm possum, et tu indiges :* quæ verba continent absolutionem ab omnibus censuris à quibus Confessarius potest absolvere.

Cæterùm, absolutio à censuris aliquandò datur tantùm pro foro interno conscientiæ, ita ut pro foro externo non valeat, nisi Superior eam velit acceptare : tunc autem datur ad hoc, ut reus absolutus sit coram Deo, salvo tamen jure quod habet Superior de illius crimine cognoscendi in foro externo, et pœnam ac satisfactionem debitam exigendi.

Observandum obiter, absolutionem à censuris ferri posse in absentes per nuntium, vel litteras, ut quotidianus Ecclesiæ usus in Rescriptis pontificiis demonstrat, et ex ipso Jure patet.

CAPUT V.

De Censuris in particulari.

Diximus tres esse species censurarum, scilicet excommunicationem, suspensionem et interdictum : de quibus in triplici sectione agemus.

SECTIO PRIMA.

De Excommunicatione.

Quatuor articulos hæc sectio complectetur : in 1.° examinabimus quid sit excommunicatio, in 2.° quotuplex, in 3.° effectus excommunicationis percurremus, in 4.° agemus de monitoriis.

ARTICULUS PRIMUS.

Quid sit Excommunicatio.

Excommunicatio, secundùm vim nominis, dicitur quasi ejectio extra communionem Ecclesiæ.

Excommunicatio in genere, prout majorem et minorem complectitur, definitur *Censura privans externâ communione fidelium, seu usu bonorum spiritualium omnibus fidelibus communium, vel totaliter, vel solùm partialiter.*

Dicitur 1.°, *censura,* quæ vox generis locum tenet, ac strictè accipienda est juxta suprà dicta.

Dicitur 2.°, *privans externâ communione,* id est, privans communicatione, participatione ac usu aliquorum *bonorum spiritualium* (1) ex

(1) Proscripta est à Pio VI in const. *Auctorem fidei,* Propositio Synodi Pistoiensis, n.° 46, « asserens, *effec-* » *tum excommunicationis exteriorem duntaxat esse,*

Ecclesiæ voluntate ac dispensatione pendentium, et omnibus fidelibus communium.

Inter bona Ecclesiæ fidelibus communia numerantur 1.° sacramenta, 2.° publica Ecclesiæ suffragia, 3.° convictus fidelium, sive in rebus sacris, v. g., Officiis divinis, sepulturâ, jurisdictione; sive etiam in rebus politicis et civilibus, v. g., contractibus, negotiis, testimoniis, quibus omnibus excommunicatio privat, ut dicemus, art. 3. Per hoc autem excommunicatio differt à suspensione et interdicto, quæ non privant participatione illorum omnium; quòd si suspensio et interdictum privant aliquandò participatione quâdam illorum bonorum, solùm privant inquantùm bona illa sunt, vel ministerium ecclesiasticum, vel participatio rerum sacrarum ut sic, seu quatenùs sunt sacræ: excommunicatio autem his bonis privat inquantùm sunt materia et fundamentum externæ unionis ac societatis fidelium inter se; quæ unio significatur Communione Sanctorum in Symbolo; et per hoc ultimum, excommunicatio differt à suspensione et interdicto.

Dicitur 3.°, *privans communione, vel totaliter, vel partialiter*, ut major excommunicatio distinguatur à minore; major enim privat communione totaliter, minor autem ex parte tantùm.

» *quia tantummodò naturâ suâ excludit ab exteriori* » *communicatione Ecclesiæ;* quasi excommunicatio non » sit pœna spiritalis, ligans in cœlo, animas obligans, » proscripta est, inquam, tanquam « falsa, perniciosa, » in art. 23 Lutheri damnata, ad minus erronea. »

ARTICULUS II.

Quotuplex sit Excommunicatio.

Excommunicatio vulgò dividitur in *majorem* et *minorem* : excommunicatio *major* ea est quæ omninò separat à communione fidelium, et privat participatione tam activâ quàm passivâ sacramentorum, id est, facit ut excommunicatus nec possit recipere sacramenta, nec ministrare.

Excommunicatio *minor* ea est quæ privat tantùm participatione passivâ sacramentorum, efficitque ut excommunicatus non possit recipere sacramenta. Cæterùm, quandò fertur excommunicatio simpliciter et sine addito, id de excommunicatione majori intelligendum esse statuit Gregorius IX, cap. *Si quem,* de Sent. excomm.

Quæres 1.° quænam sint præcipuæ excommunicationes majores, quæ ipso facto incurruntur, et Summo Pontifici sunt reservatæ.

Resp. plurimas esse, sed magis communes hìc referre satis erit.

1.ª Igitur lata est contra Simoniacos, in Extrav. *Cùm detestabile,* à Paulo II editâ.

2.ª Habetur can. *Si quis, suadente diabolo,* causâ 17, quæst. 4, contra percussores Clericorum.

3.ª Contra incendiarios, ut habetur cap. *Tua nos,* de Sent. excommunicationis.

4.ª Contra effractores et spoliatores Ecclesiarum simul, et non autem seorsìm, si tamen sint denuntiati; habetur cap. *Conquesti,* de Sententiâ excommunicationis.

5.ª Deniquè contra falsarios Litterarum Apostolicarum, supponendo, vel corrumpendo, et habetur cap. *Dura,* de Crimine falsi.

Præter has quinque excommunicationes in Galliâ receptas, tres etiam habentur in Decretalibus et Clementinis, similiter Papæ reservatæ, quas in hoc regno susceptas esse multi Auctores Galli asserunt.

1.ª Quidem lata est in eos qui in excommunicatione per Commissarium Apostolicum latâ, per annum insorduerint : hanc habemus cap. *Quærenti*, de Officio et Potestate Judicis delegati.

2.ª Est in eos qui scienter et sponte communicant cum excommunicato nominatìm à Papâ, admittendo illum ad Divina Officia, cap. *Significavit*, de Sententiâ excommunicationis.

3.ª Lata est à Clemente V, in Conc. Viennensi, et refertur cap. *Gravis*, de Sententiâ excommunicationis in Clementinis, adversùs eos qui præsumunt aliquem cogere ad celebranda divina Officia in locis interdictis.

Quæres 2.º quandonàm percussio Clericorum sit Papæ vel Episcopo reservata.

Ut hic casus, qui non rarò evenit, meliùs intelligatur, juvat hic referre verba Conc. Lateran. II, sub Innoc. II, can. 15 : *Si quis, suadente diabolo, hujus sacrilegii reatum incurrerit, quòd in Clericum vel Monachum violentas manus intulerit, anathematis vinculo subjaceat, et nullus Episcoporum illum præsumat absolvere (nisi mortis urgente periculo), donec apostolico conspectui præsentetur, et ejus mandatum suscipiat.*

Dicitur 1.º, *si quis, suadente diabolo*; quia si quis correctionis et disciplinæ causâ id faciat, non incidet in excommunicationem, cap. *Super eo verò*, et cap. *Ex tenore*, de Sent. excomm.

Dicitur 2.º, *violentas manus*, quibus vocibus

intelligitur omne membrum quo quis Clerico injuriosè nocet, v. g., pes, brachium, etc.; neque sola duntaxat comprehenditur percussio, sed etiam pulveris, aut luti, aut sputi injectio, vel similis injuria et vis tactu physico, saltem mediato, consummata.

Dicitur 3.°, *in Clericum;* quo nomine intelligi debet non ille solùm qui ad sacros Ordines est promotus, sed etiam quilibet initiatus primâ Tonsurâ, dummodò clericalem habitum gestet ac Tonsuram, ut Clericus agnoscatur.

Dicitur 4.°, *vel Monachum;* quo nomine significatur omnis Religiosus, etiam Conversus et Novitius, cap. *Non dubium*, de Sent. excomm., et cap. *Religioso,* eodem titulo, in Sexto. Item, intelliguntur etiam Moniales et Sorores conversæ, ac Novitiæ, cap. *De Monialibus,* de Sent. excomm., et cap. *Religioso*, mox citato.

Dicitur 5.°, à nullo *etiam Episcopo* eum absolvi posse, sed *à solo Papâ,* excepto mortis articulo; quia talis excommunicatio est Papæ *regulariter* reservata. Dico, *regulariter;* plures enim sunt casus, in quibus ab eâ potest Episcopus absolvere. 1.° Quidem si percussio non sit gravis et enormis. Enormis autem percussio est ea quæ conjungitur cum gravi læsione, vel gravi injuriâ, v. g., cum mutilatione membri, vel cum magnâ sanguinis effusione, quæ non proveniat ex naribus, sed aliundè. Percussio Clerici quæ non est ita enormis et atrox, et quæ ab aliquibus levis vocatur, estque Episcopo tantùm reservata, ea est quæ non gravem maculam, vel livorem carnium relinquit, ut quæ fit sine abscissione membri, aut sine effusione multi sanguinis. Fieri tamen potest ut injuria de se levis, ex circums-

tantiis personæ, etc., sit enormis et reservata Sum. Pontifici, v. g., si quis Clerico in dignitate constituto impingat alapam, percussio erit Sum. Pontifici reservata, cap. *Cum illorum*, de Sent. excomm. Imò, si quis Episcopum vel Cardinalem invitum in aliquâ domo injustè retineat, non potest nisi à Sum. Pontifice absolvi, cap. *Felicis*, de Pœnis, in Sexto. Idem dicendum quandò ex percussione Clerici magnum oritur scandalum, v. g., quandò quis in loco publico percussit Clericum. Cæterùm, Episcopi est judicare quandonàm percussio Clerici sit enormis, et Sum. Pontifici reservata, vel non. 2.° Potest Episcopus absolvere, quandò percussio, etiam gravis, occulta est, nec ad forum contentiosum deducta. 3.° Si facta sit ab impubere, muliere, sene, paupere, vel aliis qui legitimum propter impedimentum non possunt Papam vel ejus Legatum adire.

Porrò prædicta excommunicatio extenditur 1.° ad mandantes percussionem Clerici, secuto effectu, cap. *Mulieres*, de Sent. excomm. 2.° Ad eos qui ratam habent percussionem suo nomine factam, cap. *Cùm quis*, de Sent. excomm., in Sexto. 3.° Ad consentientes, consilium, auxilium et favorem præstantes, cap. *Quantæ*, de Sent. excomm. 4.° Extenditur ad eos qui non impediunt percussionem cùm possint, cap. *Quantæ*, jam citato (intellige si debeant ex officio). 5.° Extenditur ad eos qui invitum detinent in custodiâ, cap. *Nuper*, eodem titulo. 6.° Ad percutientes Clericum etiam consentientem, cap. *Contingit*, 1. eodem titulo.

Excusantur autem ab hâc excommunicatione, 1.° qui Clericum ob necessariam suam defensionem percutiunt, cap. *Si verò*, de Sent. excomm.

2.° Pueri clericali Tonsurâ initiati, qui in rixâ sese invicem compellunt, pugnisque sese percutiunt, quia non censentur gravi contumeliâ sese afficere. 3.° Qui ex ludo, joco, vel disciplinæ causâ, ut magister, pater, Clericum percutiunt, cap. *Cum voluntate,* parag. *Si qui verò,* de Sent. excomm. 4.° Mulier quæ ad tuendam castitatem Clericum percutit, cap. *Si verò,* jam citato. 5.° Si percussor non cognoscat Clericum, qui clericatùs insignia non gestat, cap. *Si verò,* de Sent. excomm.; aut si Clericus Canonis privilegio sit privatus, qualis est, 1. qui ter monitus ab Episcopo clericalem habitum gestare renuit, vel non desinit à negotiis secularibus, vel cauponem agit; 2. qui realiter degradatus est.

ARTICULUS III.

De Effectibus Excommunicationis.

Cùm, ex dictis, duplex sit excommunicatio, utriusque effectus hic sunt referendi.

Excommunicationis minoris duo tantùm numerantur effectus. 1.us Est privatio passiva sacramentorum, id est, excommunicatio minor facit ut excommunicatus non possit recipere sacramenta, cap. ultimo *de Clerico excommunicato ministrante.* 2.us Est privatio electionis passivæ, id est, excommunicatio minor facit ut excommunicatus non possit eligi, seu assumi ad aliquod Beneficium, cap. *Si celebrat*, de Clerico excomm.

Excommunicatio minor incurritur ab his qui illicito modo communicant cum excommunicato majore excommunicatione, non tolerato : ab illâ autem excommunicatione minore absolvere potest quilibet Confessarius approbatus, cap. *Nuper,* de Sent. excomm.

Jam de effectibus majoris excommunicationis dicendum nobis est : atque ut illi meliùs intelligantur, supponendum excommunicatos duplicis esse generis : alii enim sunt vitandi, seu denuntiati ; alii verò non sunt denuntiati, et ab Ecclesiâ tolerantur. Olìm, ante Concil. Constantiense, omnes excommunicati erant vitandi, dummodò in excommunicationem eos incidisse ita constaret, ut nullâ tergiversatione celari posset, vel aliquo Juris suffragio excusari. Nunc verò Constantiensi sanctione et Martini V Extravag., Juris antiqui severitas mitigata est ; prohibetur enim tantùm communicatio cum excommunicatis qui publicè ac nominatìm sunt denuntiati vel notorii Clericorum percussores ; undè et dicuntur excommunicati vitandi : cæteri autem excommunicati dicuntur ab Ecclesiâ tolerati, et jure ecclesiastico fideles non tenentur eos vitare. Dico, *jure ecclesiastico*, quia jure naturali et divino persæpè tenemur vitare consortium excommunicatorum toleratorum : scilicet quandò ex eorum convictu et conversatione oritur scandalum, vel periculum subversionis nostræ ; aut quandò spes est fore ut, eos vitando eorumque fugiendo consortium, contumaciam deponant, et ad Deum convertantur.

Quamvis autem fideles non teneantur excommunicatos toleratos vitare, ipsi tamen excommunicati tenentur aliorum vitare consortium tam in rebus civilibus, quàm in divinis, donec absolvantur, ut patet ex eâdem Extravag. Martini V, quæ nullatenùs iis favet, sed solis fidelibus : hæc sunt illius verba : *Ad evitanda scandala et multa pericula quæ conscientiis timoratis contingere possunt, Christi fidelibus misericorditer indul-*

genus quòd nemo deinceps à communicatione alicujus in sacramentorum administratione vel receptione, aut aliis quibuscunque divinis...., prætextu cujuscunque sententiæ aut censuræ ecclesiasticæ à Jure vel ab homine generaliter promulgatæ, teneatur abstinere, vel aliquem vitare, aut interdictum ecclesiasticum observare, nisi censura vel sententia hujusmodi fuerit lata contra personas, Collegium, Universitatem, Ecclesiam, Communitatem, vel locum certum, à Judice publicata et denuntiata specialiter et expressè; Constitutionibus apostolicis et aliis in contrarium facientibus non obstantibus quibuscunque: salvo si quem, pro sacrilegâ manuum injectione in Clericum, sententiam latam à canone, adeò notoriè constiterit incidisse, quòd factum nullâ possit tergiversatione celari, nec aliquo suffragio Juris excusari: nos à communione illius, licèt denuntiatus non fuerit, volumus abstineri, juxta canonicas sanctiones: per hoc tamen non intendimus relevare, nec juvare sic excommunicatos, suspensos et interdictos. Hactenùs Decretum Constantiense, ex quo tria colliguntur. 1.° Excommunicatos non toleratos eos solos esse qui specialiter denuntiati sunt, vel sunt notorii Clericorum percussores. 2.° Cæteros excommunicatos ab Ecclesiâ tolerari. 3.° Excommunicatos decreto nullatenùs juvari. Notandum autem in Galliis ipsos etiam notorios Clericorum percussores non reputari ut vitandos et non toleratos, nisi sint utiquè specialiter denuntiati, aut saltem juridicè convicti, quia aliàs possunt aliquâ tergiversatione se defendere, dicendo, v. g., se non attendisse, vel vim vi repulisse.

His suppositis, agendum est 1.° de effectibus majoris excommunicationis respectu ipsius excommunicati, sive tolerati, sive non; 2.° de effectibus excommunicationis respectu aliorum, sive quærendum quomodò agendum sit cum excommunicatis non toleratis.

§ I.

De effectibus Excommunicationis majoris respectu excommunicati, sive tolerati, sive non.

1.° Quidem excommunicatio major excommunicatum privat omnibus publicis et communibus suffragiis, id est, subsidiis spiritualibus, quæ fidelibus proveniunt ex sacrificio Missæ, ex indulgentiis aliisque vel orationibus, vel actionibus sacris Ecclesiæ totius nomine factis; hæc enim omnia bona pertinent ad Ecclesiæ dispensationem : et hic effectus locum habet in omnibus excommunicatis nondùm absolutis, tametsi jam contriti et Deo reconciliati sint. Potest tamen quisque privatus, etiam Sacerdos pro quibuslibet excommunicatis, ut resipiscant, privatìm orare, imò et Missæ sacrificium intentione privatâ offerre, modò eorum publicè non appellentur nomina.

2.° Excommunicatio privat usu passivo, sive receptione sacramentorum; mortaliter enim peccaret omnis excommunicatus, qui absque justâ causâ, putà ob necessitatem vitandi scandali, infamiæ, sacramentum aliquod reciperet.

3.° Privat exercitio activo sacramentorum, ita ut excommunicatus mortaliter peccet, sacramentum aliquod ministrando, nisi necessitas excuset, qualis esset necessitas adulto in extremis posito subveniendi per sacramentum Pœnitentiæ, aut

puero per Baptismum sine solemnitate: quod utrumque potest facere Sacerdos excommunicatus etiam vitandus. Valida tamen sunt, etiam extra casum necessitatis, omnia sacramenta quæ confert excommunicatus non toleratus, præter sacramentum Pœnitentiæ, defectu jurisdictionis.

4.° Privat divinis Officiis, sive sacris functionibus, quæ ab Ecclesiæ ministris solemniter fiunt (et ecclesiasticâ sepulturâ, si facta fuerit denuntiatio). Undè excommunicatus, etiam toleratus, non potest licitè interesse Missæ sacrificio, nec recitationi Horarum Canonicarum in choro, nec deniquè omni orationi publicæ, v. g., Processionibus, et ad id tenetur excommunicatus sub culpâ mortali, nisi excuset ignorantia invincibilis, aut necessitas, cap. *Significavit*, cap. *Nuper*, cap. *Responso*, de Sent. excomm., et cap. *Alma mater*, eodem titulo, in Sexto: potest tamen excommunicatus privatìm ac sine socio orare, etiam in Ecclesiâ, ibique audire conciones, cap. *Responso*, mox citato. Imò Presbyter, Diaconus, Subdiaconus et Beneficiarius excommunicati, obligantur nihilominùs ad recitationem privatam Officii Canonici; Diaconus verò vel Sacerdos excommunicatus in recitatione privatâ Officii omittere debet *Dominus vobiscum*, quæ verba cum aliis indicant communionem, et horum loco dicendum est, *Domine, exaudi orationem meam*.

5.° Alius effectus excommunicationis est inhabilitas ad acquirenda Beneficia; si enim excommunicatus ante absolutionem acquirit Beneficium, collatio est ipso jure invalida, ut patet ex cap. *Postulatis*, et cap. *Si celebrat*, de Clerico excommunicato ministrante.

Solet tamen Sum. Pontifex, quandò Beneficium confert, absolvere ab omnibus censuris ad hunc effectum, ac proindè Beneficii collatio facta à Papâ homini excommunicato, est valida : nisi fortè excommunicatus ille sit hæreticus aut de hæresi suspectus ; tunc enim speciali indiget absolutione. Addo excommunicatum, si perseveret per annum in excommunicatione, posse privari Beneficiis obtentis ante excommunicationem. Neque enim excommunicatio privat Beneficio ante eam legitimè adepto, imò neque etiam, ut fert probabilior sententia, Beneficii fructibus, cùm talis privatio nullibi expressa sit in Jure : ita Collator Andegavensis, Theologiæ Tourn. Continuator, etc.

6.° Excommunicati excluduntur ab electione canonicâ activâ et passivâ ita ut nec possint eligi ab alio ad aliquod officium spirituale vel Beneficium, nec ipsi alios eligere, cap. *Si celebrat*, citato, et cap. *Cùm inter*, de Electione.

7.° Excommunicatio privat usu et exercitio licito omnis jurisdictionis spiritualis et ecclesiasticæ, cap. *Audimus*, causâ 24, quæst. 1, ubi statuitur excommunicatum non posse excommunicare, nec Beneficia conferre, nec delegare, etc. Item capite unico, *Ne sede vacante*, in Sexto.

An verò usu valido privet, distinguunt Doctores : et quidem ab excommunicatis vitandis fatentur non exerceri validè jurisdictionem : probant ex cap. *Ad probandum*, de Sententiâ et Re judicatâ, sed à non vitando, aiunt, validè exerceri jurisdictionem, propter titulum coloratum, qui defectu occulto non aufertur, lege *Barbarius*, Digest. *De Officio Prætoris*, quæ quidem

lex in Jure Canonico vulgò recipitur. Consule dicta in *Tractatu de Pœnitentiâ.*

8.° Excommunicatio privat communicatione civili et politicâ, id est, omni humanâ societate, non solùm in rebus sacris, ut diximus, sed etiam in rebus humanis ac profanis : hujusmodi res in hoc versiculo continentur, quem paragrapho sequenti explicabimus :

Os, orare, vale, communio, mensa negatur.

9.° Deniquè excommunicatio reddit irrita Rescripta apostolica; id est, gratiæ et concessiones Summi Pontificis non prosunt excommunicato, cap. 1. *de Rescriptis*, in Sexto. Hic tamen effectus vix locum habet, propter clausulam apponi solitam, quâ Sum. Pontifex absolvit ab omnibus censuris ad effectum præsentium assequendum, exceptis quibusdam casibus, de quibus suprà.

Præter recensitos excommunicationis effectus, alii sunt qui eam sequuntur per accidens, ob novam excommunicati malitiam: ii sunt, 1.° irregularitas, quam incurrit excommunicatus qui officium alicujus Ordinis exercet, de quâ dicemus in secundâ parte. 2.° Qui per annum persistit in excommunicatione, convictus censetur de crimine propter quod excommunicatus est; et juxta Rebuffum ac Navarrum, privatur effectu absolutionis generalis quæ ex Curiæ Romanæ stylo in Rescriptis pontificiis præmitti solet.

§ II.

De Effectibus Excommunicationis majoris respectu Fidelium.

1.° Quidem Sacerdotes et omnes Ecclesiastici

publicè orare non debent pro excommunicato vitando, excepto die et Officio Parasceves, quo Ecclesia pro Hæreticis et Schismaticis orat.

Dixi, *publicè*, quia non est prohibitum Ecclesiæ ministris neque fidelibus, privatim et proprio nomine pro excommunicatis orare; imò Sacerdos in ipso Missæ sacrificio potest, ut persona privata, orare pro excommunicato, ipsique specialem, de quo disponere potest, sacrificii fructum applicare; non debet tamen illum in Canone nominare.

2.° Prohibitum est omnibus Ecclesiæ ministris, ne sacramenta ministrent coram excommunicatis vitandis: imò Clerici ad Officia divina admittendo excommunicatum à Papà, excommunicationem majorem Papæ reservatam incurrunt, cap. *Significavit*, de Sent. excomm.; et alios quidem vitandos, si ad Officia divina admittant, incurrunt excommunicationem minorem, ipsisque prætereà interdicitur ingressus Ecclesiæ, donec satisfecerint Prælato cujus sententiam contempserunt, capite *Episcoporum*, de Privilegiis, in Sexto.

3.° Illicitum est accipere vel petere sacramenta ab excommunicato vitando, nisi adsit gravissima necessitas, v. g., mortis periculum.

4.° Nec Clericis, nec laicis licet officiis divinis interesse coram excommunicato vitando, quia tunc communicarent cum illo in rebus divinis, quod est prohibitum.

5.° Fideles omnes tenentur excommunicatos non toleratos vitare, non solùm in rebus sacris, sed etiam in profanis: quæ hoc versiculo comprehenduntur.

Os, orare, vale, communio, mensa negatur.

Per, *Os,* intellige colloquia, munera, amicitiæ signa, litteras, etc., cap. *Excommunicatos,* causâ 11, quæst. 3.

Per verbum, *Orare,* intellige prohiberi ecclesiastica sacramenta, communia Ecclesiæ suffragia, orationes tam intra quàm extra Ecclesiam, et omnia spiritualia : cap. *Sicut Apostoli,* cum sequentibus, ibidem.

Per hanc vocem, *Vale,* intelliguntur mutuæ salutationes, quæ vel scripto, vel verbo, aut alio signo fieri possunt : ibidem.

Per nomen, *Communio,* prohibetur mutua concertatio, societas, commoratio in eàdem domo : ibidem.

Per, *Mensam,* prohibetur ne quis in eâdem domo comedat aut bibat cum excommunicato, aut in eodem lecto dormiat, cap. *Cum excommunicato,* et cap. *Ad mensam,* ibidem.

Sunt autem aliqui casus in quibus licitum est cum excommunicatis communicare, quos ex sequenti versiculo deducere possumus :

Utile, lex, humile, res ignorata, necesse.

Utile, significat notabilem utilitatem spiritualem aut corporalem, tum nostram, tum ipsius excommunicati, cap. *Cum voluntate,* de Sent. excomm. : hinc licitum est petere et accipere debitum ab excommunicato vitando, cap. *Intelleximus,* de Judiciis; item eleemosynam, consilium, atque etiam medicinam ab eo petere, aut ei dare, et ea quibus indiget, ne damnum notabile vel injuriam patiatur in animâ, corpore, famâ, vel bonis corporalibus, cap. *Quoniam multos,* causâ 11, quæst. 3.

Lex,

Lex, significat legem matrimonii, ob quam conjugati secum invicem cohabitare tenentur; nam uxor excommunicati non tolerati non tenetur conjugem vitare, cap. *Quoniam multos*, mox citato.

Humile, designat necessitatem communicandi ratione subjectionis et reverentiæ quam debent habere liberi erga parentes, et servi sive famuli erga dominos; possunt ergo filii communicare cum parentibus, et servi cum dominis excommunicatis : ibidem.

Res ignorata, significat ignorantiam invincibilem tam juris quàm facti, de quâ suprà diximus: hinc si quis ignorans aliquem esse excommunicatum cum illo communicet, non peccat quandiù durat ignorantia, cap. *Quoniam multos*, citato.

Deniquè per vocem, *Necesse*, intelligitur necessitas vitandi grave aliquod incommodum animæ vel corporis, famæ vel bonorum spiritualium, v. g., si quis mortis metu adigatur communicare cum excommunicato non tolerato, non peccabit, dummodò non participet in crimine criminoso, ut vocant, id est, dummodò non committat crimen propter quod alter est excommunicatus.

Extra hos casus, prohibitum est fidelibus, sub pœnâ excommunicationis minoris ipso facto incurrendæ, ne cum excommunicato vitando communicent, sive in rebus sacris et spiritualibus, sive in humanis et civilibus. Si verò fideles cum excommunicato communicent in crimine criminoso, tunc incurrunt excommunicationem majorem : undè qui consilio, favore, auxilio, cooperantur quoad hoc, ut excommunicatus in suo crimine contumaciter persistat, majorem excommunicationem incurrunt, à quâ absolvi non pos-

sunt, nisi ab illo à quo criminosus ipse absolvi potest, cap. *Nuper à nobis,* de Sent. excomm.

Duo sunt prætereà casus in quibus fideles cum excommunicato vitando communicantes non minorem incurrunt excommunicationem, sed majorem: 1.us habetur cap. *Sacris,* de Sepulturis, in quo hæc pœna decernitur contra sepelientes excommunicatum vitandum in loco sacro. 2.us Est ille de quo suprà, quandò scilicet Clerici excommunicatum à summo Pontifice ad Officia divina admittunt.

6.° Deniquè excommunicatus non toleratus, sine absolutione mortuus, privari debet ecclesiasticâ sepulturâ, omnique honore ex officio funebri fidelibus exhiberi solito, cap. *Sacris,* mox citato; adeò ut polluatur Ecclesia vel Cœmeterium ex talis excommunicati vel hæretici nominatim denuntiati sepulturâ. Si tamen excommunicatus vel hæreticus, quantumvìs notorius, non sit denuntiatus, ejus sepultura in loco sacro locum non violat.

ARTICULUS IV.

De Monitoriis.

De his breviter dicemus, quia apud nos hodiè non sunt in usu.

Monitorium est monitum publicum de excommunicatione majore incurrendâ ab iis qui intra certum tempus non revelârint factum aliquod particulare, vel partis læsæ damnum non reparârint: hinc patet Monitorium esse excommunicationem ab homine.

Circa hujusmodi Monitoria repetendum est decretum Conc. Trid. Sess. 25, cap. 3 de Reform. his verbis expressum: *Quamvis excommunicatio-*

nis gladius nervus sit ecclesiasticæ disciplinæ, et ad continendos in officio populos valdè salutaris; sobriè tamen, magnâque circumspectione exercendus est: cùm experientia doceat, si temerè aut levibus ex rebus incutiatur, magìs contemni quàm formidari, et perniciem potiùs parere quàm salutem. Quapropter excommunicationes illæ quæ monitionibus præmissis, ad finem revelationis, ut aiunt, aut pro deperditis seu subtractis rebus ferri solent, à nemine prorsùs, præterquàm ab Episcopo, decernantur; et tunc non aliàs, quàm ex re non vulgari, causâque diligenter ac magnâ maturitate per Episcopum examinatâ, etc.

Ex quo Concilii decreto patet, 1.° Monitoria non debere decerni nisi ab Episcopis; 2.° non debere concedi nisi pro re gravi, et diligenter examinatâ. Jam

Statuimus: Quicunque Episcopo Monitorium concedenti subjiciuntur, ad revelationem, statìm ut promulgati Monitorii notitiam habent, strictissimè obligantur, nisi Jure eximantur à revelando. Constat assertio quia præceptum legitimi Superioris omnes subditos obligat ad quos dirigitur, et quidem statìm atque promulgatum est; qui ergo, Episcopo legitimè imperante revelationem, non revelant, sunt contumaces, et meritò excommunicationis pœnâ puniuntur.

Dixi: 1.° *quicunque Episcopo Monitorium concedenti subjiciuntur;* cùm enim Monitorium sit actus jurisdictionis, in eos omnes et solos ferri censetur, in quos jurisdictionem habet Superior. Hinc 1. revelare tenentur omnes et soli fideles diœcesani, si illius notitiam habeant; 2. Ad revelandum *vi Monitorii* non tenetur ipse diœcesa-

nus, qui citra fraudem, quàcunque causâ, extra Diœcesim versatur toto tempore quo fiunt in propriâ Diœcesi trinæ Monitorii publicationes; secùs autem si præsens sit, dùm ex illis aliqua fit promulgatio. Dico, *vi Monitorii;* posset enim obligari jure naturali.

Dixi 2.°, *statìm;* quia tenetur quisque fidelis Ecclesiæ præcipienti, *quamprimùm moraliter potest,* parere; errant ergo qui putant revelationem differri posse usque ad tertiam monitionem. Elapso autem tempore per monitiones præfixo, statìm incurritur excommunicatio ab iis qui non restituunt, aut non revelant; nec ideò liberantur à satisfactionis vel revelationis onere, si adhuc utilis sit, quia tempus præfixum est, non ad finiendam, sed ad sollicitandam diligentiam.

Dixi 3.°, *nisi Jure eximantur à revelando;* scilicet plurimi excipiuntur ab illâ obligatione revelandi: 1. ipsimet rei et participes criminis, qui non tenentur crimen suum revelare; tenentur tamen ad reparationem damni, etiam sub pœnâ excommunicationis, si ita in Monitorio præceptum sit.

2. Excusantur qui rationabiliter timent ne damnum notabile ex revelatione ipsis deveniat; ad revelationem tamen tenerentur, si bonum commune id postularet, quia bonum publicum debet præferri privato.

3. Ecclesiastici Jure communi non tenentur revelare in causis criminalibus, maximè quandò eorum revelatio mortem alicujus causare potest, nisi bonum commune illud exigat, ut in causâ læsæ Majestatis, hæresis, etc.

4. Quandò agitur de morte, aut infamiâ notabili consanguineorum aut affinium, consanguinei

aut affines non obligantur ad revelandum, nisi bonum publicum id exigat. Domestici etiam contra heros suos regulariter non tenentur revelare.

5. Illi quibus sub secreto naturali commissum est crimen de quo agitur, nec illud aliâ viâ nôrunt, v. g., Advocati, Medici, etc., ad revelationem non tenentur, nisi bonum publicum id postulet; in eo enim casu omnes tenentur revelare, etiamsi sub secreto naturali acceperint.

6. Cùm ad actum inutilem nemo teneatur, ad revelationem non obligantur ii quorum revelatio inanis foret. Undè à revelando immunis est, 1. qui solus novit homicidium, v. g., ab alio perpetratum; imò nec tutò revelare posset, seipsum enim famæ calumniatoris exponeret, quia ex Jure, *Testis unus, testis nullus*. 2. Qui Pauli crimen à solo Petro didicit, si Petrus ipse jam revelaverit; item qui per plateas solùm, ab ignotis nec fide dignis crimen audivit. 3. Qui certò novit eum qui aliàs restituere teneretur, physicâ vel etiam morali restituendi impotentiâ laborare, talem detegere vi Monitorii non cogitur, cùm iste damnificator ad restitutionem non teneatur; ad impossibile enim nemo tenetur.

Porrò in dubio an quis teneatur revelare, consulendus est peritus Confessarius; ipso verò dubitante, recurrendum est ad Episcopum.

Observandum superest, Superiorem duntaxat qui Monitorium tulit, ab excommunicatione ex vi Monitorii contractâ absolvere posse.

SECTIO II.

De Suspensione.

Hujus sectionis tres erunt articuli: in 1.° quæ-

remus quid sit suspensio, in 2.° quotuplex, in 3.° agemus de ejus effectibus.

ARTICULUS PRIMUS.

Quid sit Suspensio.

Suspensio est *Censura, vel totaliter vel ex parte privans Clericum usu potestatis ecclesiasticæ quam habet ratione Ordinis, vel Beneficii, vel Officii.*

Dicitur 1.°, *Censura;* ut distinguatur præsertìm ab irregularitate, depositione, degradatione, et ab eâ specie suspensionis quæ imponitur in modum meræ pœnæ tantùm, de quâ agitur, cap. *Cùm in cunctis*, de Electione; inter utramque enim hanc suspensionis speciem triplex est discrimen. 1. Suspensio quæ fertur in modum pœnæ, fertur etiam ad tempus definitum; quæ autem est censura propriè dicta, pendet ab emendatione et contumaciâ. 2. Illa non requirit præviam monitionem, hæc requirit. 3. Prior, elapso tempore, tollitur ipso jure; posterior non tollitur nisi per absolutionem.

Dicitur 2.°, *privans usu potestatis ecclesiasticæ,* id est, impediens Clericum ne utatur potestate ecclesiasticâ quam habet, seu ne suum Officium exerceat et functiones Ordinis vel jurisdictionis, impediens etiam ne administret aut percipiat fructus sui Beneficii.

Hinc 1.° suspensio differt ab aliis censuris, quia scilicet suspensio in Clericos tantùm ferri potest, qui soli sunt capaces potestatis ecclesiasticæ; at verò excommunicatio et interdictum ferri possunt, tum in Clericos, tum in laicos; deindè suspensio privat solo ministerio ecclesias-

tico; at excommunicatio multis aliis bonis privat, ut dictum est; interdictum verò privat participatione divinorum Officiorum, etc.

Ut autem percipiatur quomodò suspensio differat à depositione et degradatione, afferendæ sunt utriusque definitiones.

Depositio est *Perpetua et irremissibilis ecclesiasticæ personæ, ob enorme crimen, remotio ab Ordine, jurisdictione et officio :* ab illâ autem differt suspensio, tum quia non est irremissibilis, sicut depositio; tum quia, licèt suspensio privet fructibus Beneficii, non adimit tamen titulum radicalem, quemadmodùm depositio.

Degradatio est *Pœna ecclesiastica, quâ Clericus ab omni Officio vel Beneficio depositus, insuper privatur solemniter Clericorum gradu, privilegiis et insignibus.* Degradatio à depositione differt, quòd per depositionem non auferantur privilegia Fori et Canonis; per degradationem verò Clericus his omnibus privilegiis exuitur: undè patet degradationem maximè differre à suspensione.

ARTICULUS II.

Quotuplex sit Suspensio.

1.° Suspensio alia est *totalis*, alia est *partialis :* suspensio *totalis* est illa, quæ suspendit ab Ordine simul, et ab officio et Beneficio; seu quæ privat usu omnis potestatis ecclesiasticæ alicui competentis ratione Ordinis, vel officii, vel Beneficii, sive illa potestas sit Ordinis, sive jurisdictionis.

Suspensio *partialis* ea est, quæ vel ab Ordine tantùm, vel ab officio, vel à Beneficio suspendit.

Suspensio ab Ordine tantùm privat exercitio functionum ad sacros Ordines pertinentium.

Suspensio ab officio simplex et absoluta privat omnibus functionibus ecclesiasticis, quæ ad Clericum pertinent, sive ratione Ordinis, sive ratione officii ecclesiastici, quales sunt celebrare, sacramenta ministrare, ferre censuras, indulgentias conferre, alios ad confessiones approbare, conferre Beneficia, eligere, etc.; non privat tamen Beneficii reditibus.

Suspensio à Beneficio privat tantùm reditibus Beneficii et aliis commodis ad Beneficium pertinentibus.

2.° Suspensiones aliæ sunt Jure communi latæ, aliæ feruntur ab Ordinariis, et quidem vel per modum statuti, vel per modum sententiæ. Quæ feruntur ab Ordinariis continentur vel in Diœceseon statutis, quæ consuli debent, vel in specialibus contra contumaces sententiis. Ex suspensionibus Jure communi expressis, præcipuas solùm referemus, quæ seculares Clericos afficiunt et vigent in Galliis, quarum quidem aliæ sunt Sum. Pontifici, aliæ Episcopo solùm reservatæ.

Præcipuæ suspensiones Summo Pontifici reservatæ (à quibus tamen omnibus Episcopi nostri possunt absolvere, quandò non sunt ad forum contentiosum deductæ, vel moraliter impossibilis est recursus ad Papam), eæ sunt : 1.ª fertur contra eos qui, absque Episcopi consensu, sine ullo titulo, aut qui sub ficto vel fraudulento Beneficii vel patrimonii titulo ordinantur, quales sunt qui promittunt iis à quibus Beneficium vel patrimonium accipiunt, seu potiùs accipere videntur, se victum, alimenta, fructusve non esse petituros : ex cap. 37 et 45 *De Simoniâ*. Epis-

copus verò et alii qui talem exigunt promissionem, manent per triennium suspensi, ille à collatione, hi ab exsecutione Ordinum, si quos receperunt, eodem cap. *De Simoniâ.* 2.ª Est contra eos qui cum conscientiâ propriæ excommunicationis Ordines suscipiunt. Ita colligunt omnes ex cap. 32 *De Sent excom.* 3.ª Contra eum qui post contractum, licèt non consummatum matrimonium, sacrum Ordinem suscipit absque consensu uxoris, et sine voto castitatis ab eâ emisso de consensu Episcopi. 4.ª Contra eos qui Ordines furtivè suscipiunt, id est, sine examine et admissione Episcopi, tit. *De eo qui furtivè*, etc. Hæc tamen suspensio, ex eod. tit., non est reservata Papæ, nisi cùm Episcopus furtivam hanc ordinum receptionem sub excommunicationis pœnâ prohibuit, alioquin enim ab Episcopo relaxari potest. Potest quoque Episcopus à prædictà suspensione eos omnes absolvere, qui religionem ingressi, in eâ *laudabiliter fuerint conversati.* 5.ª Contra eos qui eodem die, duobusve continuis diebus, citra dispensationem, duos sacros Ordines recipiunt, cap. 13 *De temporibus Ordin.* 6.ª Contra eos qui Ordinem aliquem scienter recipiunt per simoniam realem, Extrav. *Cùm detestabile*, de Sim. 7.ª Contra eos qui ante legitimam ætatem sacros recipiunt Ordines, ex Bullâ 7 Pii II.

Suspensionem Episcopis Jure reservatam incurrunt, 1.° qui per saltum ordinantur, v. g., qui ad Diaconatum, prætermisso Subdiaconatu, promoventur. 2.° Qui absque litteris dimissoriis proprii Episcopi, ab alio Episcopo ordinantur. 3.° Qui, Sede vacante, et nullâ arctatus Beneficii causâ, à Capitulo, ante completum vacationis

annum, dimissorias litteras obtinet, iisque nixus sacros Ordines suscipit, Conc. Trid. Sess. 7, cap. 10. Qui verò Minoribus solùm initiatur, privilegii clericalis jacturâ duntaxat punitur. 4.° Parochus aut quilibet Sacerdos, sive regularis, sive secularis, qui alterius parochiæ subditos, absque proprii eorum Parochi vel Ordinarii licentiâ, matrimonio conjungere ausus fuerit, Conc. Trid. Sess. 24, de Ref. cap. 1.

Iis addendum, Decretum apprehensionis (*Décret de prise de corps*) vim habere suspendendi ipso facto Clericum contra quem fertur. Ita sentiunt omnes, ex edict. an. 1695, art. 40. Licèt autem Jure communi Decretum citationis personalis (*Décret d'ajournement personnel*), suspensionem non importet, vulgò tamen observant valdè indecens esse ut Sacerdos criminis postulatus sacras pergat exercere functiones, atque omninò esse congruum ut ab iis se abstineat, donec Decretum, ut aiunt, purgatum sit, et accusatio falsi convicta; et ideò Officiales Decreto citationis personalis suspensionem expressis verbis adjicere solent.

ARTICULUS III.

De Effectibus Suspensionis.

Diximus articulo præcedenti, suspensionem aliam esse totalem, aliam partialem.

Suspensio totalis privat omni usu ecclesiasticæ potestatis, tum jurisdictionis, tum Ordinis.

Suspensio partialis privat tantùm aliquâ parte hujus potestatis. Hoc supposito, multi colliguntur suspensionis effectus.

1.° Enim suspensus exercens id à quo est sus-

pensus, peccat mortaliter, nisi ignorantia invincibilis, aut alia justa causa excuset. Ratio est quia in re gravi violat præceptum Ecclesiæ; potest tamen ea facere, quæ à laicis fieri solent, v. g., baptizare sine solemnitate, urgente extremâ necessitate; item canere in Choro, laicorum more; potest etiam sacramenta recipere, quia talis receptio non est usus potestatis ecclesiasticæ; imò Clericus suspensus, ad Officium divinum aliundè obligatus, tenetur illud privatìm recitare.

2.° Suspensus ab Ordine non solùm peccat, si actum Ordinis sacri à quo suspensus est exerceat, sed etiam fit irregularis, ut dicemus infrà, et probatur ex cap. 1 *De Sententiâ et de Re judicatâ,* in Sexto. Quod etiam intelligendum est de violante suspensionem, quæ est mera pœna, ut dicitur ex cap. 1 *De Sent. excomm.,* in Sexto.

3.° Suspensus privatur communione aliorum in eo à quo suspensus est, ita ut peccet cum aliis communicando, v. g., sacramenta iis ministrando, quandò est à sacramentorum ministratione suspensus; item peccat qui cum suspenso sine necessitate communicat, in iis à quibus est suspensus, qui sacramenta recipit à Sacerdote suspenso à collatione sacramentorum; item, qui audit Missam Sacerdotis ab Ordine suspensi : hæc autem intelligenda sunt de suspenso nominatìm expresso, juxta Extrav. *Ad evitanda,* de quâ suprà. Jure tamen naturali et divino vitandus est aliquandò suspensus ab Ecclesiâ toleratus.

4.° Suspensus simpliciter et absolutè ab Officio, est inhabilis ad acquirenda Beneficia; suspensio enim impedit collationem, vel obtentionem novi Beneficii. Ratio est quia Beneficium ecclesiasticum ordinatur ad alicujus muneris vel officii

ecclesiastici administrationem ; ergo qui ab illo munere suspensus est, huic consequenter interdicitur susceptio Beneficii ; id etiam infertur ex cap. ultimo *De Clerico excomm.* Item privatur usu non solùm jurisdictionis , sed et , ex communiori sententiâ, Ordinis atque omnis ecclesiastici ministerii , quod à Clerico ut tali exerceri postulat. Undè suspensus ab Officio , nec celebrare , nec sacramenta ministrare , nec ferre censuras , nec ad confessionem approbare, nec eligere potest; quia hæc omnia à Clerico ut Clerico exercentur; posset verò privatìm in necessitate baptizare , sacrificio ministrare , etc. , quia hæc ab ipso laico fieri possunt.

5.° Simpliciter suspensus à Beneficio, privatur non quidem ipso Beneficii titulo , sed Beneficii fructibus , quos perceptos tenetur in conscientiâ restituere Ecclesiæ, eâ solâ fructuum sibi retentâ parte , quæ ad moderatam sustentationem necessaria est.

Cæterùm, circa suspensiones, duæ sunt notandæ regulæ ab omnibus receptæ. 1.ª Quandò suspensio fertur absolutè et simpliciter, sine ullâ determinatione ad hoc vel illud, censetur esse totalis, tam ab Ordine et ab hoc Officio, quàm à Beneficio : notandum tamen in Galliâ, Judicem ecclesiasticum non privare per sententiam à fructibus Beneficii , sed ad id opus esse sententiâ Judicis laici. 2.ª Regula est : quandò suspensio fertur determinatè ad hoc vel illud, tunc non suspendit nisi ab eo quod exprimitur, vel quod in eo necessariò includitur : undè suspensus à Beneficio , non est eo ipso suspensus ab Officio , nec vicissìm; neque item suspensus à jurisdictione, aut è contrà; nec etiam suspensus ab Ordine superiori, est supensus

ab inferiori : qui tamen suspensus est ab Ordine inferiori, suspensus est à superiori, nisi aliqua ratio peculiaris intercedat : ratio omnium est quia, ex regula Juris, odia restringi convenit.

Porrò suspensiones suprà relatæ, sicut et omnes quæ in Jure communi latæ sunt, reservatæ sunt vel Sum. Pontifici, vel Episcopo, ac proindè extra necessitatem Confessarius simpliciter approbatus, ab iis non potest absolvere. Circa suspensiones autem quæ mera sunt pœna, advertendum an impositæ sint ad certum tempus, an in perpetuum. Si prius, elapso tempore, cessat suspensio, sed ante elapsum tempus, ab eo solùm relaxari potest, et quidem per dispensationem, à quo fuit imposita. Si posterius, tandiù durat, donec vel legis auctor, aut successor, vel Superior eam relaxaverit.

SECTIO III.

De Interdicto.

Sectionem hanc in tres articulos sicut præcedentem dividemus : quæremus in 1.° quid sit interdictum, in 2.° quotuplex, in 3.° quinam sint ejus effectus.

ARTICULUS PRIMUS.

Quid sit Interdictum.

Interdictum propriè et simpliciter dictum definitur, *Censura privans usu et participatione divinorum Officiorum, quorumdam sacramentorum et ecclesiasticæ sepulturæ, vel totaliter, vel solùm ex parte.*

Dicitur 1.°, *Censura,* ut distinguatur ab irre-

gularitate et à cessatione à divinis; quamvis enim cessatio à divinis magnam habeat similitudinem cum interdicto, et eosdem ferè effectus; tamen non est censura, imò nec est propriè pœna, cùm loca tantùm respiciat, nec directè afficiat ullas personas : definitur autem *Simplex prohibitio, vi cujus desistere debent Clerici in certo loco ab omni celebratione solemni divinorum Officiorum, in signum gravissimi mœroris Ecclesiæ.* Vide cap. *Si canonici*, et cap. *Quamvis*, de Officio Judicis ordinarii, in Sexto.

Dicitur 2.°, *privans usu et participatione divinorum Officiorum, quorumdam sacramentorum et ecclesiasticæ sepulturæ;* his enim rebus interdictum privat, quatenùs sunt res divinæ et sacræ : atque per hoc differt, 1. ab excommunicatione, quæ quidem iisdem rebus privat, sed quatenùs sunt materia societatis reciprocæ fidelium. 2. Differt à suspensione, quia suspensio non privat his rebus quatenùs sunt res sacræ à laicis participabiles, sed quatenùs pertinent ad ministerium ecclesiasticum.

Dicitur 3.°, *privans totaliter, vel solùm ex parte*, ut articulo sequenti dicturi sumus.

ARTICULUS II.

Quotuplex sit Interdictum.

Dividitur 1.° interdictum in *totale* et *partiale*. *Totale* est illud quod habet omnes effectus in definitione recensitos, quale censendum, quandò absolutè et sine ullà determinatione fertur. *Partiale* est illud quod aliquos tantùm habet effectus, v. g., si cui interdicatur solùm ingressus Ecclesiæ, vel ecclesiastica sepultura.

Dividitur 2.° in *locale* et *personale*. *Locale* est illud quod immediatè loca afficit, v. g., Civitatem, Ecclesiam, Cœmeterium, etc., prohibendo scilicet ne ab ullo Clerico divina Officia et res sacræ in eo loco peragantur; et illud vel est generale, vel speciale. Observant autem Jurisperiti locale interdictum, post constitutionem *Ad vitanda scandala*, nullum esse nisi denuntietur. *Personale* interdictum, est illud quod immediatè afficit personas, prohibendo illis usum sacramentorum, vel ingressum Ecclesiæ, etc. Subdividitur autem in generale et particulare : prius respicit aliquod corpus collectivum, putà, Collegium, Capitulum, etc. Posterius verò fertur in personas determinatas, sive una sit, sive sint plures.

Aliquandò etiam interdictum locale est simul et personale, diciturque *mixtum*, quandò scilicet personas simul afficit et loca.

ARTICULUS III.

Quinam sint effectus Interdicti.

1.[us] Interdicti effectus est prohibitio celebrationis et auditionis divinorum Officiorum : quæ prohibitio obligat sub mortali peccato, nisi excuset inadvertentia, vel gravis necessitas.

In generali tamen interdicto loci alicujus, permisit Bonifacius VIII, cap. *Alma Mater*, de Sent. excomm., in Sexto, ut singulis diebus in Monasteriis et Ecclesiis, Missæ celebrentur, aliaque divina Officia, sed submissâ voce, januis clausis, excommunicatis et interdictis exclusis, et campanis non pulsatis.

Permisit insuper ut in festis solemnibus in ca-

none citato expressis, celebrentur divina Officia cum omni solemnitate, omnibus admissis, præter excommunicatos; quod et ad aliquas alias festivitates Martinus V et Eugenius IV extenderunt.

2.us Effectus interdicti est privatio usûs activi et passivi sacramentorum, exceptis casibus in Jure expressis; conceditur tamen receptio Baptismatis, Pœnitentiæ et Confirmationis, cap. *Responso,* de Sent. excomm., et cap. *Quoniam,* eodem tit., in Sexto; conceditur etiam Eucharistia pro Viatico iis qui periculosè decumbunt, minimè verò Extrema Unctio.

3.us Effectus est privatio sepulturæ ecclesiasticæ, cap. *Quod in te*, de Pœnitentiâ et Remissione, cap. *Episcoporum,* de Privilegiis, in Sexto, et Clementinâ primâ de Sepulturis, modò tamen personaliter interdicti publicè et nominatìm fuerint denuntiati. Ut autem hic effectus pleniùs intelligatur, aliquâ distinctione opus est.

Et 1.° quidem in loco specialiter interdicto sepeliri nemo debet. 2.° In interdicto locali, si sit generale, prohibetur ne quis in loco totaliter interdicto sepulturam habeat ecclesiasticam, ut patet ex citatis canonibus : excipiuntur tamen Clerici qui servaverunt interdictum, nec illi dederunt causam, cap. *Quod in te,* citato, et cap. *Alma Mater,* de Sent. excomm., in Sexto, adhibitâ moderatione ibidem appositâ. 3.° Interdictum personas specialiter interdictas privat ecclesiasticâ sepulturâ, Clementinâ 1 *De Sepulturis,* et cap. *Episcoporum,* de Privilegiis, in Sexto. 4.° Si interdictum generale sit personale, probabile est in loco sacro sepeliri posse, quod probatur ex Clementinâ 1 *De sepulturâ,* ubi ex his verbis, *Nominatìm interdictos,* infert Glossa

personam quæ non est nominatìm interdicta, posse in loco sacro sepeliri.

Cæterùm, quandò interdictum est locale, omnes illi qui occasionem non dederunt interdicto, possunt uti rebus sacris extra locum interdictum; contrà verò qui culpabiles sunt, nullibi possunt divinis interesse.

At si interdictum sit personale, v. g., si cives urbis interdicto subjacent, possunt in eorum Ecclesiis divina Officia solemniter celebrari, iisque interesse possunt peregrini, et quicunque non sunt personaliter interdicti : quandò autem interdictum fertur in Rempublicam, Universitatem, Collegium, etc., censetur ferri in omnes cives Reipublicæ illius, etiam innocentes.

In interdicto locali civitatis vel oppidi comprehenduntur suburbia et ædificia adjuncta, atque etiam Ecclesiæ Regularium exemptorum, ex Conc. Trid. Sess. 25, cap. 12. Similiter, interdictà Ecclesià, sunt etiam interdictæ Capellæ, Cœmeterium contiguum, cap. *Si civitas*, de Sent. excomm., in Sexto; quia scilicet accessorium sequitur principale. At, Cœmeterio interdicto, non est interdicta Ecclesia.

In interdicto personali populi, non comprehenditur Clerus, nec vicissim; quia ex communi usu Ecclesiæ, populus et Clerus maximè distinguuntur.

Deniquè laici scienter violantes interdictum, v. g., audiendo Missam, peccant mortaliter, quia in re gravi contra præceptum Ecclesiæ delinquunt. Clerici etiam in sacris Ordinibus constituti, si violant interdictum denuntiatum, præter peccatum mortale, irregularitatem incurrunt, cap. *Is cui*, de Sent. excomm., in Sexto. Reli-

giosi verò excommunicationem ipso facto incurrunt, ex Clementinâ, de Sent. excomm.

Quæres quis ferre possit interdictum vel tollere.

Resp. Hi omnes interdictum ferre possunt, qui et cæteras censuras. Ut autem persona determinata interdicatur, requiritur culpa mortalis. Ut verò feratur interdictum locale, vel generale in communitatem, sufficit grave peccatum cum contumaciâ à capite vel præcipuis membris admissum, licèt reliqui culpâ vacent.

Si interdictum sit ab homine per sententiam particularem, qui tulit, vel ejus Superior, potest ab eo absolvere; si sit à Jure ac reservatum, solus ille cui reservatur; si verò non sit reservatum, quilibet approbatus potest illud tollere. Interdictum latum ad tempus vel cum conditione, cessat exspirante tempore, vel impletâ conditione; pariter interdictum latum in communitatem cessat, solutâ communitate; persona tamen quæ interdicto causam dedit, interdicta remanet donec absolvatur.

PARS SECUNDA.

DE IRREGULARITATIBUS.

Secundam hanc partem tribus capitibus absolvemus: in 1.° agemus de irregularitatibus in communi; in 2.° de irregularitatibus ex defectu; in 3.° de irregularitatibus ex delicto.

CAPUT PRIMUM.

De Irregularitatibus in communi.

Tria nobis expendenda sunt : 1.° quid sit irregularitas, 2.° quotuplex sit, 3.° quis irregularitatem statuere et tollere possit ; quod enim pertinet ad effectus irregularitatis, ex ipsius definitionis explicatione patebit.

ARTICULUS PRIMUS.

Quid sit irregularitas.

Irregularitas definitur *Impedimentum canonicum quo quis redditur inhabilis ad licitè recipiendos Ordines, vel ad eorum functiones obeundas.*

Dicitur 1.°, *impedimentum canonicum*, id est, impedimentum à canonibus seu decretis Ecclesiæ introductum; irregularitas enim nunquàm incurritur, nisi in casibus jure ecclesiastico expressis. Undè patet ea quæ jure divino aut naturali impediunt validam aut etiam licitam susceptionem Ordinum, v. g., defectum Baptismi, sexum femineum, peccatum mortale, non esse irregularitates, quia illa impedimenta non sunt jure canonico introducta, sed jure divino et naturali.

Ratio autem cur Ecclesia hujusmodi impedimenta instituerit, est ad decentiam et reverentiam Ordinum ecclesiasticorum; nam maximè decet altaris ministros tam corpore quàm animo puros esse ac immaculatos.

Dicitur 2.°, *quo quis redditur inhabilis ad Ordines recipiendos;* et per hoc distinguitur irregularitas à suspensione, depositione et degradatione, quæ directè et per se non impediunt susceptionem Ordinum, sed potiùs eorum functiones: irregularitas autem per se primariò et directè impedit quominùs Ordines licitè recipiantur. Dixi, *licitè*, quia irregularitas non impedit quominùs Ordines validè recipiantur.

Quæres an irregularitas impediat etiam Tonsuræ susceptionem.

Resp. affirmativè: quia, licèt Tonsura propriè et rigorosè non sit Ordo, ex communi tamen Doctorum sententiâ, hìc per Ordines intelligitur omnis gradus per quem aliquis constituitur in ordine clericali.

Dicitur 3.°, *vel ad Ordinum functiones obeundas.* Quandò enim irregularitas habere non potest primarium effectum ad quem instituta est, scilicet, reddere inhabilem ad Ordines, ut evenit quandò aliquis jam illos Ordines suscepit; tunc irregularitas habet hunc secundarium effectum, scilicet, impedire exercitium Ordinum susceptorum. Ratio est quia qui non potest Ordines suscipere, multò magìs prohibetur susceptis Ordinibus uti.

Nomine autem Ordinum hìc intelliguntur solùm Ordines sacri, qui à laicis exerceri non possunt: undè irregularis sacros Ordines exercere non potest sine peccato mortali; nullam tamen propereà censuram, vel aliam irregularitatem incurrit. Sed hujus peccati et recidivæ circumstantia exprimenda est, quæ facit ut difficiliùs obtineatur dispensatio.

Notandum est 1.° quòd irregularis licitè potest

omnia sacramenta recipere, excepto ordine. Potest etiam in Ecclesiâ canere, vel ministrare sacrificanti, vel baptizare in necessitate sine solemnitatibus consuetis, vel actus omnes Minorum Ordinum exercere.

Notandum 2.°, ex communi Doctorum sententiâ, irregularem non posse Beneficia acquirere. Undè collatio irregulari facta, est prorsùs nulla et irrita. Si autem irregularitas superveniat Beneficio vel Officio jam obtento, per se non impedit illius retentionem.

Ex dictis colligitur, irregularitatem in eo à censurâ differre, quòd scilicet censura sit pœna ecclesiastica et medicinalis, per quam homo baptizatus delinquens et contumax privatur usu quorumdam bonorum spiritualium; nam plures sunt irregularitates quæ non sunt pœnæ, quia nullum supponunt peccatum, ut dicemus. Deindè irregularitates ex delicto non sunt pœnæ medicinales, ut patet, etc.

ARTICULUS II.

Quotuplex sit Irregularitas.

Irregularitas dividitur 1.° in irregularitatem *ex defectu* et irregularitatem *ex delicto*. Irregularitas *ex defectu* ea est quæ fundatur in aliquo defectu etiam inculpabili, undè oritur quædam indecentia quæ potest in contemptum adducere ministros Ecclesiæ.

Irregularitas *ex delicto* ea est quæ fertur propter indecentiam propriâ culpâ contractam.

Advertendum autem quòd ad incurrendam irregularitatem ex delicto, culpa debeat esse externa, mortalis, et in genere suo consummata, tum quia gravis pœna, qualis est irregularitas, non-

nisi propter gravem culpam infligitur; tum quia in pœnis stricta fieri debet interpretatio. Attamen necesse non est ut adsit contumacia contra Ecclesiam, quia citra contumaciam contrahi potest indecentia propter quam ab Ordinibus quosdam arcet Ecclesia; undè irregularitas ex delicto incurritur, tametsi delinquens ignoret latam irregularitatem, imò et prohibitionem talis delicti ab Ecclesiâ factam.

Utrùm autem in dubio incurratur irregularitas, dictinctione opus est; namque 1.° in dubio Juris irregularitas non incurritur, quia, ut jam diximus, nulla est irregularitas nisi in Jure exprimatur : sed irregularitas de quâ dubium est an lege lata sit, dici non potest in Jure expressa; ergo, etc. 2.° In dubio facti circa homicidium quisque habendus est irregularis, et pro tali se gerere debet, juxta cap. 12 et 18 *De homicid. volunt.* Se igitur irregularem debet reputare qui causa fuit abortûs, et dubitat an fœtus esset animatus; item, qui cum aliis aliquem percussit, incertus an ipse lethale vulnus inflixerit; Medicus qui rationabiliter dubitat an mortali suâ negligentiâ infirmus interierit. In aliis verò facti dubiis, ex communiori sententiâ, non incurritur irregularitas, quia ea solùm contrahitur in casibus Jure expressis : atqui Jure non est expressum irregularitatem incurri in dubio aliorum factorum quàm homicidii perpetrati; ergo, etc. Undè qui dubitat an alium mutilaverit, vel qui dubius de suâ excommunicatione celebrat, non est irregularis.

Dividitur 2.° in *perpetuam* et in *temporalem* : prior solâ dispensatione tollitur, talis est irregularitas ex homicidio; posterior et dispensatione

et temporis lapsu tollitur, talis est quæ ex defectu ætatis oritur.

Dividitur 3.° in *totalem*, quæ perpetuò excludit à quolibet Ordine suscipiendo vel exercendo, v. g., irregularitas homicidii, bigamiæ; et in *partialem*, quæ non omni privat Ordinis ministerio, sed aliquo tantùm, vel solùm arcet ab ascensu ad superiorem Ordinem, v. g., amissio pollicis, vel oculi sinistri in Diacono. *Nota* totalem esse irregularitatem quam incurrunt laici sive ex defectu, sive ex delicto, et Clerici qui incidunt in casum cui purè et simpliciter annexa est irregularitas.

ARTICULUS III.

Quis irregularitatem statuere possit et tollere.

1.° Soli Concilio generali vel Summo Pontifici jus competit instituendæ irregularitatis : ita omnes. Quòd generale Concilium et Sum. Pontifex irregularitates constituere possint, patet quia ab illis reipsâ plurimæ sunt institutæ. Quòd autem nulli alteri conveniat hæc potestas, *prob.* quia nulla est irregularitas nisi Jure communi expressa: at Jus commune canonicum constituere nemo potest, præter Papam et œcumenicum Conc.; ergo, etc. Undè irregularitas nunquàm fertur ab homine per sententiam, sed solùm à Jure per canonem seu legem universalem, idque ipso facto, ita ut nullâ opus sit Judicis sententiâ, vel declaratione.

2.° Episcopus cum suis subditis dispensare potest in omni irregularitate proveniente ex delicto occulto, nec ad forum contentiosum deducto, exceptâ eâ quæ oritur ex homicidio voluntario. Ita sancivit Conc. Trid. Sess. 24, cap. 6.

Item, cum illegitimo, ad Ordines Minores, et Beneficium simplex non requirens Majorem Ordinem, cap. 1 *De Filiis Presb.*, in Sexto; et in Bigamiâ similitudinariâ, cap. 4 *De Cleric. conjug.*

In aliis omnibus solus Papa dispensare potest, vel qui ab eo privilegium accepit.

Confessarius autem, si facultatem dispensandi super irregularitate obtinuerit, post datam absolutionem à peccatis, hâc utetur formâ, quam præscribit Rituale Romanum : *Et eâdem auctoritate, dispenso tecum super irregularitate* vel *irregularitatibus, in quam* vel *in quas incurristi, et habilem reddo, et restituo te exsecutioni Ordinum et Officiorum tuorum, in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs Sancti. Amen.* Si pœnitens Ordine sacro careat, dicendum est : *Habilem reddo te ad omnes Ordines suscipiendos.*

Nota autem quòd, licèt Sacerdos simpliciter approbatus, super irregularitate dispensare nequeat, potest tamen à peccatis irregularitatem annexam habentibus, si illa non sint reservata, absolvere. Irregularitas enim adjuncta et permanens absolutionis effectum non impedit, nec arcet à sacramentorum perceptione, excepto Ordine.

CAPUT II.

Quænam sint Irregularitates ex defectu.

Plures communiter numerantur defectus, propter quos aliquis irregularis esse potest, scilicet : 1.° defectus natalium, 2.° defectus corporis, 3.° defectus animi seu mentis, 4.° defectus ætatis,

5.°

5.° defectus libertatis, 6.° defectus famæ, 7.° defectus sacramenti seu bigamia, 8.° defectus lenitatis. De quibus omnibus seorsìm agendum est.

ARTICULUS PRIMUS.

De Defectu Natalium.

PROPOSITIO PRIMA.

Irregulares sunt omnes filii illegitimi, quâcunque ratione sint illegitimi, etiamsi sint occulti.

Ratio sumitur ex pluribus Decretis Juris Canonici, v. g., ex cap. 1 et 2 *De Filiis Presbyterorum*, idque convenienter statutum fuit, 1.° ob reverentiam sacri ministerii, 2.° propter detestationem sceleris paterni, 3.° ob metum ne filii paternæ incontinentiæ imitatores sint.

Quæres 1.° utrùm sit illegitimus ac proindè irregularis, qui natus est ex matrimonio invalido; an verò legitimus quicunque ex valido procreatus est matrimonio.

Resp. ad 1.um illum haberi pro legitimo, si matrimonium celebratum fuerit in facie Ecclesiæ, id est, coram Parocho et testibus, et cum bonâ fide, saltem unius contrahentium, ut habetur cap. *Ex tenore*, Qui filii sint legit.

Resp. ad 2.um illegitimos reputari et irregulares, qui ex legitimo quidem matrimonio suscepti sunt, sed cujus usus illicitus evasit per solemne castitatis votum, seu in Ordinis sacri susceptione, seu in Professione religiosâ legitimè emissum, ex cap. 14 *De Filiis Presb.*

Quæres 2.° utrùm pro illegitimo et pro irregulari habendus sit, qui fuit expositus.

Resp. infantes expositos absque dispensatione

ad Ordines non esse admittendos, quia admodùm probabile est illos esse illegitimos. Advertendum tamen quòd, ex plurimorum Doctorum sententiâ, Episcopus potest dispensare in hoc casu.

PROPOSITIO II.

Tribus modis tolli potest Irregularitas proveniens ex defectu natalium, 1.° religionis professione; 2.° legitimatione; 3.° dispensatione.

Et 1.° quidem constat irregularitatem ex defectu natalium per religionem tolli, ut colligitur ex cap. 1 *De Filiis Presb.* Advertendum tamen quòd tollitur tantùm irregularitas in hoc casu, quoad Ordines, non verò quoad Prælationes et dignitates, saltem extra religionem.

2.° Constat impedimentum illegitimitatis tolli per legitimationem canonicam, quæ legitimatio potest fieri duobus modis : 1. ab homine, scilicet à Sum. Pontifice, ad quem solum pertinet legitimare quoad spiritualia, id est, aliquem reddere habilem ad Ordines, Beneficia, etc., perindè ac si esset legitimus. 2. Legitimatio fit à Jure, ut habetur in cap. *Tanta*, titulo *Qui filii sint legit.*, ubi dicitur filios illegitimos naturales legitimari per subsequens matrimonium parentum, dummodò tempore conceptionis filiorum, ipsi parentes fuerint habiles ad contrahendum matrimonium, nec habuerint ullum impedimentum dirimens.

3.° Constat, non obstante et durante illegitimitate, posse Summ. Pontificem dispensare, quoad Ordines et quoad Beneficia, etiam Curata. Item, permittitur Episcopis dispensare in hoc defectu

illegitimitatis quoad Ordines Minores et Beneficia simplicia, quæ non requirunt Ordines sacros. Ita enim habetur cap. 1 *De Filiis Presb.* Utrùm autem Episcopi dispensare queant quoad effectum canonicatûs possidendi, controversia est inter Doctores. Cæterùm, in hâc dispensatione petendâ, exprimendum est an illegitimus prognatus sit ex soluto et solutâ; ex solutâ et conjugato; an ex Sacerdote vel laico.

ARTICULUS II.

De Defectu Corporis.

Illud corporis vitium irregularitatem inducit, quod vel impedit exercitium, vel functiones Ordinis, vel magnam affert indecentiam aut notabilem deformitatem, vel horrorem aut scandalum aliis generat. Ita omnes Canonistæ evidenter colligunt ex titulo, *De corpore vitiatis, et de Clerico ægrotante*, et ex distinctione 55.

Hinc censentur irregulares, 1.° cæci, vel qui uno oculo cum magnâ deformitate privati sunt, vel qui carent oculo sinistro, qui dicitur oculus Canonis, præsertim si sine deformitate notabili sacrificium celebrare non possunt. 2.° Qui sunt utrâque aure surdi, item muti, aut qui tantam habent loquendi difficultatem, ut risum penè invitis moveant. Similiter, qui carent naso, vel labiis, vel auribus, vel uno pede, quorum defectus magnam habet deformitatem, et occultari non potest. 3.° Qui tali manuum, aut digitorum, vel pedum debilitate laborant, ut non possint sine periculo ministrare, vel baculo indigeant ad altare. Item, quibus pollex mutilatus fuit, vel sic truncatus fuit, ut unâ cum indice non possint hostiam elevare, et frangere. 4.° Monstruosi, vel staturâ, ut gigantes

aut pygmei; vel membris notabilibus, v. g., tres manus aut duo capita habentes; vel sexu, ut hermaphroditi. Item, qui propriâ suâ culpâ eunuchi facti sunt, vel seipsos absque justâ causâ penitùs aut ex parte mutilàrunt. 5.° Deniquè paralytici, aut simili morbo incurabili, et gravem debilitatem aut deformitatem afferente, afflicti. Item, leprosi, vel usque ad horrorem scabiosi, vel qui faciem habent ustulatam, aut multùm deformiter maculatam. Item, qui magnâ cum deformitate sunt gibbosi, ètc.

Advertendum 1.° quòd hæc irregularitas solâ Summi Pontificis dispensatione tolli potest; imò interdùm talis est deformitas vel inhabilitas ad receptionem Ordinum, ut dispensari nec debeat, nec soleat. Quamvis autem Episcopus ab hujusmodi irregularitate non possit dispensare, tamen in dubio utrùm deformitas vel inhabilitas ita sit notabilis, ut irregularitatem inducat, ipsius arbitrio relinquitur de hoc judicare, cap. 1 et 2 *De corpore vitiatis*.

Advertendum 2.° quòd, si defectus corporis suprà numerati superveniant Clerico jam ordinato, solùm inducunt irregularitatem ad illum usum Ordinis, qui sine indecentiâ vel periculo exerceri non potest, v. g.: si Sacerdos cæcus fiat, non poterit quidem celebrare, et alias aliorum Ordinum functiones exercere, sed tamen poterit audire confessiones; è contrà verò, si surdus fiat, poterit celebrare, non tamen audire confessiones. Si autem cæcitas vel surditas præcessisset Ordinationem, nullum Ordinem, imò nec Tonsuram, licitè accipere potuisset; sic enim sacri Canones ipsos pronuntiant irregulares, ne fiant Clerici.

ARTICULUS III.

De Defectu Animi.

PROPOSITIO.

Triplex animi defectus irregularitatem inducit, scilicet : 1.° defectus usûs rationis, 2.° defectus scientiæ qualem sacri Canones requirunt, 3.° defectus fidei confirmatæ.

Ac 1.° quidem ex defectu usûs rationis irregulares sunt, 1. amentes habitualiter ex læsione organorum, non autem solùm ex causâ transeunte, v. g., febre vehementi, ut patet ex cap. *Maritum*, distinctione 33. 2. Irregulares sunt lunatici qui per temporum intervalla amittunt usum rationis. 3. Epileptici qui caduco morbo vel semel correpti fuerint. 4. Arreptitii qui à dæmone vexantur.

Hi autem, ex dispositione canonum, repelluntur à susceptione Ordinum, non solùm quandiù tales sunt, sed etiamsi sanati videantur, quia rarò aut nunquàm constare potest de perfectâ sanatione. Prætereà, repelluntur etiam ab exercitio Ordinum susceptorum, nisi ab aliquo tempore, juxta Episcopi arbitrium determinando, liberi fuerint ab ejusmodi defectu, ut colligitur ex cap. *Communiter*, distinctione 33.

2.° Ex defectu scientiæ irregulares sunt illiterati, durante imperitiâ, ut patet ex cap. *Illiteratos*, distinctione 36; et hoc contingit quandò ignorant ea quorum notitiam sacri canones requirunt ad susceptionem Ordinum : de quo videri potest Conc. Trid. Sess. 23, cap. 4 de Reform.

3.° Deniquè ex defectu fidei confirmatæ irre-

gulares sunt Neophyti, id est, adulti recenter conversi ad fidem christianam ex Paganismo, vel Judaismo, idque donec Episcopi judicio judicentur digni ut ad Sacerdotium promoveri possint sine periculo; ne in superbiam elati, in judicium incidant diaboli, ut habetur I Tim. c. 3; et cap. 1 et 2 distinctionis 48.

ARTICULUS IV.

De Defectu Ætatis.

PROPOSITIO.

Irregulares sunt qui non habent ætatem legitimam per Canones requisitam ad Ordines.

Prob. ex Conc. Trid. Sess. 23, de Reformatione, cap. 12, et Clementinâ ultimâ, *de Ætate et Qualitate Ordinandorum.*

Ex quo sequitur, 1.° quòd, ante ætatem à canonibus requisitam, illicita sit susceptio Ordinum, et graviter peccet, v. g., qui Subdiaconatum suscipit ante 22 annum, et Diaconatum ante 23, et Presbyteratum ante 25 inchoatum.

2.° Sequitur quòd, si quis ante ætatem requisitam Ordines susceperit, non possit exercere, ut docent communiter Canonistæ ex Conc. Trid. sup. citato, et Clementinâ ultimâ, *de Ætate et Qualitate Ordinandorum,* etc., et aliis Decretis distinctionis 78.

Irregularitas orta ex defectu ætatis cessat adveniente legitimâ ætate; antequàm verò ea ætas adveniat, ipsa irregularitas tolli non potest, nisi Summi Pontificis dispensatione, qui vix ad plures quàm ad duos annos dispensat.

ARTICULUS V.

De Defectu Libertatis.

PROPOSITIO.

Ex defectu libertatis irregulares sunt, 1.° *conjugati,* 2.° *servi,* 3.° *ad ratiocinia obligati.*

Ac 1.° quidem conjugati non possunt Ordines suscipere, sine consensu uxoris religionem profitentis, vel saltem de licentiâ Episcopi castitatem in seculo voventis, ita enim volunt sacri canones : undè si quis conjugatus contrà fecerit, suspensus erit ab usu Ordinis suscepti, et à superiorum susceptione, atque ab omni Officio et Beneficio ecclesiastico.

2.° Servi seu mancipia, gallicè *Esclaves*, irregulares sunt durante servitute, et domino expressè vel tacitè non consentiente in eorum Ordinationem, ut constat ex titulo, *de Servis non ordin.*

3.° Deniquè irregulares sunt qui Officio Curiali et obligatione ad ratiocinia tenentur, ut constat ex cap. unico, *de Obligatis ad ratiocinia non ordin.* : undè qui administrationem publicam gerunt, vel etiam privatam, ex communi sententiâ; item qui curam habent temporalium ac secularium rerum alterius, cum obligatione reddendi rationem peracti muneris, v. g., thesaurarii vel depositarii publici, tutores, etc., hi, inquam, omnes arcentur à recipiendis Ordinibus, quandiù manent obligati ad reddendam rationem, quia tandiù censentur implicati negotiis secularibus.

In dubio autem utrùm aliquis sit ita obligatus

ad ratiocinia, ut Ordines suscipere non possit, ad Episcopum pertinet judicare, utrùm sit irregularis, necne: si autem verè sit irregularis, solus Papa dispensare potest.

Advertendum autem quòd obligatio ad ratiocinia, si homini jam ordinato superveniat, probabiliter non inducit irregularitatem, nec privat usu Ordinum jam susceptorum, quia Jura loquuntur tantùm de obligato ad ratiocinia non ordinato, ut scilicet promoveri non possit.

Atque hæc ex Jure communi; in Galliâ quippe Curiales et Officiales Regii ordinari possunt, retentis etiam officiis, si ea cum muneribus ecclesiasticis sint compatibilia; item et administratores bonorum Ecclesiæ, vel cujuslibet alterius piæ causæ, sicut et qui legitimam proximorum agnatorum tutelam susceperunt. Imò generatìm docent plurimi istam apud nos nullatenùs vigere irregularitatem, aut, si quæ supersit, ab Episcopo relaxari posse. Ita *Gohard, tom.* 1, *pag.* 310, et *Gibert*, de Irregul. *pag.* 681.

ARTICULUS VI.

De Defectu famæ.

Notandum aliam esse infamiam *Juris* et aliam *facti.*

Infames infamiâ *Juris* vocantur illi qui infames sunt ex Jure, seu ex aliquâ lege infamiam imponente certis delictis vel pœnis vel officiis. Hoc autem potest dupliciter fieri, 1.° per sententiam Judicis juridicè condemnantis reum ad pœnam infamantem, v. g., ad triremes, ad exilium, ad mulctam pecuniariam in materiâ criminali, ad numellas publicas, etc., licèt istud

fiat ob crimina quæ in Jure infamiam non important. Imò in Galliâ corporis comprehensio decreta sufficit ad infamiam juridicam, *Gibert, pag.* 759, 761. 2.° Infamia incurritur ipso facto, et ante sententiam Judicis, propter aliquod aliud crimen cui per legem annexa est infamia ipso facto incurrenda.

Infames infamiâ *facti* illi sunt quorum fama et existimatio apud viros prudentes graviter imminuta est ac læsa, ob publicam divulgationem criminis commissi et non emendati per pœnitentiam cognitam.

PROPOSITIO PRIMA.

Infames infamiâ Juris irregulares sunt et inhabiles ad susceptionem et exercitium Ordinum.

Ita communiter omnes Canonistæ, ex cap. *Infames*, causâ 6, quæst. 1, et alibi. Et certè omninò decebat ut ad sacrum ministerium Ecclesia non admitteret nisi puros, irreprehensibiles, ac boni testimonii viros, juxta Apost. I ad Timoth. c. 3.

Plurima sunt crimina in Jure quæ infames reddunt, v. g. : duello decertantes, eorumque patrini infames sunt ex Conc. Trident.; item mulierum raptores, et ad id consilium, auxilium vel favorem præbentes; item gladiatores, usurarii publici; sicut et committentes crimina lenocinii; item histriones irregulares sunt.

Advertendum autem quòd si crimina quæ ex dispositione legum infames reddunt, sint occulta, tunc multi Doctores censent requiri sententiam declaratoriam, antequàm infamia incurratur.

PROPOSITIO II.

Infames infamiâ facti sunt etiam irregulares.

Hæc propositio probatur iisdem rationibus ac prima.

Advertendum autem esse discrimen inter infamiam Juris et infamiam facti, quòd quandò est vera et sincera emendatio, tunc cessat infamia facti; at non ita est de infamiâ Juris, quæ tolli non potest, nisi per dispensationem Summi Pontificis.

Advertendum præterea, esse quasdam personas adeò vilis conditionis, ut, quamvis nec Jure nec facto sint infames, tamen ad Ordines admitti non debeant, ut sunt, v. g., qui actu exercent artem Macellariam, Cloacariam, Funambulariam, et à fortiori Carnificinam, non tamen filii.

ARTICULUS VII.

De Bigamiâ seu de Defectu Sacramenti.

Notandum 1.° bigamiam esse quandò quis cum duabus vel pluribus uxoribus matrimonium contraxit licitè, sive ante, sive post Baptismum.

Notandum 2.° triplicem esse bigamiam, 1. scilicet quæ dicitur *vera* et *realis*, et est ea quam mox definivimus, cùm quis duas vel plures uxores duxit.

2. Bigamia, quæ dicitur *interpretativa*, est cùm quis matrimonium contraxit cum muliere non virgine, v. g., cum viduâ. Quidam auctores vocant etiam bigamiam interpretativam, cùm quis propriam uxorem cognoscit post adulterium ab ipsâ patratum. Docent etiam esse bigamiam

interpretativam, cùm quis jam conjugatus, post consummatum matrimonium, aliud invalidè contrahit et consummat cum aliâ muliere.

3. Quæ vocatur *similitudinaria*, est cùm quis, post matrimonium spirituale per votum solemne castitatis in professione religionis approbatæ, vel etiam in Ordine sacro, posteà contrahit vel potiùs contrahere attentat, et consummat matrimonium etiam cum virgine, ut patet ex cap. *Quotquot*, causâ 27, quæstione 1.

PROPOSITIO.

Bigamia vera seu realis, interpretativa, et etiam similitudinaria irregularitatem inducit.

Ratio est quia ita fuit statutum ab Ecclesiâ, ut patet ex titulo *De Bigamis non ordin.*; idque statutum fuit ob defectum sacramenti, seu sacræ significationis, quia secundum matrimonium non perfectè repræsentat unionem Christi cum Ecclesiâ, scilicet unius cum unâ, et virginis cum virgine. Illa irregularitas instituta fuit ob signum incontinentiæ quod reperitur in secundo matrimonio, quamvis licito.

Advertendum 1.° bigamos non solùm incurrere irregularitatem quâ privantur susceptione et usu Ordinum, ut constat ex cap. *Sanè*, de Clericis conjugatis, et ex Conc. Trid. Sess. 23, cap. 17 de Reformatione; sed etiam privantur omni privilegio clericali, imò et prohibentur deferre Tonsuram et habitum clericalem, ut patet ex cap. unico, *De Bigamis*, in Sexto. Quod tamen intelligi non debet de Clericis qui sunt in sacris constituti; nam illi, propter reverentiam Ordinum, nunquàm privantur omni privilegio clericali, neque habitu et Tonsurâ, donec degradentur.

Advertendum 2.° irregularitatem bigamiæ tolli non posse, nisi per dispensationem Summi Pontificis, saltem quod attinet ad susceptionem et usum Ordinum Majorum. Conceditur tamen Episcopis potestas dispensandi in bigamiâ similitudinariâ, non solùm ut qui eam contraxerunt, peractâ pœnitentiâ, suis Ordinibus utantur, sed etiam ut ad altiorem gradum promoveri possint, ut patet ex cap. 4 *de Clericis conjugatis.*

ARTICULUS VIII.

De Defectu Lenitatis.

PROPOSITIO PRIMA.

Irregulares sunt ex hoc defectu, qui in bello etiam justo propriâ manu occidunt vel mutilant.

Prob. ex cap. *Petitio tua,* de Homicidio voluntario.

Ratio autem cur instituta fuerit ab Ecclesiâ hæc irregularitas, est quia indecens visum fuit quòd hi qui, quamvis licitè, cruentas manus in alieno sanguine immerserunt, ad altaris ministerium accederent, et Agni mansuetissimi incruentam oblationem peragerent.

Dixi, *in bello etiam justo,* si enim bellum esset injustum, incurreretur irregularitas alterius rationis, scilicet ex delicto. Præthereà, si bellum esset evidenter injustum, omnes in eo militantes, ex communi sententiâ, incurrerent irregularitatem, si in eo bello contingant homicidia vel mutilationes, etiamsi propriis manibus non effundant sanguinem.

PROPOSITIO II.

Illi sunt irregulares qui tanquam Ministri justitiæ cooperantur ad causam sanguinis, quoties ratione cooperationis sequitur, vel acceleratur mors aut mutilatio.

Prob. ex cap. *Clericis*, cap. *Sententiam*, titul. *Ne Clerici vel Monachi*, et cap. *Episcopus*, eodem titulo, in Sexto.

Ministri autem justitiæ sunt, non solùm Judices aut Procuratores Regis in causâ sanguinis, sed etiam, in communi Doctorum sententiâ, accusatores, vel testes voluntarii, vel captores rei, vel ejusdem rei in manus Judicis traditores. Aliqui etiam addunt Advocatos, Procuratores in causâ sanguinis; item eos qui dictant, scribunt, signant litteras pro vindictâ sanguinis destinatas.

Advertendum autem quòd ut ii incurrant irregularitatem ex defectu lenitatis, quatuor requiruntur conditiones.

1.° Requiritur ut mors rei vel mutilatio de facto sequatur, non enim sufficit verberatio, etiam usque ad sanguinem; nec parcus victus in pane et aquâ, nec perpetuus carcer.

2.° Requiritur ut cooperatio ad mortem vel mutilationem sit aliquo modo notabilis, et non multùm remota : inter hujusmodi autem cooperatores excipiuntur Superiores Ecclesiastici, quandò leges pœnales et capitales ferunt contra malefactores in genere, vel quandò Clericum degradatum tradunt Judici seculari; excipiuntur etiam Clerici, qui in propriâ causâ deferunt vel accusant malefactorem, cum expressâ protestatione quòd vindictam seu pœnam sanguinis non

intendunt, sed emendationem vel compensationem, vel ut in posterum talia contra ipsos non præsumantur. Ita conceditur, cap. *Prælatis*, de Homicidio, in Sexto.

3.° Requiritur ut ad mortem cooperatio sit voluntaria, saltem in susceptione officii : undè quicunque cooperantur causæ sanguinis, v. g., accusando, testificando, vel capiendo reum, quandò ad hoc obligantur lege charitatis vel justitiæ, vel obedientiæ, v. g., ad præcavendum alterius malum pendens in futurum, quod aliter præveniri non potest, illi, inquam, non incurrunt irregularitatem; non enim putatur Ecclesiam voluisse prohibere observationem charitatis et auxilium proximi. Nec opponèndum est Judicem excusandum fore, quia tenetur ex officio et ex justitiâ sententiam ferre; quia Judex non tenetur absolutè, sed solùm ex hypothesi quòd retineat officium, quod potest dimittere, et ita nulla est necessitas et absoluta obligatio.

4.° Requiritur ut cooperatio sit justa; quia si esset injusta, jam non ex defectu lenitatis, sed ex delicto homicidii incurreretur alia irregularitas.

Addendum 1. irregularitatem ex defectu lenitatis non incurri ex homicidio vel mutilatione ante Baptismum commissis, quia Jura de solis baptizatis loquuntur, cap. 8 et 61, dist. 50 : ita et communiter Doctores. 2. Neminem incurrere irregularitatem ex justâ cooperatione, nisi cooperetur tanquam publicus justitiæ Minister, vel ad causæ probationem, vel ad sententiæ prolationem, vel ad exsecutionem; quia omnes canones qui citantur pro statuendâ irregularitate ex defectu lenitatis, videntur tantùm loqui de

publicis justitiæ Ministris, et ideò, inquiunt illi Doctores, probabile est ad alios extendi non debere.

Porrò advertendum est quòd omnibus Clericis, præsertìm in sacro Ordine constitutis, ita prohibitum est exercitium artis chirurgicæ, ut si, eam exercendo, per incisionem vel adustionem causa sint mortis alicujus, irregulares efficiantur ex defectu lenitatis, ut constat ex cap. *Sententiam*, tit. *Ne Clerici vel Monachi*, et ex cap. *Tua nos*, de Homicidio voluntario, ubi idem docet Glossa; excipitur tamen casus necessitatis in quo ipsum jus naturale et pietas id exigeret, v. g., si Chirurgus alius præter Clericum non adesset, qui curationem homini periclitanti adhiberet, quod satis rarum est.

CAPUT III.

Quænam sint Irregularitates ex delicto.

SEPTEM numerantur delicta, ex quibus oritur irregularitas : 1.° homicidium, 2.° mutilatio suî vel alterius, 3.° Ordinum illegitima susceptio, 4.° Ordinum indebita usurpatio, 5.° Ordinum indigna administratio contra censuram, 6.° Baptismi indebita susceptio, scilicet vel iterata, vel ab hæretico, 7.° aliqui addunt hæresim.

ARTICULUS PRIMUS.

De Delicto Homicidii.

PROPOSITIO.

Irregularitas incurritur ex homicidio injusto seu culpabili, sive directè, sive indirectè volitum sit, sive physicè agendo, sive moraliter cooperando.

Ita colligunt Doctores ex Jure canonico multis in locis, præcipuè verò distinctiône 50, cap. 4, 5, 6 et 8, et ex toto titulo de Homicidio.

Dixi 1.° *ex homicidio culpabili*, idque etiam mortaliter; culpa enim venialis non sufficit pro tantâ pœnâ, et multò minus esset irregularis, qui sine ullâ culpâ alium occideret, vel in amentiâ, vel cum moderamine inculpatæ tutelæ, id est, non excedendo id quod requiritur ad justam vitæ defensionem; undè etiam medici et chirurgi laici non fierent irregulares, etiamsi causa sint mortis alicujus, dummodò diligentiam et peritiam necessariam adhibuerint.

Dixi 2.°, *irregularitatem incurri ex homicidio, sive homicidium sit directè volitum, sive indirectè :* homicidium autem *directè* voluntarium illud est, quod directè et expressè intenditur, et vocatur etiam in can. homicidium per insidias factum, vel ex meditatione odii. Homicidium *indirectè* voluntarium illud est, quandò quis vel actionem exercet ex quâ cognoscit hominis occisionem non raro evenire, vel quandò actionem omittit quam tenetur exercere, ex cujus omissione homicidium sequitur : v. g., nauta qui non tantum adhibet conatum quantum debet, ex quâ negligentiâ et omissione naufragium sequitur.

Dixi 3.°, *sive homicidium patratum sit physicè agendo, sive moraliter cooperando;* qui enim actione physicâ, v. g., inflicto vulnere, vel actione morali, v. g., consilio, mandato, influxit in homicidium, est verè homicida et irregularis ex can. *Si quis viduam*, distinct. 50, et ex cap. *Sicut dignum*, de Homicidio. Idem dicendum de non impediente homicidium, quandò ex justitiâ impedire tenetur. È contrà verò vulnerans non erit irregularis, si mors non sequatur.

Porrò advertendum est quòd, licèt in Conc. Trid. Sess. 24, cap. 6, concessa fuerit Episcopis potestas dispensandi super omnibus irregularitatibus ex occulto delicto provenientibus, excipitur tamen illa quæ oritur ex homicidio voluntario, imò est quodammodò indispensabilis ex Trid. Sess. 14, cap. 7 de Reformatione.

Advertendum præthereà quòd si homicidium patratum sit cum excessu moderationis, suam defendendo vitam, tunc ad Episcopum recurrendum sit, sicut in omnibus dubiis quæ circa irregularitatem oriri possunt.

Quæres utrùm homicidium casuale inducat irregularitatem.

Resp. homicidium omninò fortuitum et casuale et nullatenùs in causâ vel in se volitum et proindè inculpabile, non inducere irregularitatem; si autem illud homicidium, quod vocatur etiam casuale, sit indirectè volitum, sanè irregularitatem inducet.

Advertendum deniquè illam irregularitatem ex delicto homicidii vel mutilationis, contrahi solùm ex homicidio et mutilatione post Baptismum commissis.

ARTICULUS II.

De Delicto Mutilationis.

PROPOSITIO.

Ex mutilatione culpabili suî vel alterius incurritur irregularitas.

Ratio est quia in Jure mutilatio æquiparatur occisioni, sive illa mutilatio sit directè volita, sive solùm indirectè, sive moraliter, sive physicè patrata, ut videre est in Jure canonico, præsertìm in Clementinâ unicâ *de Homicidio*, et cap. *Is qui*, de Homicidio, in Sexto.

Porrò mutilatio dicitur, vel totalis abscissio membri alicujus habentis distinctam functionem in corpore animato, vel etiam, in probabili sententiâ, notabilis diminutio membri, ut colligitur ex cap. 1 *de Clericis pugnantibus in duello.* Undè

Colligitur 1.° sufficere ad irregularitatem non solùm oculum, manum, vel pedem alteri abscindere, sed etiam, ex probabiliori sententiâ, cartilaginem nasi vel aurium; item unum ex digitis, præsertìm ex majoribus.

Colligitur 2.° non sufficere ad irregularitatem abscindere alteri extremum tantùm auriculæ vel digiti, vel aliquos dentes evellere.

Dico, *alteri*, quia si quis sibi vel partem digiti volens abscinderet sine causâ, esset irregularis. Item juxta canones irregularis est ille qui suâ culpâ fit eunuchus.

Porrò obiter notandum est quòd qui nascitur eunuchus non sit irregularis, sicut nec ille qui absque culpâ suâ factus est eunuchus, v. g., pro curando aliquo morbo.

ARTICULUS III.

De Delicto illegitimæ susceptionis Ordinum.

Irregularis est ille 1.° qui cùm sit uxoratus, extra casus in Jure permissos, suscipit Ordines, ut jam suprà consideravimus. 2.° Qui furtivè Ordines suscipit, id est, qui, ignorante Episcopo, per dolum se ingerit ordinandorum numero, v. g., usurpando nomen alterius ritè examinati et admissi : ita videtur omninò colligi ex cap. 1, 2 et 3 *De eo qui furtivè*, etc., ubi sic Ordinem suscipiens expressè dicitur impeditus ne ad superiorem Ordinem promoveri possit sine dispensatione, quod est signum manifestum irregularitatis.

Advertendum tamen alias irregularitates ex illo delicto provenientes, à quibusdam Doctoribus afferri : sed potiùs sunt suspensiones quàm irregularitates.

ARTICULUS IV.

De Delicto usurpationis indebitæ Ordinum.

PROPOSITIO.

Qui seriò, scienter et solemniter ministrat in Ordine sacro quem non habet, irregularitatem incurrit.

Ita habetur capite 1 *De Clerico non ordinato ministrante.*

Dixi 1.°, *seriò*, quia si tantùm fiat ad discendum vel repræsentandum, non incurritur irregularitas.

Dixi 2.°, *scienter*, quia citati canones supponunt temeritatem ac præsumptionem : undè non

foret irregularis qui ministraret in Ordine quem non habet, credens se illum habere, vel ministerium quod exercet esse sui Ordinis.

Dixi 3.°, *solemniter*, quia si ministret eo modo quo à laicis fieri potest, seu sine solemnitatibus requisitis ad hoc ut quis dicatur ministrare ex officio, ut si quis cantet Epistolam sine manipulo, vel Evangelium sine stolà, non dicitur propriè ministrare in Ordine, nec exercere functionem Diaconi vel Subdiaconi, sed solùm officium simplicis Cantoris.

Dixi 4.°, *in Ordine sacro*, quia etiam laici in Ordinibus minoribus, adhibitis etiam vestibus ecclesiasticis, alicubi ministrare solent.

Dixi 5.°, *in Ordine quem non habet*, v. g., si Subdiaconus solemniter baptizet, vel aliquis non Sacerdos, sacramentaliter absolvat, ministret Extremam Unctionem, quia hæc sunt propria Sacerdotii munera, tunc irregularitatem incurret, etiamsi hæc faciat sine superpelliceo vel stolà.

Porrò, licèt irregularitas ex eo delicto contracta sit perpetua quoad ascensum ad superiores Ordines, et indispensabilis ab Episcopo, nisi delictum sit occultum; tamen, quoad usum Ordinum susceptorum ante hoc delictum, vel nulla est irregularitas, sed sola suspensio ab usu Ordinis suscepti, idque ad tempus biennii vel triennii, prout voluerit Episcopus, ut colligitur ex cap. 2 *De Clerico non ordinato ministrante*; vel, si est irregularitas, conceditur Episcopo dispensandi potestas post biennium, quoad usum Ordinum susceptorum.

ARTICULUS V.

De Delicto violatæ censuræ per exercitium Ordinis.

PROPOSITIO.

Clericus fit irregularis, quoties culpabiliter, id est, sine justâ necessitate violat majorem excommunicationem, vel suspensionem, vel interdictum, exercendo actus proprios Ordinis sacri quem habet.

Ita communi consensu Doctores colligunt ex titulo *De Clerico excommunicato ministrante*, præsertìm ex cap. *Si celebret*, ex pluribus aliis decretis Juris canonici, interpretante etiam communi Ecclesiæ usu.

Advertendum 1.° violationem minoris excommunicationis non inducere irregularitatem, ex cap. citato, *Si celebret*, de Clerico excommunicato.

Advertendum 2.° irregularitatem incurri per violationem suspensionis et interdicti, non solùm quandò sunt censuræ propriè dictæ, sed etiam quandò per modum pœnæ imponuntur ad certum tempus, v. g., ad annum vel mensem, ut constat ex cap. 1 *De Sententiâ et Re judicatâ*, in Sexto, et cap. quoque 1 *de Sent. Excomm.*, in Sexto.

Advertendum 3.° rem esse dubiam et controversam, an scilicet irregularitatem incurrat qui, cùm sit ab Ordine suspensus, ascendit ad superiorem Ordinem; non enim constat susceptionem Ordinis superioris esse propriè exercitium inferioris.

Advertendum 4.° quòd in hâc irregularitate

possunt Episcopi dispensare, si delictum sit occultum, ut sæpè diximus, ex Conc. Trid. Delictum autem erit occultum, si vel publicè nota non sit censura, vel actus Ordinis occultè tantùm factus sit contra censuram.

ARTICULUS VI.

De Delicto iterati vel ab hæretico suscepti Baptismi.

Irregularis efficitur 1.° qui voluntariè, et extra casum necessitatis, ab hæretico (declarato scilicet et ut tali cognito) se baptizari sinit, ut patet ex cap. *Qui in quâlibet ætate,* causâ 1, quæstione 7.

2.° Ille est irregularis qui, cùm sit validè baptizatus, seipsum sciens et volens permittit iterùm baptizari, ut constat ex cap. citato.

3.° Irregularitatem contrahit qui scienter validè baptizatum rebaptizat, aut rebaptizanti ex officio tanquam Acolythus ministrat, ut probatur ex cap. 2 *de Apostatis,* ubi tamen simpliciter nec totalis imponitur irregularitas, sed partialis solùm, impediens scilicet ascensum ad superiores Ordines, imò non videtur imponi, nisi hoc delictum sit publicum.

Multi autem Doctores ab eâ irregularitate excusant rebaptizantes sub conditione, etiamsi id temerè faciant, et sine sufficienti ratione dubitandi, ac sine prævià inquisitione de validitate Baptismi, et etiamsi peccent mortaliter rebaptizando : sed huic sententiæ et excusationi expressè repugnat Catechismus Conc. Trident. part. 2, num. 56; et præthereà, ex usu Ecclesiæ, dicuntur absolutè rebaptizare, qui sic temerè rebapti-

zant, ideòque videntur etiam irregularitatem contrahere, si delictum sit publicum.

ARTICULUS VII.

De Delicto Hæresis.

Multi Doctores, negantibus tamen pluribus aliis, censent ex hæresi vel apostasiâ à fide nullam incurri irregularitatem nisi ratione *Infamiæ*, quandò hoc delictum fit publicum vel per sententiam Judicis, vel per confessionem rei in judicio, vel per evidentiam facti. Quidquid sit, in Galliâ, Hæretici, v. g., Calvinistæ, et à fortiori eorum filii, pro irregularibus non habentur, et ideò eos ad fidem conversos Episcopi ordinare solent sine dispensatione Sum. Pontificis.

Deniquè alii Doctores referunt multa alia delicta, v. g., simoniam, sacrilegium, magiam, etc., ex quibus sentiunt oriri irregularitatem, sed absque expresso Jure : solùm igitur per ea crimina inducitur irregularitas ratione *Infamiæ* quam afferunt; quod, ut suprà diximus, commune est omni peccato gravi.

Cæterùm, animadvertendum est, ut jam diximus, quòd dispensatio irregularitatis ex defectu, reservatur summo Pontifici : Episcopi verò, ex Conc. Trid. Sess. 24, cap. 6, dispensare possunt super irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus, exceptâ illâ quæ oritur ex homicidio occulto.

TRACTATUS

DE INDULGENTIIS

ET DE PURGATORIO.

Cùm utrumque, Indulgentiæ et Purgatorium, pertineat ad satisfactionem pro pœnâ temporali peccatis debitâ, hæc duo hìc conjungimus, breviter de iis duplici capite acturi.

CAPUT PRIMUM.

De Indulgentiis.

In hoc primo capite octo erunt articuli : adstruemus in 1.° penes Ecclesiam esse thesaurum Indulgentiarum ex Christi et Sanctorum satisfactionibus compositum, et in Ecclesiâ potestatem Indulgentias concedendi; in 2.° quid et quotuplex sit Indulgentia discutiemus; in 3.° dicemus de iis qui in Ecclesiâ possunt Indulgentias dispensare; in 4.° quis eas percipere queat expendemus; in 5.° varios exponemus Indulgentiarum effectus; in 6.° speciatìm agemus de Jubilæo; in 7.° de operibus ad Jubilæum cæteràsque Indulgentias præmittendis disseremus; in 8.° tandem pauca subjiciemus de duratione, cessatione, et suspensione Indulgentiarum.

ARTICULUS

ARTICULUS PRIMUS.

An Ecclesia potestatem habeat Indulgentias concedendi.

Waldenses et Wiclefitas secuti Lutherus et Calvinus, omnem Ecclesiæ abjudicant potestatem Indulgentias concedendi, easque ut inutiles et fraudes audaciùs irrident. Sit contra eos omnes

PROPOSITIO PRIMA.

Exstat in Ecclesiâ thesaurus Indulgentiarum compositus ex satisfactionibus Christi et Sanctorum.

Certa est propositio.

Prob. 1.ª *pars*, quæ spectat satisfactiones Christi. 1.° Quia Christi satisfactiones fuerunt superabundantes, valor quippe satisfactionum Christi longè superat omnium peccatorum gravitatem, sicut docetur in *Tract. de Incarnatione;* ergo quædam Christi satisfactiones supersunt, et proindè sunt applicabiles ad pœnæ remissionem.

2.° Christus infinitas satisfactiones obtulit pro peccatis omnium hominum, eorumque remissione: tamen plures sunt quibus, quoad hunc effectum, de facto non applicantur satisfactiones Christi; ergo plurimùm remanet de Christi satisfactionibus. Omnes tamen pro nobis et in nostrum bonum sunt exhibitæ: et sicut in familiâ, quod sponsus acquirit, id sponsæ et filiis relinquit; ita quod Christus, Ecclesiæ sponsus, suis satisfactionibus comparavit, id Ecclesiæ sponsæ

reliquit in utilitatem filiorum, nempè fidelium; ergo, etc.

Obj. Injuria peccati est infinita; ergo videtur adæquare satisfactiones Christi pro nostris peccatis exhibitas, proindèque nihil superest de his satisfactionibus quod possit applicari per Indulgentias.

Resp. Dist. ant. Injuria peccati est infinita secundùm quid, *conc.;* est infinita simpliciter sicut valor satisfactionum Christi, *nego.*

Prob. 2.ª *pars,* quòd thesaurus Indulgentiarum componatur ex quibusdam satisfactionibus Sanctorum. Sunt opera satisfactoria Sanctorum, quæ in ipsis Sanctis nullum effectum remissionis pœnæ habuerunt; ergo illa opera possunt applicari aliis ad hunc effectum, suntque in Ecclesiæ thesauro.

Consequentia constat. Nam si nequidem in aliis valere quidquam possint, videretur quòd illa essent inutiliter facta, et quòd sine remuneratione manerent, si spectentur ut pœnalia et satisfactoria.

Anteced. prob. 1.º Enim constat plurima opera pœnalia à B. Virgine peracta fuisse, quorum tamen fructum, quoad pœnæ remissionem, non percepit; nam ipsam pœnam non meruit, cùm nec mortaliter, nec venialiter unquàm peccaverit. 2.º S. Joannes Baptista multam egit pœnitentiam; erat tamen vir sanctissimus, et ab ipso Christo plurimùm laudatus. 3.º Innumeri sunt in Ecclesià Sancti qui, cùm parùm peccaverint, multa tamen passi sunt, atque etiam Martyrium; ergo cùm ipsi talium operum satisfactoriorum fructum non perceperint, sequitur illas satisfactiones esse in thesauro Ecclesiæ.

Dixi talium operum *prout pœnalium et satisfactoriorum;* nam de his, prout meritoriis, mercedem habuerunt.

Obj. Christi satisfactiones sunt pretii infiniti; ergo ad illas adjungi non debent satisfactiones Sanctorum, quibus Ecclesiæ thesaurus componatur; nam indè concludi videretur, aut istas inutiliter adjungi, aut Christi satisfactiones non esse sufficientes et infinitas.

Resp. Nego consequent. Non enim admittimus satisfactiones Sanctorum, quasi non sufficiant satisfactiones Christi, sed quia ex Christi voluntate juvant ad pœnæ remissionem. Deindè illud est Sanctis honorificum, et eo modo Christus voluit Sanctos suos extollere. Prætercà, id etiam in honorem Christi redundat, non modò quia honos servo exhibitus in dominum redundat, sed etiam quia indè virtus et excellentia meritorum Christi elucet, à quibus opera Sanctorum hanc efficaciam habent. Deniquè, Christi satisfactiones sunt quidem infinitæ in se, sed Christus vult illas applicari tantùm finito modo, proindèque his aliæ adjungi possunt.

Nihil itaque derogat Christi satisfactionibus conjunctio satisfactionum quas exhibuerunt Sancti; sicut, quamvis Christus quotidiè apud Patrem interpellet pro nobis, non sequitur orationes quas in terris fundimus, aut orationes quas pro nobis Beati exhibent, esse inutiles vel minuere dignitatem orationum Christi, quia tales orationes suam vim habent in Christi meritis.

Hinc propositio, n. 41. Synodi Pistoiensis in quâ asserebatur, « *Scholasticos suis subtilitatibus inflatos invexisse thesaurum malè* » *intellectum meritorum Christi et Sancto-*

» *rum, et claræ notioni absolutionis à pœnâ*
» *canonicâ substituisse confusam, et falsam*
» *applicationis meritorum;* quasi thesauri Eccle-
» siæ undè Papa dat indulgentias, non sint me-
» rita Christi et Sanctorum, » hæc, inquam,
propositio damnata est à Summ. Pontif. Pio VI,
in Const. *Auctorem fidei,* tanquam « falsa, teme-
» raria, Christi et Sanctorum meritis injuriosa,
» dudùm in art. 17 Lutheri damnata. »

Quæres ubinam sit thesaurus Indulgentiarum.

Resp. illum esse in mente Dei, qui recordatur satisfactionum Christi et Sanctorum, et qui efficaciter movetur ad misericordiam præstandam iis quibus applicantur ab Ecclesiâ.

PROPOSITIO II.

Potestatem habet Ecclesia Indulgentias concedendi.

Propositio est de fide, ut patet ex Conc. Trid. Sess. 25, in decreto de Indulgentiis : S. Synodus eos anathemate damnat, qui Indulgentias concedendi in Ecclesiâ potestatem esse negant.

Prob. 1.° *ex Script.* Matth. c. 16, ℣. 19 : *Et tibi dabo claves regni cœlorum... Quodcunque solveris super terram, erit solutum et in cœlis :* quibus verbis Christus promittit se daturum S. Petro potestatem solvendi quæcunque vincula spiritualia; quam promissionem adimplevit, quandò, sicut legitur Joan. c. 21, ℣. 17, dixit ei : *Pasce oves meas.* Ex quibus verbis sic argumentamur : Christus dedit Ecclesiæ Pastori potestatem generalem solvendi à quocunque vinculo spirituali; nam verba illa sunt universalissima, nec ullum afferri potest fundamentum, cur restringi debeant ad certa quædam vincula spiri-

tualia, non verò ad alia extendi : atqui unum è vinculis spiritualibus est pœna temporalis, quæ retardat ab ingressu cœli, et quæ non solùm in sacramento, sed etiam extra sacramentum tolli potest; ergo data est Ecclesiæ potestas extra sacramentum solvendi ab illâ pœnâ temporali per Indulgentiarum concessionem.

II Cor. c. 2, S. Paulus, cùm audivisset Corinthium incestuosum doluisse de peccato, et pœnitentiam inchoasse, ne fortè nimiâ tristitiâ absorberetur, illi reliquum pœnæ condonavit in personâ Christi; ergo extra sacramentum potest Ecclesia pœnas temporales condonare, et consequenter Indulgentias concedere.

Prob. 2.° *ex usu primitivæ Ecclesiæ.* Nam sæpè tunc contingebat ut pœnitentes ab Ecclesiâ peterent relaxationem pœnæ, quam ut impetrarent, postulabant à Martyribus in carcere detentis litteras commendatitias, per quas ipsi Martyres suas satisfactiones et pœnas petebant iis pœnitentibus applicari ad pœnæ relaxationem, sicut colligitur ex Tertull. lib. ad Marc. cap. 1; et ex S. Cypr. Epist. 11 et 14. Deindè S. Greg. Magn. populo Indulgentias concessit, sicut ipsi Hæretici fateri coguntur.

Prob. 3.° *ex Conciliis* : Conc. I Nicæno, generali, can. 12; item Ancyrano, et Laodicæno, ubi declaratur quòd Episcopus possit pœnitentibus Indulgentiam præstare, ut non teneantur integrum tempus statutum pœnitentiæ persolvere. Eamdem veritatem definierunt posteriora Conc. generalia, ut Later. I et IV, Viennense, et Tridentinum.

Prob. 4.° Quia Hæretici non possunt assignare originem sententiæ Catholicorum circa Indul-

gentias, nisi ad Apostolos ascendant; dicant enim quisnam sit auctor doctrinæ de Indulgentiis, quonam in loco, et quonam in tempore incœperit. Omnes quippe Catholici semper de Indulgentiis locuti sunt tanquam de re usitatâ et ubiquè receptâ. Notissimum enim est à Waldensibus primùm negatas fuisse Indulgentias.

Obj. 1.° In veteri lege non erat potestas dandi Indulgentias; ergo nec in novâ.

Resp. Nego consequent. Nam multæ prærogativæ Ecclesiæ præsenti sunt concessæ, quæ Ecclesiæ veteris Testamenti non conveniebant, ut constat, v. g., de potestate remittendi peccata.

Obj. 2.° Tertull. in lib. de Pudicitiâ, cap. 22, negat posse indulgeri reconciliationem lapsis ad Martyrum preces, et hanc rationem affert, quia non supersunt Martyribus satisfactiones.

Resp. Tertull. fuisse hæreticum quandò scripsit librum de Pudicitiâ; non mirum ergo, si tunc neget quod in libro ad Martyres concesserat.

Obj. 3.° Talis concessio Indulgentiarum vel esset absolutio à pœnis, vel quædam pro illis solùtio: atqui neutrum dici potest; ergo non potest dari Indulgentiarum concessio.

Resp. Nego min. Nam concessio Indulgentiarum, respectu vivorum, est simul absolutio et solutio: absolutio quidem, nam est quidam actus jurisdictionis, quam superior exercet in subditum pœnam remittendo; solutio verò, quia fit per applicationem alicujus pretii, scilicet per satisfactiones Christi et Sanctorum. At respectu mortuorum, concessio Indulgentiæ est mera solutio, non verè absolutio juridica; quia defuncti non pertinent ampliùs ad tribunal ecclesiasticum, nec subduntur jurisdictioni Prælatorum.

ARTICULUS II.

Quid et quotuplex sit Indulgentia.

Indulgentia definitur, *Remissio pœnæ temporalis peccato remisso debitæ, coram Deo facta ab Ecclesiâ, extra sacramentum, per applicationem satisfactionum Christi et Sanctorum.*

Dicitur 1.°, *remissio pœnæ temporalis;* nam Indulgentia non tollit peccatum, nec pœnam æternam.

Dicitur 2.°, *peccato remisso debitæ;* nam pœna temporalis non remittitur per Indulgentiam, quandiù peccatum manet.

Dicitur 3.°, *coram Deo;* nam Indulgentia non liberat à pœnis quæ debentur jure externo, sive ecclesiastico, sive civili; sed ab iis quas homo justitiæ divinæ persolvere debet.

Dicitur 4.°, *facta ab Ecclesiâ extra sacramentum;* per quæ verba distinguitur Indulgentia à remissione pœnæ quæ fit per sacramenta, et Missæ sacrificium.

Dicitur 5.°, *per applicationem satisfactionum Christi et Sanctorum,* quod sufficienter constat ex dictis.

Quæritur nunc quotuplex sit Indulgentia.

Resp. multiplicem esse. 1.° Alia est *partialis,* alia verò *totalis* seu *plenaria. Partialis* est ea quæ ad partem pœnæ remittendam conceditur, ut Indulgentia septem annorum; quod sic intelligendum est, ut Indulgentia tantùm pœnitentiæ et pœnæ remittat, quantùm, secundùm pœnitentiales canones, per septem annos subeundum erat, et proindè tantùm pœnæ Purgatorii, quantùm correspondet illi pœnitentiæ præscriptæ in

canonibus. Quare indulgentia septennis exprimit remissionem pœnæ quæ per septem annos peragi deberet. Indulgentia quadragenæ significat remissionem pœnitentiæ quæ quadraginta diebus agi debuisset; hæc etiam quadragena, si arctior esset, ita ut pœnitens solo pane et aquâ deberet esse contentus per quadraginta dies, *Carena* dicebatur, quia sic continebat carentiam omnium ferè ciborum. Itaque Indulgentia *Carenæ*, significat remissionem pœnæ quæ per quadraginta dies in jejunio cum pane et aquâ esset persolvenda, et consequenter remissionem pœnæ Purgatorii, quæ tali pœnitentiæ correspondet. Indulgentia quæ pro tertiâ, vel quartâ parte peccatorum conceditur, significat remissionem pœnitentiæ quæ pro tantâ parte pœnæ peccatis debitæ expiandâ fuisset necessaria.

Plenaria seu totalis Indulgentia, est ea quæ sine limitatione conceditur ad totam pœnam debitam coram Deo remittendam. Hæc aliquandò dicitur plena, aliquandò plenior, et aliquandò plenissima : verùm inter Indulgentiam plenam, pleniorem et plenissimam non est differentia ratione primarii effectûs Indulgentiæ, seu ratione remissionis pœnæ; nam per plenariam, sicut per plenissimam, tota pœna remittitur. Hæc itaque vocabula adduntur aliquandò, ut in Extravag. *Antiquorum*, vel ad majorem declarationem, vel ad tollendum omnem scrupulum de plenariæ Indulgentiæ concessione, vel quia fortè plenissimæ indulgentiæ dabantur propter gravissimam causam, et omnibus notam, vel quædam privilegia uni, v. g., plenissimæ aliquandò annectuntur, ut potestas absolvendi à reservatis, quæ Indulgentia nuncupatur Jubilæus, de quo infrà.

Itaque Indulgentia cognoscitur esse plenaria, quandò in ejus litteris apponitur hoc vocabulum, *Plenaria*, vel aliquid æquivalens; vel quandò datur talis pœnarum remissio, ut nullum sit verbum quod vel implicitè vel explicitè Indulgentiam restringat ad certam quantitatem pœnæ; partialis verò esse intelligitur, quandò est aliqua particula, implicitè vel explicitè restringens ad certam pœnæ quantitatem.

2.° Indulgentia alia est *temporalis*, quæ pro certo et determinato temporis spatio conceditur, v. g., pro 24 vel 40 horis; alia *perpetua*, quæ sine temporis limitatione concessa est, et alligata vel personæ, vel loco, vel alteri rei, ut granis benedictis, et similibus rebus.

3.° Alia est *realis*, quæ alicui rei materiali annexa est, ut, v. g., rosario; alia est *personalis*, quæ directè personæ conceditur sine determinatione ad certam rem materialem; alia deniquè est *localis*, quæ loco sacro est annexa.

4.° Indulgentiæ aliæ dantur *in vitâ*, aliæ *in mortis articulo*. Si in Litteris pontificiis exprimatur mortis articulus verus, tunc Indulgentiam non lucratur nisi qui reverà paulò post absolutionem acceptam moritur. Si verò dicatur tantùm in mortis articulo, satis communis est sententia, tunc Indulgentiam obtineri in mortis articulo præsumpto, quamvis mors non sequatur.

ARTICULUS III.

Quisnam in Ecclesiâ possit Indulgentias concedere.

Ad hoc ut Indulgentia ab aliquo dari possit, duo requiruntur: 1.° Auctoritas in conferente;

nam collatio Indulgentiarum est quædam absolutio et actus jurisdictionis, saltem respectu vivorum; est quoque solutio ex communibus bonis Ecclesiæ : at jurisdictio et absolutio innuunt auctoritatem et potestatem, solutio quoque ex bonis communibus non pertinet nisi ad eos quibus talium bonorum dispensatio commissa est. 2.° Requiritur aliqua justa causa. Duo itaque quæruntur in hoc articulo, 1. quisnam habeat auctoritatem concedendi Indulgentias; 2. an justa causa, et qualis requiratur ad Indulgentias concedendas.

PROPOSITIO PRIMA.

Concilium generale, Summ. Pontifex, Episcopi et Cardinales possunt Indulgentias concedere.

Certa est propositio.

De Sum. Pontifice patet, quia ipsi thesaurus Ecclesiæ commissus est. De Conc. generali patet etiam, quia repræsentans universalem Ecclesiam, habet jurisdictionem ejus et auctoritatem : undè potest excommunicare et leges ferre, etc. De Episcopis patet ex praxi, et ex cap. *Nostro*, de Pœnitentiis et Remissionibus. Possunt enim Episcopi Indulgentiam unius anni concedere in dedicatione Ecclesiæ, et Indulgentias quadraginta dierum in anniversario dedicationis : hanc postremam Indulgentiam possunt etiam pro arbitrio concedere, quandò adest justa causa. De Cardinalibus colligitur ex consuetudine, secundùm quam constat illos posse concedere Indulgentias centum annorum.

Præter illos quos assignavimus, non sunt alii quibus hæc potestas competit; nam neque Abba-

tibus, neque Parochis, neque aliis Sacerdotibus convenit, licèt tamen ex delegatione convenire posset.

PROPOSITIO II.

Superior sine justâ causâ non potest, sive licitè, sive validè, Indulgentias concedere.

Propositio certa est.

Prob. ex Extravag. *Unigenitus*, ubi Sum. Pont. Clemens VI declarat Christum Ecclesiæ reliquisse thesaurum, sed salubriter et ex justis causis dispensandum. Idem habet Conc. Constantiense.

Prob. specialiter quòd non possit Superior *licitè* dare Iudulgentias sine justâ causâ. Sum. Pontifex est tantùm dispensator thesauri Ecclesiæ, non autem dominus : non licet autem dispensatori, sine causâ rationabili, largiri bona sibi commissa; alioquin potiùs esset dissipator quàm dispensator.

Prob. quòd istud nequidem *validè* fieri possit. Non potest Sum. Pontifex sine justâ causâ validè dispensare in iis quæ sunt jure divino, ut patet de juramento et voto, in quibus dispensatio nulla est, si fiat sine justâ causâ : at concessio Indulgentiarum est quædam concessio et dispensatio in jure divino; nam tenetur homo jure divino pœnam temporalem peccato debitam solvere, Deo enim est debitor de tali pœnâ solvendâ; et qui concedit Indulgentias, tollit illam obligationem; ergo, etc.

Quæres quænam causa requiratur ad hoc ut Indulgentia possit legitimè concedi.

Respondent nonnulli, requiri et sufficere causam piam, nec requiri ut sit proportionata Indul-

gentiæ : ita sentire videtur S. Thomas. Alii autem dicunt probabiliùs causam illam debere esse non modò piam, sed etiam requiri ut aliquam habeat cum Indulgentiâ proportionem : ita Bellarminus, et alii quàm plurimi.

Ad hanc autem proportionem duo præsertìm requiruntur : 1.° Ut concedatur Indulgentia ob pium aliquem finem, cujus assecutio sit magis Deo honorifica, et Ecclesiæ utilis, quàm pœnitentialis satisfactio quæ per Indulgentiam relaxatur. 2.° Ut ad Indulgentiam illam percipiendam opus aliquod præscribatur, quod aptum sit et utile ad finem illum consequendum, v. g., quandò Sum. Pont. aliquas preces, et alia pietatis opera pro hæreseon exstirpatione, et christianorum Principum pace præcipit ; finis quem sibi proponit Sum. Pontifex, nempè hæresis exstirpatio et Christianorum pax, est procul dubio maximè Deo honorificus, et Ecclesiæ utilis. Item, opera ad finem illum obtinendum injuncta ad id aptissima sunt, ut per se patet; et sic servatur debita proportio. De hâc verò causâ judicium esse debet penes ipsum qui concedit Indulgentias, ut notat Bellarm.; nec subditorum est de hujusmodi causis temerè judicare. Imò periculosum est quascunque Indulgentias quibuslibet ex causis concessas parvi facere.

ARTICULUS IV.

Quibus possint Indulgentiæ concedi et prodesse.

Indulgentiæ applicantur vel vivis, vel defunctis : de his quæ defunctos spectant, agemus in secundo capite, ubi de Purgatorio. Nunc est agendum de illis quas viventes lucrari possunt,

de quibus duo exponenda sunt : 1.° quinam viventes capaces sint Indulgentiarum; 2.° quænam dispositiones requirantur ad earum fructum percipiendum. Itaque sit

PROPOSITIO PRIMA.

Omnis et solus baptizatus fidelis, non excommunicatus, est capax Indulgentiarum, prout per modum absolutionis applicantur.

Duæ sunt propositionis partes.

1.ª *Pars*, omnem baptizatum fidelem, non excommunicatum majori excommunicatione, esse capacem Indulgentiarum, certissima est. *Prob.* Hi omnes sunt capaces Indulgentiarum, qui sunt Ecclesiæ subditi, sive sub ejus jurisdictione, et possunt esse participes bonorum spiritualium communium Ecclesiæ : atqui omnis fidelis baptizatus, non excommunicatus excommunicatione majori, est sub jurisdictione Ecclesiæ, eique subditus; potest insuper communicare bonis spiritualibus communibus Ecclesiæ : nam hæc bona communia spectant Ecclesiæ membra, talis autem est membrum Ecclesiæ; ergo, etc.

2.ª *Pars* propositionis, solum baptizatum fidelem, non excommunicatum, capacem esse Indulgentiarum, etiam certa videtur. *Prob.* Nam cæteri non sunt capaces Indulgentiarum; ii enim vel sunt Infideles, vel Catechumeni, vel Hæretici et Apostatæ, vel Excommunicati : atqui tales non possunt lucrari Indulgentias, quod facilè probatur de singulis.

1.° De Infidelibus et Catechumenis, quia Ecclesia veram jurisdictionem non habet in Infideles et Catechumenos, quia non sunt baptizati.

Adverte tamen Catechumenos posse per modum solutionis et suffragii Indulgentiam percipere; illas tamen recipere non possunt per modum absolutionis, neque prout communiter ab Ecclesiâ conceduntur. Nam in concessione Indulgentiarum Sum. Pontifices solent declarare se illas distribuere baptizatis fidelibus qui talia opera exercuerint, v. g., sacramenta Pœnitentiæ et Eucharistiæ susceperint, quæ proindè concessio non potest ad Catechumenos extendi.

2.° De Hæreticis et Apostatis probatur, quia illi sunt extra Ecclesiam, et privantur bonis communibus Ecclesiæ: Indulgentia autem fit per applicationem thesauri Ecclesiæ.

3.° De excommunicatis probatur, quia Indulgentia est applicatio bonorum communium Ecclesiæ seu satisfactionum Christi et Sanctorum, prout Ecclesiæ thesaurum constituunt: at excommunicatio privat hominem suffragiis et bonis Ecclesiæ.

PROPOSITIO II.

Ad fructum Indulgentiæ percipiendum requiritur status gratiæ et exsecutio operum injunctorum.

Utraque pars constat, et facilè probatur.

Prob. 1.ª *pars*, quæ spectat gratiæ statum. Fructus Indulgentiæ est remissio pœnæ temporalis: atqui remissio hujus pœnæ non fit nisi supposito gratiæ statu, nam supponit remissionem peccati mortalis; ergo, etc.

Prob. 2.ª *pars*, quæ spectat opera injuncta. Indulgentiæ tantùm valent quantùm sonant, juxta commune axioma; ergo quandò Indulgentia datur sub conditione alicujus operis peragendi,

necessarium est tale opus adimplere: quare ille non lucratur Indulgentias, qui opus aliquod determinatum omittit, etiam inculpabiliter, ob ignorantiam, oblivionem, aut aliud impedimentum.

Quæres 1.° quonam tempore status gratiæ requiratur: an quandò fructus Indulgentiæ communicatur, an etiam quandò fiunt opera imperata.

Resp. 1.° statum gratiæ requiri, quandò fructus seu remissio pœnæ percipiendus est, ut constat ex 1.ª parte propositionis.

Resp. 2.° non requiri necessariò ut opera præscripta fiant in statu gratiæ, quia Sum. Pontifices in Bullis suis id communiter non postulant.

Quæres 2.° utrùm fructus Indulgentiæ habeatur, si opus injunctum fiat cum aliquo peccato mortali vel veniali.

Antequàm respondeam, adverte duobus modis posse contingere ut opus injunctum fiat cum peccato: 1. ita ut peccatum illud velut intrinsecè afficiat illud opus, v. g., si quis jejunet, vel det eleemosynam ex vanâ gloriâ, nam finis ille malus afficit illud opus, et ipsum depravat; 2. ita ut illud peccatum sit merè extrinsecum operi injuncto, v. g., si quis ex bono fine et debitis circumstantiis Ecclesiam visitet, et intereà mendacium proferat. Hoc posito,

Resp. Si peccatum sit operi injuncto merè extrinsecum, non impediet fructum Indulgentiæ; quia istud peccatum habet se merè per accidens ad opus injunctum, nec impedit quominùs illud opus possit conducere ad finem intentum à Sum. Pont. Si verò peccatum illud intrinsecè afficiat opus injunctum, et reddat illud vitiosum, atque

ideò demeritorium; tunc impediet nè quis fructum Indulgentiæ percipiat. Neque enim actus vitiosus et demeritorius disponere potest ad percipiendum fructum Indulgentiæ, qui est remissio pœnæ peccatis debitæ, cùm potiùs ille actus novam aliquam pœnam mereatur atque advehat. Notandum autem hìc est, integrum fructum plenariæ Indulgentiæ non acquiri, nisi ab eo in quo non remanet voluntarius affectus erga ullum peccatum, etiam veniale, qui non sit retractatus. Quandiù enim remanet culpa alicujus peccati, tandiù debetur aliqua pœna, quæ expianda est.

Quæres 3.° an sufficiat opus determinatum implere per alium.

Resp. id sufficere respectu quorumdam operum, non autem respectu omnium; sunt enim quædam opera personalia quæ non possunt dici esse alicujus, nisi ipse ea exsequatur, v. g., jejunium. Alia verò sunt quæ possunt dici esse alicujus quamvis ipse illa per alium ut instrumentum efficiat, v. g., eleemosyna. Porrò opera posteriora possunt impleri per alium, non verò priora, nisi fortè contrarium in bullis exprimatur.

Quæres 4.° utrùm ad fructum Indulgentiarum percipiendum absolutè requiratur confessio sacramentalis.

Resp. eam non esse necessariam absolutè, aliquandò tamen requiri. Utraque pars constat, et facilè *prob.* Et 1.ª quidem : nam potest fieri ut confessio non sit injuncta; potest etiam sine confessione haberi status gratiæ, et opera injuncta adimpleri possunt. 2.ª Pariter : quia plerumquè in Bullis Indulgentiarum, confessio imperatur.

Itaque in Sum. Pontificum Bullis vel nulla fit mentio confessionis sacramentalis, vel confessio

disjunctivè exprimitur hoc modo, *contritis aut confessis*, et tunc confessio non est necessaria, sufficitque contritio perfecta in his qui habent peccatum mortale (nisi Eucharistia sit recipienda, hujus quippe receptio exigit confessionem peccatorum mortalium); vel in Bullis præscribitur confessio sacramentalis, et tunc necessaria est ad fructum Indulgentiarum percipiendum.

ARTICULUS V.

De effectibus Indulgentiarum.

Quæritur 1.° in hoc articulo quid remittatur per indulgentias.

Resp. Indulgentias non remittere peccatum veniale aut mortale, sed duntaxat peccati pœnam. Ratio est quia Indulgentiæ dantur ad supplendum locum satisfactionis temporalis, quæ respicit remissionem pœnæ, non autem peccati.

Quare, quandò in Bullis Indulgentiarum legitur concedi absolutionem *à culpâ et pœnâ*, id de culpâ intelligitur ratione sacramenti Pœnitentiæ, cujus susceptio plerumquè præscribitur in Indulgentiis, et per quod peccatum tollitur. Quandò verò Sum. Pont. ait in Bullis se absolvere à peccatis vel condonare peccata omnia, vel dimidiam aut quintam partem peccatorum, loquitur tantùm de peccatis ratione pœnæ, non verò ratione culpæ, quæ remissa supponitur ante susceptionem fructûs Indulgentiæ.

Quæritur 2.° quænam pœnæ remittantur per Indulgentias.

Resp. 1.° Indulgentias non tollere pœnas in foro externo contentioso, civili aut ecclesiastico debitas, quia illæ non infliguntur ad remissionem

pœnæ peccati, sed ad bonum Reipublicæ, v. g., ut deterreantur facinorosi à peccatis.

Resp. 2.° Indulgentias non tollere pœnas seu potiùs pœnalitates, quæ sunt à peccato originali; homo quippe per Indulgentias non liberatur ab ignorantiâ, concupiscentiâ, morbis, morte, etc.

Resp. 3.° Indulgentias non eximere ab onere Deo satisfaciendi per pœnitentias congruentes peccatis, et peccatorum facultati ac infirmitati proportionatas. Ratio est 1. quia divinum exstat præceptum faciendi dignos fructus pœnitentiæ. 2. Quia vera conversio propositum includit Deo satisfaciendi. 3. Non ad fovendum teporem fidelium, sed ad supplendam eorum impotentiam et infirmitatem conceduntur Indulgentiæ. 4.° Pœnitentia sacramentalis à Confessario injuncta pars est sacramenti, quæ ideò necessariò debet impleri.

Perperàm verò quis indè concluderet inutiles esse Indulgentias. 1. Quia satisfactiones, quæ infirmitati nostræ proportionatæ sunt, non adæquant nec remittunt totam pœnam peccatis debitam. 2. Qui ante peractam convenientem satisfactionem moritur, satisfaciendi retinens propositum, si diutiùs viveret, integram pœnæ temporalis condonationem ex vi plenariæ Indulgentiæ consequitur; tunc enim impotentiam ejus supplet Indulgentia.

Resp. 4.° per Indulgentias remitti pœnas canonicas, sive injunctas, sive injungendas : id patet ex Bullis Indulgentiarum. Per pœnas autem canonicas intelliguntur illæ quæ ab antiquis canonibus injunguntur; quamvis enim pœnæ illæ non sint ampliùs in usu, tamen si in particulari casu injungerentur, vel forent injungendæ, remitterentur per Indulgentias.

Resp. 5.° per Indulgentias remitti pœnas temporales in foro divino debitas; id patet ex his quæ diximus in primo articulo; ostendimus enim Ecclesiæ datam fuisse potestatem ad solvendum vinculum pœnæ, quod ab ingressu cœli retardat.

ARTICULUS VI.

De Jubilæo, et privilegiis Jubilæo annecti solitis.

Duo quæruntur, quid sit Jubilæus, quibus fruatur privilegiis.

§ I.

Quid sit Jubilæus.

Jubilæus annus ita dicitur ab analogiâ cum Jubilæo legali, de quo legitur Levitici c. 25; hoc enim anno, servi peccati redeunt in libertatem filiorum Dei; debita pœnæ temporalis relaxantur; merita bonis operibus comparata, ac per subsequens peccatum mortificata, reviviscunt, et ita peccatores ad pristinam possessionem revertuntur; vacant quoque Christiani à servilibus peccati operibus: meritò igitur annus ille *sanctus* habetur et nuncupatur.

Jubilæum centesimo quocunque anno recurrente celebrandum decrevisse primus legitur Bonifacius VIII, anno 1300. Clemens VI, anno 1350, constitutione suâ, *Unigenitus*, annum sacrum ad normam Jubilæi mosaici reduxit, ad 50 quemque recurrentem annum. Urbanus VI, in memoriam 33 annorum quos Christus in terris egisse vulgò creditur, statuit anno 1390 ut deinceps annus Jubilæus recurreret quovis anno 33. Tandem Paulus II, anno 1470, Jubilæum

reduxit ad an. 25 : quam dispositionem confirmavit Sixtus IV, an. 1473, eamque nunc observat Ecclesia.

Incipit verò sacer ille annus à primis vesperis Nativitatis Domini, quæ præcedunt annum 25, 50, 75, et 100 cujusque seculi, ac terminatur ad primas ejusdem festi vesperas anni proximè sequentis; interìmque toto illo anno suspenduntur ferè omnes aliæ Indulgentiæ, ut dicemus infrà. Verùm, quia plerique fidelium Romanam peregrinationem, ad effectum Jubilæi hujus, suscipere non possunt, solent Sum. Pontifices, elapso anno sacro, Jubilæi ordinarii gratiam ad omnes per orbem fideles, spatio duorum mensium vel plurium consequendam, extendere. Spatium temporis ad Jubilæum, anno 1751 à Benedicto XIV concessum et determinatum, sex fuit mensium.

Præter hunc Jubilæum ordinarium, alia datur Indulgentia ad instar Jubilæi post Coronationem Sum. Pontificis, atque etiam interdùm in aliis circumstantiis, ubi graviores causæ requirunt. Jubilæus iste, quem extraordinarium vocamus, duabus hebdomadis, seu quindecim diebus perseverat, adeò ut si à die Dominicâ incipiat, tres complectatur Dominicas.

Jubilæus autem in genere definiri potest, Indulgentia plenaria, gravioribus de causis concessa, certa quædam habens adjuncta privilegia.

Opera ad consequendum Jubilæi effectum præscribi solita, hæc sunt, pro Jubilæis ordinariis : 1.° per quindecim dies continuos vel interpolatos visitare Ecclesias ad hoc determinatas; 2.° ibi pias ad Deum fundere preces (vulgò quinquies recitare Orationem dominicam et angeli-

cam Salutationem), pro remissione peccatorum suorum, concordiâ inter Principes christianos, hæreseon exstirpatione, et exaltatione sanctæ matris Ecclesiæ; 3.° peccata dolorosè confiteri; 4.° sacram Eucharistiam suscipere. Pro Jubilæis verò extraordinariis, 1.° eadem prædicta opera injunguntur, cum eo solo discrimine, quòd sufficiat visitare semel Ecclesias determinatas. 2.° Præterea, præscribuntur jejunia feriâ 4.ª, feriâ 6.ª, et sabbato unius ejudemque hebdomadæ servanda; item et eleemosynæ ad devotionem taxandæ. De illis operibus plura dicemus articulo sequenti.

§ II.

De Privilegiis Jubileo annecti solitis.

Hæc præcipua sunt quæ in Jubilæis extraornariis privilegia conceduntur. 1.° Cuique fidelium permittitur quem voluerit eligere Confessarium ex approbatis ab Ordinario. 2.° Quilibet Confessarius approbatus absolvere potest, pro foro conscientiæ, ab omnibus peccatis et censuris *à jure* vel *ab homine*, sive Sedi apostolicæ, sive Episcopo reservatis. 3.° Idem potest omnia commutare vota, excepto præsertìm religionis et perpetuæ castitatis voto. In Jubilæis verò ordinariis, duo solùm priora Sum. Pontifices Bullis suis ante annum 1750 privilegia concedebant: non autem tertium, cujus nullam faciebant mentionem.

Verùm Bened. XIV, Bullâ suâ datâ Romæ octavo Kalendas Januarii anni 1751, de Extensione Jubilæi in urbe Româ celebrati anno sacro 1750, plurimùm extendit privilegia hucusque concessa: scilicet concedit Sum. Pontifex Confessariis omnibus approbatis: 1.° *Ut vota quæcunque*, per-

petuò scilicet servanda, *etiam jurata, ac Sedi apostolicæ reservata (castitatis, religionis, et obligatoriis, quæ à tertio acceptata fuerint, seu in quibus agatur de præjudicio tertii, semper exceptis; necnon pœnalibus, quæ præservativa à peccato nuncupantur, nisi commutatio futura judicetur ejusmodi, ut non minùs à peccato committendo refrenet, quàm prior voti materia), in alia pia et salutaria opera commutare;* 2.° *ut cum pœnitentibus in sacris Ordinibus constitutis, etiam Regularibus, super occultâ irregularitate ad exercitium eorumdem Ordinum et ad superiorum assecutionem, ob censurarum violationem duntaxat contractâ, dispensare possint et valeant.* Verba sunt Bened. XIV, in prædictâ Bullâ. Circa singula hæc privilegia, plurima sunt sedulò notanda, quæ ad praxim maximè spectant.

Priùs autem observandum est, quòd, licèt hæc privilegia à supremâ apostolicæ Sedis auctoritate procedant, ea tamen non concedant Sum. Pontifices exercenda, nisi dependenter ab Episcoporum consensu, ut patet, tum quia Bullæ Jubilæorum in singulis Diœcesibus vim non habent nisi priùs ab Episcopis fuerint promulgatæ; tum quia solis Sacerdotibus ab Episcopo approbatis extraordinaria conceditur potestas; tum deniquè quia Bullis suis talem esse suam intentionem expressè declarârunt plurimi Sum. Pontifices; ita Clemens XI, in Bullâ Jubilæi, anno 1700; Benedict. XIII, in Bullâ Jubilæi, anno 1725.

Ex hâc generali observatione plurima inferuntur corollaria. 1.° Potest Episcopus non omnibus indiscriminatìm Confessariis, aliàs approbatis, specialem committere potestatem vi Jubilæi con-

cessam. 2.° Sacerdos pro aliquâ duntaxat Parochiâ, vel certo loco determinato approbatus, non potest, etiam tempore Jubilæi, extra locum sibi limitatum confessiones excipere; quia pro uno duntaxat loco est approbatus, non ideò pro aliis locis approbatus censeri potest. 3.° Si restringeret Episcopus Parochi jurisdictionem ad solos ejus parochianos, aliorum confessiones iste non posset audire. His generatim præobservatis, quæ circa singula seorsim privilegia moventur dubia, sunt explicanda.

I. *De primo Privilegio.*

Hoc privilegio, juxta Bullarum tenorem, cuique fidelium conceditur, ut quem voluerit eligat Confessarium ex approbatis ab Ordinario. Hinc dubium suboritur, 1.° de Monialibus et Novitiis, an illæ, ex vi Jubilæi, tali utiquè gaudeant facultate; an verò illis solùm sit concessum ut adire queant quem voluerint, inter approbatos specialiter ad Monialium excipiendas confessiones. 2.° De Regularibus, an ii, ad effectum Jubilæi, pro arbitrio suo confiteri possint, vel Confessariis suis ordinariis, licèt à solis Superioribus proprii Ordinis sint approbati, vel cuilibet Sacerdoti seculari per Episcopum approbato.

Circa primum, constat, 1.° Confessarium cujus approbatio restricta esset et limitata ad confessiones secularium, Monialium confessiones excipere non posse. 2.° Moniales quemlibet inter approbatos Confessarium eligere posse, si istud expressè concedat Episcopus; secùs, si expressis verbis contradicat, prout reipsâ contradicere solent Episcopi plurimi. 3.° Ex vi Jubilæi, anni 1751, Moniales earumque Novitias, eam dun-

taxat habuisse licentiam, ut Confessarium quemcumque ad excipiendas Monialium confessiones ab actuali Ordinario loci, in quo earum Monasteria constituta sunt, approbatum eligere possent, patet ex Bened. XIV, Bullâ prædicti an. 1751. Tota ergo superest difficultas pro eo casu in quo mentem nec Sum. Pontifex nec Episcopus verbis expressis aperirent, sed rem totam ex generalioribus Bullæ terminis dijudicandam relinquerent: tunc autem ex probabiliori sententiâ, et solâ in praxi tenendâ, Moniales sicut et Novitiæ, saltem in Jubilæis ordinariis, quorum, ex Curiæ stylo, Bullæ iis minùs expressè favent, hoc solo donantur privilegio ut quem voluerint ex approbatis ad Monialium confessiones Confessarium possint eligere.

Circa secundum, communis hodiè sententia est, Regulares, ad effectum Jubilæi, pro nutu suo confiteri posse vel Confessariis Ordinis sui vel cuilibet seculari per Episcopum approbato; constatque prima pars ex notificatione Clementis X, anno 1675; secunda pars autem, ex declaratione Greg. XIII, anno 1581, et ex Bened. XIV, Bullis Jubilæi annorum 1744 et 1751.

II. *De secundo Privilegio.*

Circa privilegium istud, quod Confessarios immediatè spectat, hæc speciatim sunt observanda.

1.° Juxta præsentem Bullarum Jubilæi dispositionem, quam secuti sunt Innoc. XIII, Clemen XII, et Bened. XIV, Confessarii validè absolvere non possunt, ex vi Jubilæi, eos qui *à Rom. Pontifice, vel quovis alio Prælato, seu Judice ecclesiastico, excommunicati, suspensi, interdicti,*

interdicti, seu alias in sententias et censuras incidisse declarati, vel publicè (quamvis etiam suppresso nomine, ut fit in Monitoriis), *denuntiati sunt* (propter, scilicet, crimen quod alicui tertio damnum intulerit), *nisi intra tempus Jubilæo consequendo præfixum satisfecerint, aut cum partibus concordaverint.* Verba sunt Benedicti XIV, in Bullâ anni 1740, quæ eadem ferè leguntur in Bullâ Jubilæi anni 1751. Fatentur tamen Doctores absolvi posse, non exhibitâ satisfactione, 1. eos qui ad satisfaciendum verè sunt impotentes; 2. qui mox faciendæ satisfactionis sufficientem præbent cautionem.

2.° Ex probabiliori sententiâ, Confessarii potestate absolvendi à censuris per Bullas Jubilæi concessâ validè uti non possunt extra sacrum Pœnitentiæ tribunal et sacramentum; quia talis potestas non confertur nisi in ordine ad absolutionem à peccatis, et prout est dispositio ad illam. Undè non debent absolutiones istæ separari, quod ipsa praxis confirmat, et non obscurè innuit ac supponit Benedict. XIV, Epist. encyclicâ ad omnes Patriarchas, etc., de Extensione Jubilæi anni sacri 1750, parag. *In hâc igitur Constitutione.* Cæterùm, istud certò tenendum, saltem quandò clausulam Bulla continet, quòd absolutio conferatur, *auditis confessionibus, vel pro foro pœnitentiali tantùm,* prout legitur in Bullâ Jubilæi anni 1725.

3.° Pœnitens validè absolvi potest, ex vi Jubilæi, ab omnibus peccatis et censuris reservatis, iis etiam in quæ liberiùs ex spe futuri Jubilæi incidisset; sed ad hoc necesse est ut confiteatur cum animo et voluntate Jubilæum consequendi, atque ideò omnia injuncta opera præstandi; quia

extraordinaria hæc potestas Confessariis non conceditur nisi *ad effectum Jubilæi*, ut expressis verbis habent Bullæ. Qui tamen cum tali animo confessus, ex animi levitate deinceps opera non impleret, verè absolutus remaneret, et liber à reservatione etiam oblitorum, modò inculpabiliter; quia absolutio non datur sub conditione, sed absolutè. Ille verò reum se constitueret peccati mortalis, quia tacitum, cui consenserat, pactum in re gravi violat: ita *Suarez*, disp. 31 de Pœnitent. sect. 4, num. 5; *Viva*, de Jubil. quæst. 11, art. 5; Collator And. tom. 1 de Cas. Reserv.

4.° Virtute Jubilæi, Confessarius pœnitentem, quem non satis dispositum judicavit, et in aliud tempus absolvendum remisit, potest ab omnibus reservatis tempore Jubilæi confessis aut inculpabiliter omissis, eo transacto, absolvere: constat apud omnes, tum quia primâ vice reservationem tollere potuit, tum quia justis de causis potest prorogare tempus ad effectum Jubilæi. Utrùm verò possit etiam tunc absolvere à reservatis in quæ, transacto Jubilæi tempore, pœnitens incidisset, disputant Theologi. Itaque in praxi tutius est adire Superiorem, à quo specialis obtineatur facultas.

5.° Conceditur navigantibus et iter agentibus, ut cùm primùm ad sua sese domicilia receperint, eamdem Indulgentiam, iis omnibus observatis quæ præscribuntur ad Jubilæum, consequi possint et valeant.

6.° Reservatio censuræ vel peccati non tollitur per confessionem nullam et sacrilegam tempore Jubilæi factam, quia specialis ex vi Jubilæi non conceditur potestas, nisi in gratiam verè pœnitentium. Peccati verò et censuræ in debitâ con-

ſessione inculpabiliter oblitorum reservatio tollitur, quia tempore Jubilæi Sum. Pontifex, in gratiam pœnitentium qui debitis cum dispositionibus et ex animo Indulgentiam consequendi confitentur, omnem prorsùs tollit reservationem. Hinc in priori casu, non in posteriori, tenebitur pœnitens adire posteà Confessarium qui super reservatis potestatem habeat.

7.° Probabilius est Confessarium, tempore cujuslibet Jubilæi, absolvere non posse socium criminis; putà in materià impudicitiæ, ebrietatis, etc., iis in locis ubi per generale statutum vel casuum reservatorum indicem, istud specialiter prohibetur, quia Confessarius non est approbatus relativè ad complicem. Ita *Bonacina*, *Viva*. Imò Bened. XIV, in Bullâ Extensionis sacri Jubilæi anni 1750, sic habet : *Non intendimus..... ulli Confessario facultatem tribuere absolvendi, in quolibet inhonesto contra sextum præceptum peccato, complicem.*

III. *De tertio Privilegio.*

Quantùm ad vota commutandi facultatem, 1.° ea ante annum 1750, non concedebatur à Sum. Pontificibus in Jubilæis ordinariis, seu anni sacri extra urbem Romam, sed solùm in extraordinariis; patet ex Bullis anterioribus, ut jam notavimus, quæ ultra id de quo mentionem habent extendi nequeunt. 2.° Ex vi Jubilæi, exerceri non potest extra Pœnitentiæ sacramentum, ut fert probabilior tutiorque sententia, atque pro Jubilæo saltem anni sacri 1750, definiit Bened. XIV, Constitutione, *Convocatis*, § 25. 3.° Exerceri potest erga eos solos qui cum intentione lucrandi Jubilæum accedunt, et quidem nonnisi

ex causâ sufficienti, ac servatis regulis quæ circa voti commutationem præscribuntur in primâ parte *Tractatûs de Decalogo*. 4.° Extendi non potest ad dispensandi potestatem; in Bullis quippe nulla unquam facta est mentio dispensandi potestatis. 5.° Extenditur ad juramenta, et vota jurata, quia idem ex illis jus acquiritur Deo, quod relaxare Pontifex intendit, constatque de votis juratis ex Bullâ Bened. XIV, anno 1751, cujus verba eam in rem suprà exscripsimus. 6.° Commutari non possunt vota perpetuæ castitatis et religionis Summo Pontifici reservata, nisi in iis casibus in quibus eorum commutatio subjacet Episcoporum potestati; item nec vota quæ facta sunt in favorem tertii, nisi de illius consensu. 7.° Potest Confessarius, etiam elapso Jubilæi tempore, illius saltem commutare vota pœnitentis, qui priùs, eo durante, commutationem postulaverat: ita omnes; minimè verò eorum qui tunc sua vota commutari noluerunt, ut probabiliùs docent *Suarez*, *Bonacina*, *Viva*.

IV. *De quarto Privilegio.*

Unus, ante annum 1750, Alexander VI legitur Litteris suis, anno 1500 datis, expressè facultatem fecisse Confessariis dispensandi, anno Jubilæi sacro, super aliquibus irregularitatibus. *Eâdem apostolicæ benignitatis amplitudine*, eam indulsit facultatem Benedict. XIV, Bullâ suâ Extensionis Jubilæi sacri anni 1750, ut Confessarii ab Ordinario approbati possent, ex vi Jubilæi, cum pœnitentibus ad effectum lucrandi Jubilæi accedentibus, et in sacris Ordinibus constitutis, sive secularibus, sive regularibus, dispensare ad exercitium eorumdem Ordinum et

ad superiorum assecutionem, super occultâ irregularitate ob censurarum violationem duntaxat contractâ. Super hoc autem privilegio, hæc potissimùm sunt advertenda.

1.° Quam facultatem concessit Bened. XIV, ea solùm extenditur ad dispensandum super irregularitate à Clericis in sacris Ordinibus constitutis ex censurarum violatione contractâ, et quidem occultâ. Igitur virtute prædicti Jubilæi, non poterunt Confessarii dispensare, 1. super aliâ quâlibet irregularitate, sive publicâ, sive occultâ, prout etiam in dictâ Bullâ expressè fertur; 2. nec super ipsâ irregularitate ex censurarum violatione contractâ, in eo casu in quo ea fuisset publica, id est, talis, quæ nullâ tergiversatione in totâ viciniâ celari potuisset. Censura porrò publica esse potest, ipsa autem ex ejusdem violatione contracta irregularitas, occulta : putà, si Sacerdos hodiè suspensionem ob violatos sacros canones notoriè ac palàm incurrat, et sequenti die, non obtentâ suspensionis absolutione, Missam celebret, audiatve fidelium confessiones; quia, quamvis notorium sit talem Sacerdotem suspensione ligatum fuisse, et sacri ministerii obiisse functiones, notorium tamen non est, eumdem, antequàm sacra faceret, censuræ absolutionem non obtinuisse.

2.° Quemadmodùm in Jubilæis ab anno 1500 ad annum 1750, ex communi sententiâ (teste R. P. Theodoro à Spiritu Sancto, sacræ Congreg. Indulgentiarum Consultore, tract. de Jubilæo, Romæ edito, an. 1750, et Bened. XIV nuncupato), nullâ donati sunt Confessarii facultate super ullâ irregularitate, quia talis facultatis nulla mentio in subsequentium Sum. Pontificum

Constitutionibus pro tempore Jubilæorum emanatis facta est; sic et in secuturis deinceps Jubilæis prædictâ eâdem facultate se donatos judicare non debent Confessarii, nisi concessionis hujus mentionem habeant horum Bullæ Jubilæorum. Ratio autem cur Sum. Pontifices in Jubilæis indulgere solent facultatem absolvendi à censuris, non verò dispensandi super irregularitatibus, est, quòd irregularitas non sit impedimentum gratiæ sanctificanti et Indulgentiarum consecutioni, benè verò censuræ pleræque.

ARTICULUS VII.

De Operibus ad Jubilæum cæterasque Indulgentias præmittendis.

Varia opera ad Indulgentias consequendas injungi possunt. De usitatioribus solùm quæ in Jubilæis præscribi solent, disseremus in specie, ubi primùm de illis in communi breviter egerimus.

§ I.

De Operibus in communi.

Quæres 1.° utrùm qui ex ignorantiâ vel impotentiâ non implet opera præscripta, possit Indulgentiæ fructum consequi.

Resp. negativè, nisi constet de contrariâ concedentis voluntate; etenim gratia sub certâ conditione concessa, non valet nisi impletâ conditione. Imò probabilius est, eum qui partem tantùm operis præscripti facit, nihil prorsùs de Indulgentiâ consequi, nisi tam parùm desit, ut totum opus moraliter impletum censeatur, quia Indulgentia, inquit *Suarez,* non conceditur per partes dividenda.

Dico, *nisi constet de contrariâ concedentis voluntate ;* res quippe tota pendet ex voluntate Superioris Indulgentiam concedentis. Hinc, quia Summus Pontifex in Jubilæis potestatem facit Confessariis injuncta opera commutandi in alia quæ facultati pœnitentium sint proportionata, qui legitimè impeditus est ab exsequendis operibus per Bullam injunctis, Indulgentiæ fructum percipere potest, modò alia observet, quæ ipsi per Confessarium in commutationem præscripta sunt.

Quæres 2.° an per opera aliàs præcepta satisfieri possit obligationi opera ad Indulgentiam lucrandam injuncta præstandi.

Resp. In duas partes hic abeunt Theologi : alii affirmant, alii negant. Probabilior tamen, quæ et tutior, sententia est, regulariter et ordinariè satisfieri non posse, nisi aliud constet de mente Superioris; quia opus injunctum ad Indulgentiam habet rationem oneris, atque Pontifex non concedit Indulgentiam nisi sub pacto oneroso : atqui pacto oneroso non satisfit per solutionem rei aliàs debitæ; ergo, etc. Igitur sicut pœnitentiæ à Confessario impositæ non satisfit generaliter loquendo, per opus aliàs præceptum, ut suo loco diximus, v. g., per jejunium ex voto vel alio præcepto servandum, ita eò loci dicendum : *Viva*, quæst. 8, art. 1, num. 2; Theod. à Spiritu Sancto, tract. de Indulg. 1. parte, pag. 305, et tract. de Jubilæo, cap. 5, § 2. Imò hanc nostram sententiam Benedict. XIV, in suis Litteris encyclicis ad Pœnitentiarios et Confessarios, an. 1749 datis, magis æquam vocat.

Dixi, *regulariter et nisi aliud constet;* quia si ex circumstantiis vel aliundè certa sit opposita

Pontificis voluntas, secùs tenendum. Undè si in Jubilæo extraordinario, in quo jejunia præscribuntur, occurrant Quatuor Tempora vel tempus quadragesimale; tunc per eadem jejunia utrique obligationi fiet satis.

Quæres 3.° utrùm, repetitis operibus injunctis, eadem pluries possit Indulgentia comparari.

Nota quæstionem esse, vel de Indulgentiâ temporaneâ, quæ conceditur determinato temporis spatio consequenda, quale est Jubilæum, qualis et Indulgentia in expositione SS. Sacramenti, 40 Horarum; vel de perpetuâ et perenni, quæ sine ullâ temporis determinatione acquirenda proponitur, quales sunt Indulgentiæ locis vel certis rebus annexæ.

Resp. 1.° Eadem indulgentia temporanea, quantumlibet repetitis operibus, pluries acquiri non potest, nisi aliter constet de mente concedentis : ita communiùs Theologi post S. Thomam, *Suarez,* disp. 57, sect. 1, num. 4; Theod. à Spiritu Sancto, tract. de Jubil. cap. 5; Collator Andeg. tom. 1 de Cas. Reserv. Probatur autem 1. ex S. Congregatione Concilii Trid. quæ, anno 1620, declaravit Jubilæum posse semel tantùm acquiri, semelque duntaxat fideles illius virtute à reservatis absolvi posse. 2. Quia in Bullis Jubilæi ordinarii specialiter conceditur iis qui Romam accesserunt, ibique Jubilæi gratiam obtinuêre, ut in patriam reversi, eam iterùm, operibus repetitis, comparare queant; ergo cæteri semel tantùm Jubilæum lucrari valent. 3. Quia in iisdem Bullis solent Pontifices expressis verbis declarare intentionem suam esse, *ut plenissimam Indulgentiam semel consequantur.* Ita Bened. XIII, anno 1725, et Bened. XIV,

anno 1750. Hinc colliges eum qui, post obtentam Jubilæi gratiam, incidit in reservata, ab iis virtute Jubilæi absolvi posteà non posse, quia potestas super reservata non conceditur, nisi ad effectum Jubilæi consequendi; secùs dicendum, si confessus solùm et absolutus, iterùm incidat in reservata, antequàm omnia ad Jubilæum opera impleverit.

Resp. 2.° Eadem indulgentia perpetua, si sit plenaria, pluries diversis quidem diebus, non tamen unâ et eâdem die potest obtineri. 1.ª Pars patet ex usu communi et unanimi Doctorum consensu. 2.ª Pars probatur ex declaratione S. Congregationis Indulgentiarum, die 12 Martii, anno 1669, eam in rem expressâ, apud Theod. à Spiritu Sancto, tract. de Indulgent. 1.â parte, pag. 311.

Dixi, *si sit plenaria;* Indulgentia quippe partialis in perpetuum, vel sine temporis determinatione concessa, pluries intra eamdem diem, repetendo opus injunctum, comparari potest: undè fideles pluries eâdem die, diversis horis, eamdem Ecclesiam prudenter ac religiosè visitando, reipsâ pluries percipiunt Indulgentiam partialem visitationi hujus Ecclesiæ in perpetuum annexam.

Quæres 4.° quandonàm opera pro Jubilæo injuncta debeant aut possint impleri.

Resp. 1.° Certum est ea necessariò impleri debere tempore ab Ordinariis præfixo et determinato ad lucrandum Jubilæum, scilicet intra statutum spatium vel duorum aut plurium mensium, si agatur de Jubilæo ordinario, vel duarum hebdomadarum, juxta hodiernum Bullarum tenorem, si de Jubilæo extraordinario.

2.° Si finis immineat temporis ad acquirendum Jubilæum præfixi, nec ampliùs omnia possint impleri opera, sive ex ignorantiâ, sive voluntariè quis ea distulerit; ex probabiliori sententiâ, poterit, juxta consuetum magìs Bullarum tenorem, Confessarius aut prorogare tempus ad effectum Jubilæi, aut opera commutari: *Viva*, quæst. 8, art. 2, num. 1; Theod. à Spiritu Sancto, tract. de Jubil. cap. 7, § 1, num. 3.

§ II.

De injunctis ad Jubilæum Operibus in specie.

Ea opera sex numerantur, scilicet, visitatio Ecclesiarum, oratio, eleemosyna, jejunium, confessio, et Eucharistiæ susceptio.

1.° Circa Ecclesiarum visitationem, hæc notanda sunt. 1. Illæ visitandæ sunt, et in eo numero, et iis vicibus, quæ præscribuntur, adeò ut, si vel unam, etiam semel, quis omittat, eum Jubilæi gratiâ privari doceant communiter Doctores. 2. Ecclesiæ necessariò cum devotione visitari debent, id est, cum animo et voluntate Deo famulatum et cultum exhibendi; hæc tamen devotio non absolutè requiritur in itinere, sed sufficit in Ecclesiâ. 3. Si Ecclesiam visitandam ingredi præ multitudine quis non possit, satis est si fiat oratio ante fores vel propè, quia tunc in Ecclesiâ moraliter præsens censetur. Quandò verò præscribitur in Bullâ ut visitentur Altaria, sufficit ad illa se convertere orando in Ecclesiâ.

2.° Quoad orationem in Ecclesiis faciendam, 1. si nullæ in particulari preces injungantur, ut mos est in Jubilæis extraordinariis, unusquisque

quas voluerit poterit emittere; sufficiet etiam oratio purè mentalis, si nulla vocalis præscribatur. Si verò aliquæ determinentur, prout vulgò fit in Jubilæis ordinariis, in quibus præscribitur Oratio dominica et angelica Salutatio quinquies in unaquâque statione recitanda, eæ necessariò sunt emittendæ. 2. Requiritur et sufficit quòd oratio fiat implicitè et in genere ob finem à Pontifice intentum, atque cum pio in Deum affectu et attentione, saltem virtuali, prout requiritur et sufficit ad Officium ecclesiasticum. Peccatum autem veniale, v. g., ex levi distractione, aut ex vanæ gloriæ motu, orationem concomitans, non privaret Indulgentiæ fructu, ut suprà diximus.

3.° Quantùm ad eleemosynam, 1. si præscribatur eleemosyna pro facultate cujusque eroganda, fieri debet secundùm proprium statum, propriamque conditionem, ut patet; adeò ut obolus qui in paupere sufficeret, in divite minimè sit sufficiens. Si verò, juxta usitatam hodiè formam, injungatur solùm eleemosyna pro arbitrio, prout charitas suggesserit, facienda, *Communis est sententia*, inquit Theod. à Spiritu Sancto, 1.ª parte, pag. 323, *quamlibet minimam sufficere*. 2. Ab eleemosynâ faciendâ per se non eximuntur pauperes, item nec Religiosi, nec uxores, nec filii-familiàs, etenim, ex Jure, concessio sub conditione facta, deficiente conditione, pro non factâ habetur; sufficit tamen quòd Superiores nomine inferiorum stipem erogent; quòd si fortè nolit Superior, et inferiores sint ad eleemosynam prorsùs impotentes, opus illud commutabit Confessarius. 3.° Utrùm Jubilæum lucretur, qui eleemosynam famulo vel Confessario tribuit erogandam, si famulus aut Confessarius non eroget, contro-

vertitur. Partem negantem sequuntur *Delugo*, *Bonacina*, *Viva*, Theod. à Spiritu Sancto, tract. de Jubil., quia, inquiunt, conditio non est impleta. Affirmantem tenent *Sa*, *Vega*, Paschaligus, etc., tum quia Sum. Pontifex, aiunt illi, specialiùs intendit eleemosynam prout est actus virtutis misericordiæ, quàm prout est sublevatio pauperis, quandò potissimùm injungitur eleemosyna pro arbitrio facienda, et satisfieri potest per levissimam; tum quia Dominus de facto abjicit dominium rei suæ, et per accidens est quòd famulus eam retineat, nec ideò sublevetur pauper.

4.° Quoad jejunia 1. certò fieri debent juxta præscriptum Ecclesiæ, ac locorum legem, et quidem feriâ 4, feriâ 6, et sabbato unius ejusdemque hebdomadæ; si autem in unâ ex his feriis occurrat aliqua ex principalioribus anni festivitatibus, non ideò commutandum erit jejunium, sed ab Episcopo transferendum: *Viva*, quæst. 8, art. ult., num. secund. 2. Ad ea per se tenentur etiam juvenes, quamvis ecclesiastico jejunii præcepto nondùm adstricti, atque major causa requiritur ut illa jejunia commutentur ad effectum Jubilæi, quàm ut dispensetur in jejuniis ecclesiasticis: ita communiter Doctores. Enim verò qui jejuniis ecclesiasticis, ut potè numerosis, grave nocumentum paterentur juvenes, non ideò tribus observatis semel jejuniis multùm gravantur: *Viva*, suprà, num. 3; Theod. à Spiritu Sancto, de Jubil. quæst. 6, § secund. 3. Erga eos qui non sine magnâ difficultate possunt jejunare, ut artifices nonnulli, senes, pauperes, mulieres prægnantes aut nutrices, ètc., poterit Confessarius in alia opera commutare jejunia.

5.° Quantùm ad confessionem, 1. quoties in Indulgentiarum concessione, additur, ut solitum est in Jubilæis, clausula hæc, *Verè contritis et confessis,* necessariò præmittenda est confessio actualis ab iis omnibus qui conscientiam habent peccati mortalis, nec sufficeret contritio perfecta cum voto sacramenti, quantumvìs etiam deesset copia Confessarii : ita expressè definiit sacra Congregatio Indulgentiarum, an 1729, teste P. Theodoro à Spiritu Sancto, ejusdem Congreg. Consultore, tract. de Indulg. parte 1, pag. 330. Item non sufficeret confessio sacrilega, quomodò nec ad præceptum ecclesiasticum sufficit. 2. Nunc certum est, ex vi prædictæ clausulæ, confessionem iis etiam qui venialium duntaxat rei sunt, necessariam esse, scilicet Constitutione suâ, *Convocatis,* an. 1749, § 46, declarat Benedictus XIV, *Confessionem sacramentalem, cùm in Jubilæo anni sancti* 1750 *sit opus injunctum, peragendam esse, etiam ab eo qui solis peccatis venialibus tenetur, si hoc lucrari Jubilæum velit.* 3. Qui post confessionem incidit in mortale, priusquàm omnia alia opera injuncta posuerit, tenetur ex vi clausulæ, *Verè contritis et confessis,* iterùm confiteri, quia aliàs non haberet dispositionem à Sum. Pontifice requisitam, atque istud expressè declaravit pro Jubilæo anni sacri 1750, citatâ Constitut. § 47, laudatus jam Benedictus XIV. Si verò solùm recordetur peccati mortalis inculpabiliter omissi, idem dicendum esse affirmat *Suarez,* negat *Viva.*

6.° Circa communionem peragendam, 1. ea debet esse non sacrilega, ut hodiè fatentur omnes, sed digna et fructuosa, ut omnes ferè Theologi docent. 2. Hactenùs disputatum est,

an pueri qui ad primam communionem nondùm admissi sunt, nec intra tempus ad Indulgentiam Jubilæi determinatum admittendi judicantur, commutatione indigeant, ita ut necesse sit aliud ipsis opus injungi in locum communionis cujus sunt incapaces : nodum solvit Benedictus XIV, dùm Constitutione, *Convocatis*, § 48, et Bullâ Extensionis Jubilæi anni sacri, eisdem pueris communionem in aliud pium opus commutari posse permittit; supponit igitur Sum. Pontifex prædictos pueros indigere commutatione.

ARTICULUS VIII.

De Duratione, Cessatione et Suspensione Indulgentiarum.

Circa durationem et cessationem Indulgentiarum, hæc præcipuè sunt observanda.

1.° Indulgentia conceditur vel ad tempus præfixum et determinatum, vel expressè in perpetuum duratura, vel indefinitè, nullâ temporis aut durationis factâ mentione. 1. Si ad tempus concedatur, prout, juxta hodiernum Romanæ Curiæ stylum, solent Indulgentiæ pro festivitatibus concedi ad septennium, certum est, eo elapso tempore præfixo, Indulgentiam cessare; notandumque duntaxat, quòd, licèt Indulgentiarum Brevia nonnisi à die publicationis de licentiâ Ordinarii factæ suum sortiantur effectum, attamen initium temporis præfixi, non à die receptionis vel publicationis sit computandum, ut docent nonnulli, v. g., *Pontas* (Vid. *Indulg.* cas. 3); sed à die dati Brevis, ut declaravit S. Congregatio Indulgentiarum, decreto anni 1711, à Clem. XI approbato. 2. Docuerunt plurimi,

ut *Pontas*, ibid. cas. 7, et Coll. Andeg. de Pœnit. tom. 2, Indulgentias quæ Brevibus in perpetuum conceduntur, valere duntaxat ad 20 annos, ex regulâ 57 Cancellariæ; verùm P. Theodorus à Spiritu Sancto, sacræ Congregationis Indulgentiarum Consultor et Theologus, tract. jam citato de Indulg. Romæ anno 1743 edito, et Sum. Pontifici Bened. XIV nuncupato, scribit, 2. parte, pag. 25, prædictos Auctores *turpiter errasse*, probatque, tum quia regula 57 ab Innoc. VIII præscripta, quam illi diminutè recitant, restringit ad 20 annos eas solùm Indulgentias quæ pro solemnioribus generatim festivitatibus anni conferuntur; quæ verò pro unâ die determinatâ postulantur, declarat eas in perpetuum duraturas concedi; tum quia regulam hanc abrogavit Clemens VIII, translatâ ad Secretariam Brevium facultate expediendi Litteras Indulgentiarum, vel in perpetuum, vel ad tempus determinatum. Ita etiam expressè respondit Card. Oliverius, ejusdem Congregationis Præses, eâ de re à præposito Congregationis Missionis consultus, ut refert Continuator Theol. Tournel. tom. 6, pag. 772, edit. anni 1745. 3. Si concedatur Indulgentia indefinitè et absque ullâ limitationis mentione, ex vi verborum, in perpetuum valet, nisi virtualis occurrat limitatio ex subjecto cui conceditur, vel ex causâ aut fine concessionis, putà si alicui determinatæ personæ detur, vel ad unum actum.

2.° Certum est Indulgentias non cessare per mortem Superioris concedentis, nisi in ipsâ concessione contrarium exprimatur.

3.° Cessare constat per expressam concedentis aut successoris revocationem, iis qui Indulgentiâ

gaudent notificatam; imò etiam, ex probabiliori sententiâ, juxta stylum sufficienter Romæ duntaxat promulgatam.

4.° Cessant per destructionem loci, v. g., Templi, vel rerum, vel numismatum, quibus annexæ erant Indulgentiæ, prout fatentur omnes.

5.° Translato festo in cujus die conceditur Indulgentia, non ipsa transfertur, sed cessat Indulgentia, ut declaravit sacra Rituum Congregatio, die 3 Septembris 1679; quod etiam locum habet, etsi Indulgentia sit annexa non ipsi diei mensis, sed festo: P. Theod. à Spiritu Sancto, tract. citati 2 parte, pag. 25.

Quantùm ad suspensionem Indulgentiarum, notandum, juxta stylum à Sixto IV introductum, Sum. Pontifices, durante Jubilæi ordinarii anno sacro, Bullis suis alias Indulgentias suspendere, imò et sub excommunicatione latæ sententiæ prohibere prædicationem vel annuntiationem illarum, *Ne scilicet propter illas*, inquit Sixtus IV, *populorum forsan concursus ad Basilicas Romanas retardari, aut ipsius anni Jubilæi celebritas minui vel intermitti possit cum animarum non modico detrimento.* Diù autem mota est controversia de iis Indulgentiis quæ suspensioni subditæ censeri deberent. Totam solvit difficultatem Bened. XIV, Brevi suo Romæ publicato die 24 Maii, anno 1749, unà cum Bullâ Indictionis Jubilæi anni 1750. Nimirùm hoc Brevi suo à suspensione præservat, et firmas vult remanere sequentes Indulgentias: 1.° Indulgentias quas Benedictus XIII concessit fidelibus Salutationem angelicam recitantibus manè, aut meridiè, seu vesperè, ad campanæ pulsum. 2.° Omnes Indulgentias pro articulo mortis, et facultates eas impertiendi seu

communicandi. 3.° Indulgentias fidelibus SS. Eucharistiæ sacramentum, cùm ad infirmos defertur, devotè comitantibus, ab Innoc. XI et XII concessas. 4.° Indulgentias Altarium privilegiatorum pro fidelibus defunctis, aliasque pro iis solis concessas. Item et servat facultatem à Bened. XIII cuique concessam, quaslibet alias Indulgentias suspensas applicandi pro defunctis. 5.° Indulgentias à Legatis à latere, Nuntiis Apostolicis et Episcopis concessas. Cæteras omnes Indulgentias, tam plenarias quàm partiales, suspendit, durante Jubilæi anno, Summus Pontifex Benedictus XIV.

Hic observandum superest, 1.° contra nonnullos, v. g., *Pontas* (*Jubilé*, cas. 18), Indulgentiarum suspensionem locum habere duntaxat, durante sacro Jubilæi anno, non autem tempore Jubilæorum quæ per orbem conceduntur; constatque tum ex verbis Bullæ Sixti IV modò laudatis, quæ solùm anni sacri Jubilæum in solâ urbe Româ consequendum spectant; tum ex citato Brevi Benedicti XIV, ubi sic mentem suam aperit Sum. Pontifex : *Cupientes ut christianæ nationes ex omnibus terrarum orbis locis in hâc urbe nostrâ..... Basilicas prædictas, quo maximo fieri poterit concursu, durante eodem Jubilæo, visitantes et frequentantes, tanti et tam certi spiritualis emolumenti compotes fiant....., Indulgentias et facultates ab apostolicæ Sedis liberalitate aliàs emanatas, pro hoc anno suspendere.... decrevimus, et constituimus;* tum deniquè quia nullum citari potest Diploma Apostolicum quo suspendantur Indulgentiæ tempore cujusvis alterius Jubilæi. 2.° Indulgentiam ad septennium concessam, probabiliùs per octen-

nium durare, quandò occurrit sacer Jubilæi annus, qui non computatur, cùm eo durante fuerit suspensa : ita *Viva*.

CAPUT II.

De Purgatorio animarum loco.

Hujus capitis tres erunt articuli : in 1.° videbitur an sit Purgatorium, in 2.° quænam sint illius pœnæ, in 3.° an animæ ibi detentæ per suffragia et Indulgentias possint juvari.

ARTICULUS PRIMUS.

An sit Purgatorium.

Purgatorium esse negârunt olìm Albigenses et Waldenses; nunc quoque negant Lutherani et Calvinistæ : contra hos omnes sit

PROPOSITIO.

Existit Purgatorium.

Propositio est de fide; definita fuit à Concilio Florentino, et Tridentino, Sess. 25, decreto de Purgatorio.

Prob. insuper 1.° *ex Script.* Lib. II Mach. c. 12, ℣. 46 : *Sancta ergo et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis solvantur.* In eo loco per peccata intelligi debent pœnæ peccatorum, non autem peccata mortalia, quæ, fatentibus adversariis, non possunt in aliâ vitâ tolli. Undè sic conficitur argumentum : Ex Scripturâ, sunt quidam defuncti, qui pro peccatis

aliquas pœnas patiuntur, à quibus eximi possunt etiam per preces vivorum, ut constat ex verbis allatis : at illi defuncti non sunt Beati, nihil enim patiuntur ii qui beatitudine fruuntur ; non sunt etiam damnati, nam ii à pœnis liberari non possunt ; ergo sunt in medio statu inter beatitudinem et damnationem, id est, sunt in Purgatorio.

Respondent adversarii ad hunc locum, librum istum non esse canonicum et Scripturam sacram. Sed facilè refelluntur,

Quia Conc. Carthag. III, can. 47, in catalogo librorum Scripturæ reponit libros Mach. Similiter Gelasius, Sum. Pontifex, in decreto de lib. canon. edito, in Conc. 70 Episcop., hos numerat etiam inter alios Script. sacræ libros. Deindè SS. PP. agnoscunt libros illos esse canonicos, inter alios S. Aug. lib. 18 de Civit. Dei, cap. 36 : *Libros*, inquit, *Machabæorum non Judæi, sed Ecclesia pro canonicis habet.*

Prob. 2.° *ex SS. PP.* S. Aug. libro de Curâ pro mortuis, cap. 4, sic ait : *Cùm recolit animus ubi sepultum sit carissimi corpus, et occurrit locus nomine Martyris venerabilis, eidem Martyri animam dilectam commendat recordantis et precantis affectus. Qui cùm defunctis à fidelibus exhibetur, eum prodesse non est dubium.* Et infrà sic addit : *Non sunt prætermittendæ supplicationes pro spiritibus mortuorum, quas faciendas... suscepit Ecclesia.* Et lib. de Hæresibus, cap. 53, Aerium id negantem pro hæretico habet. S. Epiphanius, in libro contra Hæreses, circa finem, inter dogmata fidei recenset orationem pro mortuis. Tam evidens est autem SS. PP. docuisse orandum esse pro defunctis, ut Calvinus ipse id fateatur lib. 3 Institut. Porrò ex praxi

Ecclesiæ orandi pro defunctis sic Catholici argumentum conficere possunt : Ecclesia non orat pro Beatis, nec pro damnatis; ergo pro iis qui sunt in medio statu, nempè in Purgatorio.

ARTICULUS II.

Quænam sint pœnæ Purgatorii.

PROPOSITIO.

Animæ in Purgatorio detentæ patiuntur pœnam damni et pœnam sensûs.

Propositio certissima est.

Prob. 1.ª *pars.* Quia animæ in Purgatorio existentes privantur ad tempus visione beatificâ in pœnam peccatorum : hæc autem privatio est pœna damni, et omnium quas patiuntur acerbissima.

Prob. 2.ª *pars.* 1.° Ex Apost. I Cor. c. 3, ℣. 15 : *Salvus erit.... quasi per ignem.* 2.° Ex S. Aug. in Psal. 37 : *Gravior erit ignis ille*, inquit, de Purgatorio loquens, *quàm quidquid homo potest pati in hâc vitâ.* 3.° Ratione : Quia per pœnam sensûs expiantur pœnæ peccatis debitæ : at in Purgatorio habent animæ reatum pœnæ pro peccatis subeundæ.

Quæres utrùm animæ in Purgatorio torqueantur à vero et corporeo igne, et quomodò.

Resp. 1.° illas torqueri à vero et corporeo igne. *Prob.* ex S. Greg. in Psal. 3. pœnitentialem : *Scio*, inquit, *futurum esse ut post hujus vitæ exitum alii flammis expientur purgatoriis, alii sententiam subeant æternæ damnationis; sed quia illum transitorium ignem omni tribulatione æstimo præsenti intolerabiliorem*, etc. At per ignem, loquendo simpliciter et absolutè, seu

sine addito, intelligitur ignis materialis. Deniquè id probatur ex consensu Scholasticorum.

Respondent 2.° nonnulli, animas in Purgatorio detentas physicè ab igne torqueri. Probant autem quia ignis inferni physicè agit in damnatorum animas; ergo ignis Purgatorii etiam physicè comburit animas in Purgatorio detentas.

Consequentia patet, cùm enim uterque ignis sit verus, et uterque animas torqueat, profectò si infernalis physicè agit, non est ratio cur alium modum agendi tribuamus igni Purgatorii. *Prob. ant.* ex Script. Luc. c. 16, ℣. 24, damnatus ait: *Quia crucior in hâc flammâ :* quæ verba declarant illum torqueri per combustionem physicam ignis. Undè S. Aug. lib. 21 de Civit. Dei, cap. 10, ait ignem miris, sed tamen veris modis animas torquere. Fatendum tamen est de fide non esse quòd ignis ille sit materialis, aut physicè torqueat.

Dices : Ignis materialis non potest physicè torquere spiritum; ergo, etc.

Respondent iidem : *Nego ant.* Nunc enim ignis physicè torquet animam in corpore detentam, quare ergo Deus omnipotens efficere non possit ut anima extra corpus sentiat dolorem similem ei quem in corpore sentit? innumeris enim modis id præstare potest.

Cæterùm, an ignis realiter præsens physicè vel moraliter tantùm torqueat animas, perindè est ad naturam supplicii.

ARTICULUS III.

An animæ in Purgatorio detentæ juvari possint per Indulgentias.

Probatur in *Tract. de Sacrificio* animas in

Purgatorio detentas per Missæ celebrationem plurimùm juvari; quòd etiam fieri potest per suffragia, nempè per orationes et pia opera. Probatur ex SS. PP. adductis in primo art. hujusce capitis. Superest igitur unica difficultas, nempè an animæ in Purgatorio detentæ per Indulgentias possint juvari. Itaque sit

PROPOSITIO.

Animæ in Purgatorio detentæ possunt per Indulgentias juvari.

Prob. 1.° *ex decretis* Sum. Pont. Sixti IV adversùs Petrum de Osma, et Greg. X, in Bullâ contra Lutherum, ubi hanc veritatem stabiliunt.

Prob. 2.° *ex praxi Eccl.* ex quâ constat antiquum morem fuisse ut Indulgentiæ defunctis applicarentur; suntque multæ pro animabus Purgatorii Indulgentiæ à Sum. Pontificibus ab antiquis temporibus concessæ.

Defunctis autem applicantur Indulgentiæ, non per modum absolutionis, cùm in eos auctoritatem non retineat Ecclesia, sed per modum solutionis et suffragii.

Hinc meritò proscripta est à Sum. Pontif. Pio VI, in Const. *Auctorem fidei*, hæc Synodi Pistoiensis propositio, n. 42, « *luctuosius adhuc* » *esse quòd chimærica isthæc applicatio* » (meritorum Christi et Sanctorum per Indulgentias) « *transferri volita sit in defunctos*, » proscripta est, inquam, tanquam « Falsa, temeraria, piarum » aurium offensiva, in Romanos Pontifices, et in » praxim, et sensum universalis Ecclesiæ inju- » riosa, inducens in errorem hæreticali notâ in » Petro de Osma confixum, iterùm damnatum in » art. 22 Lutheri. »

Obj. Si Sum. Pontifex posset dare Indulgentias pro animabus in Purgatorio detentis, deberet omnibus illas applicare, et omnes liberare : id tamen non facit; ergo non habet hanc potestatem.

Resp. Nego maj. Nam 1.°, ut vidimus, ad dandas Indulgentias requiritur causa justa, et aliquo modo proportionata : talis tamen non potest esse causa, ut Sum. Pont. possit omnes animas Purgatorii liberare. 2.° Theologi communiter docent Indulgentias non prodesse pro defunctis de condigno, sed duntaxat de congruo, id est, quibus, quandò et quantùm divinæ placuit misericordiæ, quomodò viventium preces defunctis prosunt : cujus rei ratio est, quia non videtur esse promissio divina de acceptandis alienis satisfactionibus pro pœnis quas subire debent defuncti : exstat autem hæc promissio respectu vivorum, dixit enim Christus S. Petro : *Quodcunque solveris super terram, erit solutum et in cœlis;* quod intelligitur etiam de pœnis temporalibus, quæ sunt vinculum spirituale.

TRACTATUS

DE

MATRIMONIO.

Quæstionem de conjugiis, inquit S. Augustinus, lib. I de adulterinis Conjugiis, cap. 25, *obscurissimam et implicatissimam esse non nescio : nec audeo profiteri omnes sinus ejus, vel in hoc opere, vel in alio me adhuc explicasse, vel jam posse, si urgear, explicare.* Quia verò istud argumentum pertractandi nobis incumbit necessitas, ne à recto tramite deflectamus, lucem præstabunt Ecclesiæ auctoritas et Sanctorum Patrum, Summorum Pontificum, probatissimorumque Canonistarum ac Theologorum documenta; quibus innixi præsentem tractationem aggredimur. In sex dissertationes eam partiemur, quarum prima erit de essentiâ Matrimonii; secunda, de ejus proprietatibus; tertia, de causis; quarta, de impedimentis; quinta, de ejusdem in ratione Sacramenti institutione; sexta deniquè de officiis Matrimonii : priùs tamen pauca dicemus.

De Nomine, Definitione et Divisione Matrimonii.

I. Matrimonium 1.° à matre deducitur, quasi diceretur *matris munium* seu officium matris, quia prolis cura et educatio, in principio saltem, magìs ad matrem pertinet quàm ad patrem.

2.° Dicitur *conjugium*, à communi jugo cui

vir

vir et femina alligantur ad ferenda Matrimonii onera; hinc *conjuges* communiter nuncupati.

3.° Dicitur *connubium* et *nuptiæ*, eo quòd in signum subjectionis, vel *pudoris gratiâ*, ut ait S. Ambrosius, lib. 1 de Abraham, *puellæ* viris tradendæ *se obnuberent.*

II. Matrimonium spectari potest vel ut *Contractus*, vel ut *Sacramentum.*

Matrimonium prout est Contractus, definiri potest : *Conjunctio maritalis viri et feminæ, inter legitimas personas, individuam vitæ societatem retinens.*

Dicitur 1.° *conjunctio*, quæ vox tenet locum generis. Nomine autem conjunctionis non solùm intelligitur *actus* ille *transiens*, quo vir et mulier sese mutuò tradunt et accipiunt, sed, et præsertim, *habitus* seu vinculum permanens quod ex eodem actu resultat.

Dicitur 2.° *maritalis*, ut distinguatur à quâlibet aliâ unionis vel societatis specie, v. g., fraternâ unione vel negociationis societate.

Dicitur 3.° *viri et feminæ*, singulari numero, ut polygamia excludatur.

Dicitur 4.° *inter legitimas personas*, id est, quæ idoneæ et habiles sint ad contrahendum.

Dicitur 5.° *individuam vitæ societatem retinens*, id est, perpetuam ac perseverantem; quia nempè solvi non potest Matrimonium partium consensu, ut solvuntur alii contractus.

Jam verò si huic definitioni ea adjunxeris quæ ad Sacramenti rationem pertinent, nempè institutionem Christi et gratiæ promissionem, Matrimonium ut sacramentum ritè definies: *Conjunctio maritalis ,.... à Christo instituta ad significandam suam unionem cum Ecclesiâ, et*

conferendam conjugibus gratiam quâ piè uniantur, et prolem in fide christianâ sanctè instituant.

Observabis prædictam definitionem Matrimonii, sive quatenùs Contractus est, sive quatenùs est Sacramentum, esse totius tractatûs quasi summarium, proindèque eam, nonnisi absoluto tractatu, probè intelligi posse ac probari.

III. Matrimonium aliud est *legitimum*, quod secundùm jus gentium et leges civiles, mutuo partium consensu contrahitur; caret Ecclesiæ auctoritate et sacramenti dignitate : hujusmodi sunt, v. g., Matrimonia infidelium. Aliud est *ratum*, quod juxta Ecclesiæ decreta et regulas inter se contrahunt fideles : ratum dicitur, quia fit Ecclesiâ approbante; quamvis interdùm *ratum* minùs propriè nuncupetur Matrimonium non consummatum, etiam invalidum, modò illius invaliditas non oriatur ex defectu consensûs, ut in decursu videbitur. Aliud deniquè *consummatum*, quod per usum completur, et, si à fidelibus contractum sit, nunquàm dissolvi potest.

DISSERTATIO PRIMA.

DE ESSENTIA MATRIMONII.

PLURA sunt in Matrimonio distinguenda : 1.° consensus partium contractum efficiens; 2.° vinculum ex tali consensu resultans; 3.° jus ad exigendum Matrimonii usum; 4.° ipse usus Matrimonii; 5.° tandem individua vitæ et officiorum societas. Quæritur quâ in re ex enumeratis reponenda sit essentia Matrimonii.

Circa hanc quæstionem 1.° errârunt Julianus

Pelagii discipulus et Wiclefus, qui essentiam Matrimonii in ipsius usu reposuerunt; rati scilicet, sine usu conjugium consistere non posse. 2.° Inter Theologos pauci opinantur nec ipsum jus ad usum Matrimonii pertinere ad ejus essentiam : ita præsertìm Basilius Pontius. Alii communiter docent non usum quidem Matrimonii, sed jus ad ipsius usum, Matrimonio esse essentiale. Sed inter istos nonnulli essentiam Matrimonii collocant in mutuo contrahentium consensu in jus ad usum; cæteri verò in nexu seu vinculo perpetuo quod ex tali consensu oritur : hæc tamen postrema Theologorum dissentio de nomine potiùs quàm de re esse videtur, ut infrà patebit. Itaque sit

PROPOSITIO PRIMA.

Usus non est de essentiâ Matrimonii.

Prob. 1.° *ex Script.* Fide certum est Beatam Mariam illibatam Virginem semper permansisse, ut probatum est in *Tractatu de Incarnatione*, Dissert. 2.ª, cap. 1, art. 3 : atqui tamen certissimum est inter B. Virginem et S. Josephum verum fuisse Matrimonium. Namque 1.° Matth. c. 1, ℣. 16, 20 et 24, Joseph *vir* Mariæ, et Maria *conjux* et *uxor* Josephi simpliciter appellatur. Præterea Matth. c. 13, Luc. c. 3, Joann. c. 6, ipsi Judæi Jesum Josephi, ideòque fabri filium, et Josephum ejus patrem appellant : porrò hujus opinionis, licèt falsæ, non alia causa fuit, quàm quòd notum erat inter Josephum et Mariam verum contractum fuisse Matrimonium; ergo, etc. 2.° Idem docent plures SS. PP., præsertìm S. Ambr. lib. de Inst. Virg. cap. 6, et S. August.

lib 23 contra Faustum, cap. 8, quos sequuntur S. Thomas et omnes Theologi. Undè qui contrarium affirmant, inquit Bened. XIV, de Synod. diœc. lib. 13, cap. 22, n. 13, *ii temerè falsòque opinantur.*

Prob. 2.° *ex Traditione*, cujus luculentiores testes inter alios appellare sufficiat S. Ambr. de Inst. Virg. cap. 6, et S. Aug. pluribus in locis, præsertim lib. Contra Julianum, lib. 5, cap. 16, n. 62, ubi refellens suprà memoratam Juliani sententiam, sic loquitur: *Non est ista definitio nuptiarum...; nam sine corporum commixtione possunt esse conjuges: alioquin non erunt conjuges..., certè cùm senuerint, sibique misceri non potuerint.*

Prob. 3.° *Ratione theologicâ.* Illud enim non est de essentiâ Matrimonii sine quo verum et legitimum Matrimonium esse potest: atqui sine usu conjugii verum, etc.; aliàs enim vir et femina, quamtumvìs publicè Matrimonium contraxissent, non priùs esse conjuges inciperent quàm contractum Matrimonium consummassent: atqui hæc assertio communi hominum sensui repugnat. Hinc omnibus ingenita persuasio virum et feminam sine crimine Matrimonio uti, quia jam sunt conjuges, non verò ideò fieri conjuges, quia Matrimonio utuntur.

PROPOSITIO II.

In essentiâ Matrimonii includitur dominium in corpora, sive jus, saltem radicale, *ad usum.*

Prob. Vel enim Matrimonio essentiale est jus radicale ad usum, vel, ut volunt adversæ sententiæ patroni, solummodò jus ad individuam

vitæ societatem : atqui posterius dici nequit. Supponamus enim virum et mulierem inter se convenire de mutuis duntaxat amicitiæ officiis sibi perpetuò persolvendis; nemo sanè dixerit talem contractum verum esse Matrimonium : atqui tamen conventio hujusmodi manifestum utrinquè jus pariet ad individuam vitæ societatem; ergo, etc.

Confirmatur ex absurdis. Ex adversâ enim sententiâ sequeretur veros conjuges uti Matrimonio non posse, quin sint fornicarii; et posse tamen cum extraneis commercium carnale habere, quin sint adulteri; etenim in hâc sententiâ, existit verum Matrimonium absque ullo jure, etiam radicali, ad usum, seu dominio mutuo in corpora; ergo fornicationis rei sunt veri conjuges qui Matrimonio utuntur, cùm nullo ad id jure gaudeant; ergo pariter non sunt adulteri, si cum extraneis Matrimonio utantur, cùm nullus ex illis alterius conjugis jus lædat : porrò hæc repugnant tum innato hominum sensui, tum doctrinæ Apostoli dicentis : *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.* I Cor. c. 7, ℣. 4.

PROPOSITIO III.

Essentia Matrimonii, prout est actus transiens, *consistit in consensu partium exteriùs manifestato; prout verò est* habitus permanens, *in vinculo quod ex tali consensu resultat.*

Prob. utraque pars, solâ terminorum expositione. Etenim 1.° Matrimonium quatenùs est *actus transiens*, nihil aliud est quàm ipse contractus spectatus præcisè in instanti quo initur,

seu quo conjuges individuam societatem sibi spondent : atqui essentia hujus contractûs, sicut et cæterorum contractuum, in consensu partium exteriùs manifestato collocanda est; ergo, etc.

2.° Per Matrimonium prout est *habitus permanens,* intelligitur status conjugalis qui, ubi semel incœpit, semper viget et perseverat : atqui hujusmodi statûs essentia consistit in nexu seu vinculo quod ex priùs dato consensu partium resultat, ut facilè intelligunt omnes; ergo, etc.

Advertes obiter ope distinctionis in propositione positæ, facilè conciliari Theologorum hâc de re opiniones, quæ nonnisi penes nomina discrepare videntur, ut suprà notavimus.

Dices contra probationem 1.æ *propos.* ex Matrimonio B. Virginis desumptam : B. Virgo votum emiserat perpetuæ castitatis : atqui, hoc posito, non potuit contrahere Matrimonium; ergo, etc.

Resp. Nego min. Etenim cùm jam argumentis positivis probaverimus verum inter B. Virginem et S. Josephum exstitisse Matrimonium, ut difficultati propositæ satisfiat, sufficit quòd admitti possit probabilis suppositio quâ votum virginitatis perpetuæ à Beatâ Mariâ emissum cum vero et licito Matrimonio non difficilè conciliari possit : atqui res ita est; supponimus enim cum D. Thomâ quem sequuntur *Suarez,* Benedict. XIV, de Festis, 2 part., n. 12, et alii graviores Theologi, B. Virginem, antequàm cum S. Josepho Matrimonium contraheret, per specialem revelationem, aut alio modo, certò didicisse sanctissimum ipsius conjugem jure per Matrimonium acquirendo nunquàm usurum, imò et ipsius societatem à Deo ipsi fuisse datam veluti suæ

virginitatis præsidium : atqui in hâc hypothesi facilè explicatur quomodò illius cum S. Josepho Matrimonium licitum fuerit ac validum. 1.° Quidem licitum fuit; cùm ex S. Josephi consortio nullum suæ virginitati futurum esset periculum. 2.° Pariter et validum, tum quia in factâ hypothesi minimè necessarium est ad conditionem de non consummando Matrimonio recurrere, ut patet; tum quia votum non repugnat mutuo juri in corpora, sed illius duntaxat usum interdicit, non virtute quidem justitiæ, sed solùm virtute religionis ; adeò ut si conjuges voto perpetuæ virginitatis obstricti Matrimonio uterentur, non peccarent nisi contra religionem, nec filii eorum illegitimi forent, obtentâque super votum dispensatione, licitè possent Matrimonium consummare, quin de novo consensum in ipsum præstarent.

DISSERTATIO SECUNDA.

DE PROPRIETATIBUS MATRIMONII.

Tres sunt Matrimonii proprietates, Honestas nempè, Unitas et Firmitas seu Indissolubilitas : de iis totidem capitibus agendum est.

CAPUT PRIMUM.

De Matrimonii Honestate.

Matrimonium hìc spectatur præsertìm quatenùs ad prolem generandam ordinatur. Quocircà triplex est error distinguendus. Alii enim dixerunt nuptias naturâ suâ malas esse : ita Marcionitæ et Manichæi. Alii è contrà docuerunt nuptias non

minùs bonas esse quàm virginitatem : sic Jovinianus. Alii demùm voluerunt nuptias ipsâ virginitate esse meliores, imò virginitatem simpliciter esse malam : ita Lutherus et Calvinus. Contra illos omnes sit

PROPOSITIO PRIMA.

Matrimonium ex se bonum est et honestum.

Prob. Illud profectò bonum est et honestum quod Deus ipse in statu innocentiæ instituit, confirmavit Christus in Evangelio, approbârunt Apostoli et Ecclesia contra ipsius detractores : atqui Matrimonium Deus ipse, etc. 1.° Deus in statu innocentiæ Matrimonium instituit, ut legitur Gen. c. 1, ℣. 27, 28, et c. 2, ℣. 24. 2.° Illud confirmavit Christus, Matth. c. 19, ℣. 4, ubi memorans verba Genesis modò indicata, sic concludit : *Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet :* et Joan. c. 2, ipse Christus ad nuptias invitatus illas eò splendidiori miraculo commendavit, quòd omnium primum foret. 3.° Approbârunt Apostoli ; Hebr. c. 13, ℣. 4, S. Paulus Matrimonium vocat *honorabile connubium ;* et I ad Cor. c. 7, ℣. 38, ait : *Qui Matrimonio jungit virginem suam,* BENÈ *facit.* Imò et I ad Tim. c. 4, ℣. 1 et seqq. *doctrina prohibentium nubere* ab eodem Apost. inter *doctrinas dæmoniorum* computatur. 4.° Approbavit ipsa Ecclesia, dùm SS. PP. et Concilia Marcionitas, Manichæos, etc., contra docentes damnârunt. In re tam obviâ sufficiat appellare Conc. Gangrense versùs medium IV seculi : *Si quis nuptias accuset,.... anathema sit.*

Obj. 1.° I ad Cor. c. 7, ℣. 6, Matrimonii usum concedit Apostolus *secundùm indulgentiam* :

porrò quod per indulgentiam conceditur, de se malum est; ergo, etc.

Resp. 1.° Ex jam dictis constat Apostolum Matrimonium habuisse tanquam simpliciter *bonum et honorabile;* si ergo Matrimonii usum de se malum diceret, jam ipse secum manifestè pugnaret, quod profectò supponi nequit. 2.° Ideò *secundùm indulgentiam* Matrimonii usum Corinthiis concedit Apostolus, quia usus ille est aliquid minùs perfectum quàm ipsa continentia, ut satis indicatur ex iis quæ statìm subjungit: *Volo enim omnes vos esse sicut meipsum; sed unusquisque proprium donum habet ex Deo: alius quidem sic, alius verò sic.*

Inst. Illud certè malum est per quod transfunditur peccatum originale: atqui peccatum originale per Matrimonium transfunditur; ergo, etc.

Resp. Dist. maj. Illud est, etc., per quod originale peccatum transfunditur ex naturâ suâ, *conc.;* per accidens, *nego.* Itaque peccatum originale ex naturâ Matrimonii non transfunditur, *cùm nuptiæ essent, etiamsi nemo peccasset,* inquit S. August. lib. 1 de Nupt et Concup. Si verò accidentaliter per Matrimonium transfundatur peccatum originale, illud in Adamum solum, non autem in personas nuptas rejiciendum est; quæ si honestè conjugio utantur, actum virtutis eliciunt, et cum Deo ad propagationem generis humani concurrunt, per medium ab ipso præscriptum. Et certè non tam per corpus quod generatur per Matrimonium quàm per animam à Deo creatam, peccatum originale transfunditur; quis tamen dixerit Deum esse peccati auctorem, dùm in præsenti statu animam creat humanam?

PROPOSITIO II.

Virginitas pro Deo suscepta Matrimonio excellentior est.

Prob. 1.° *ex Script.* Matth. c. 19, ℣. 10, postquàm Christus Apostolis declaravit Matrimonii indissolubilitatem, reponunt isti : *Si ita est causa hominis cum uxore, non expedit nubere ;* quorum sententiam comprobans Christus addit : *Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est ;* ergo non nubere donum Dei est adeò perfectum ut pauci illud capiant. I Cor. c. 7, ℣. 38 : *Qui Matrimonio jungit virginem suam, benè facit : et qui non jungit* MELIUS *facit ;* cujus rationem jam attulerat ℣. 34 ; nam, *mulier innupta et virgo cogitat quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore et spiritu ; quæ autem nupta est cogitat quæ sunt mundi, quomodò placeat viro.*

Prob. 2.° *ex SS. PP.* Tertull. lib. 1 ad Uxorem ; S. Ambr. lib. 1 de Virginibus ; S. Aug. lib. de sanctâ Virginitate ; Hier. in duobus libris contra Jovinianum, etc. S. Cypriani testimonium referre sufficiat, lib. de habitu Virginum, ubi sic virgines miro extollit encomio : *Flos est ille,* inquit, *ecclesiastici germinis, decus atque ornamentum gratiæ spiritualis..., Dei imago respondens ad sanctimoniam Domini, illustrior portio gregis Christi. Gaudet per illas, atque in illis largiter floret Ecclesiæ matris gloriosa fecunditas.* Hinc damnatus Jovinianus ; hinc Conc. Trid. meritò contra Lutherum et Calvinum definivit, Sess. 24, can. 10 : *Si quis dixerit statum conjugalem anteponendum esse statui virginitatis vel*

cœlibatûs, et non esse MELIUS *ac* BEATIUS *manere in virginitate aut cœlibatu, quàm jungi matrimonio; anathema sit.*

Prob. 3.° *Ratione theologicâ.* Christus namque ex virgine nasci voluit; ipse virgo per totam vitam permansit; præ omnibus discipulis S. Joannem virginem discipulum dilexit, eique soli virginem matrem moriens commendavit: porrò Christi hæc agendi ratio satis ostendit quantùm sibi nuptiis acceptior esset virginitas; ergo, etc.

Nota. Etsi virginitas excellentior sit Matrimonio, non est tamen omnibus promiscuè consulenda: sed priusquàm alicui, præsertim mulieri, votum virginitatis permittatur, sedulò perpendenda sunt, 1.° ætas personæ; *juniores* enim, emisso voto, quandòque *nubere volunt.* 2.° Illius in virtute profectus et constantia, utrùm nempè mortificationis, humilitatis, abnegationis propriæ exercitia sat diù coluerit. Deindè, illi permittatur primò votum pro mense, aut sex mensibus ad experiendum an fuerit propositi apprimè tenax.

Dices: Matrimonium est Sacramentum, non autem virginitas; ergo Matrimonium virginitate melius est.

Resp. Nego consequent. Etenim 1.° Christus et Apostolus sciebant profectò Matrimonium Sacramentum esse, et tamen virginitatem Matrimonio prætulerunt. 2.° Cùm virginitas Matrimonio præfertur, status cum statu comparatur, et asseritur statum virginitatis esse statu conjugali multò perfectiorem: jam verò Matrimonii status non est Sacramentum, sed solùm transiens ille actus quo conjuges sese mutuò legitimè tradunt et accipiunt. 3.° Falsum est etiam quod supponit

objectio, nempè, illud quod producit gratiam *ex opere operato*, semper illo esse perfectius quod gratiam producit *ex opere operantis*; plus enim meretur qui martyrium subit, quàm si aliquod reciperet Sacramentum, quamvis istud *ex opere operato*, illud verò *ex opere operantis* duntaxat, gratiam producat.

Colliges Matrimonium non esse in lege evangelicâ omnibus et singulis præceptum, ut finxêre Pseudo-reformatores; si enim res ita esset, jam prohibita et proindè mala foret virginitas, nedùm Matrimonio excellentior.

Advertes tamen quòd Matrimonium potest esse *per accidens* præceptum in duplici casu, 1.° propter urgentem reipublicæ necessitatem, v. g., si ageretur de Principe qui, nullum hæredem habens, prævidet post suam mortem hæreticos regnum suum occupaturos, vel indè bella oritura, tunc huic Principi Matrimonium est aliquo modo præceptum. 2.° Si quis, carnis tentationibus impetitus, nolit alia adhibere remedia; in eâ hypothesi, si liber sit, tenebitur eligere Matrimonium ut remedium vitandæ tentationis, illudque indicat Apost. I Cor. c. 7, ℣. 9: *Quòd si non se continent, nubant.*

CAPUT II.

De Unitate Matrimonii.

Matrimonii unitas, quæ *monogamia* dicitur, est unius tantùm cum unâ solâ conjunctio. Huic opponitur *polygamia*, quæ in eo consistit quòd vir unus plures simul habeat uxores, vel uxor

plures simul habeat maritos, et dicitur polygamia *simultanea;* vel successivè tantùm, et polygamia *successiva* appellatur. De utrâque seorsim et breviter agendum est; sed ut à facilioribus ordiamur, de posteriori statim tractabimus.

ARTICULUS PRIMUS.

De Polygamiâ successivâ.

Secundas nuptias damnârunt Montanistæ et Novatiani, quartas verò tanquam jure divino nullas interdicunt Græci schismatici; contra hos et illos sit

PROPOSITIO.

Sub evangelicâ lege licita est polygamia successiva.

Prob. 1.° *ex Script.* I Cor. c. 7, ℣. 39: *Mulier alligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit; quòd si dormierit vir ejus, liberata est: cui vult nubat, tantùm in Domino.* I Tim. c. 5, ℣. 14: *Volo ergo juniores* viduas *nubere, filios* procreare, *matres-familiâs esse.*

Prob. 2.° *ex Traditione.* Clemens Alex. lib. 3 Stromat.; S. Epiph. Hæresi 59; S. Aug de bono Viduitatis, cap. 11. Instar omnium sit S. Ambr. lib. de Viduis cap. 11: *Non prohibemus secundas nuptias, sed non probamus sæpè repetitas: non enim expedit quidquid* LICET. Idem docent Conc. Laodicænum, can. 1; et Conc. Florent. errorem Græcorum perstringens, declarat *non solùm secundas, sed etiam tertias et quartas, atque ulteriores nuptias, si aliquod impedimentum non obstet,* LICITÈ *contrahi posse.*

Prob. 3.° *Ratione theologicâ.* Si Polygamia

successiva esset prohibita, vel jure naturali, vel jure divino, vel jure ecclesiastico : atqui nihil horum dici potest. Non 1.um; nihil quippe in iteratis nuptiis occurrit quod fini et naturæ Matrimonii repugnet. Non 2.um et 3.um, cùm è contrà evangelica et ecclesiastica lex iteratas nuptias permittat, ut modò vidimus; ergo, etc.

SCHOLIUM.

Ad ea quæ ex SS. PP. et Conc. opponuntur non difficilis est responsio, modò ad sequentia attendatur. 1.° Quidam SS. PP. de polygamiâ simultaneâ intelligi possunt, aut saltem de successivâ, more Judæorum. 2.° Plures alii more oratorum de polygamiâ paulò duriùs locuti sunt. Ita S. Hieronymus, qui tamen cùm à Joviniano accusatus fuisset quòd iteratas damnaret nuptias, ut hujus erroris suspicionem repelleret, sic ad Pammachium scribit, Epist. 50 : *Non damno digamos, imò nec trigamos, et si sic dici possit, octogamos.* 3.° Ex nonnullis Canonibus SS. PP. et Concil., præsertìm Ecclesiæ Græcæ, qui bigamos pœnitentiæ publicæ addixerunt, inferri nequit iteratas nuptias ab Ecclesiâ tanquam per se malas reprobatas esse; sed in illis castigatam duntaxat fuisse immoderatam, ex quâ ut plurimùm procedunt, libidinem : *Secundæ nuptiæ,* inquiebat Theodorus Studites, *tametsi permittantur, pœnâ castigantur.* Et verò, SS. PP. et Concilia quæ objiciuntur nullibi docent bigamos à se invicem esse separandos : atqui tamen eos separari jussissent, si existimassent secundas nuptias esse illicitas, et à fortiori, si credidissent eas esse fornicationem et adulterium, ut ex S. Basilio perperàm objicitur, cùm S. Doctor repetitas nuptias

cum Apostolo approbet, Epist. 199 ad Amphilochium, canonicâ 2.ª, can. 41, edit. Bened.

ARTICULUS II.

De Polygamiâ simultaneâ.

Nota 1.° polygamiam esse posse simultaneam, vel ex parte mulieris, cùm simul habet plures viros, et dicitur *polyandria*, id est, virorum pluralitas; vel ex parte viri, si simul habeat plures mulieres, et propriè *polygamia* nuncupatur.

Nota 2.° In eo consentiunt omnes quòd polygamia simultanea ex parte mulieris naturæ repugnet, cùm fini Matrimonii adversetur, prolis scilicet educationi, cujus, in tali Matrimonio, pater esset incertus. Præsens igitur controversia versatur duntaxat circa polygamiam simultaneam ex parte viri.

Nota 3.° Polygamia simultanea ex parte viri considerari potest vel relativè ad jus naturale, vel relativè ad jus divinum. De hujusmodi polygamiâ spectatâ relativè ad jus naturale, hìc annotare sufficiat eam legi naturali *absolutè* non repugnare, ut volunt Calviniani; tum quia, ut mox dicemus, Deus cum Patriarchis dispensavit ut simul plures haberent uxores; tum quia simultanea hæc uxorum pluralitas, licèt naturæ Matrimonii minùs congruat, tamen nec prolis generationi, nec mutuis conjugum juribus et officiis absolutè adversatur. In hoc itaque situm est controversiæ punctum an, scilicet, simultanea uxorum pluralitas juri divino sit contraria : pro cujus solutione sit sequens

PROPOSITIO.

Polygamia simultanea sensu mox exposito ante diluvium prohibita, Deo tamen dispensante veteribus Patriarchis licita fuit, ac tandem à Christo Domino abrogata, dùm Matrimonium primævæ institutioni restituit.

Tres sunt propositionis partes.

Prob. 1.ª *pars* 1.° *Ex Script.* verbis Gen. c. 2, ℣. 24, quæ Matth. c. 19, ℣. 5, ab ipso Christo tanquam ipsius Dei verba referuntur: *Dimittet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne unâ. Adhærebit*, inquit, *uxori suæ*, non uxoribus suis; et: *Erunt duo*, non verò *tres*, inquit Tertull. de Exhort. castitatis, cap. 5, *alioquin non jam una caro, nec duo in carne unâ.*

2.° *Ex SS. PP.*, qui eâ de causâ Lamech tanquam violatæ Matrimonii institutionis reum accusant, quòd omnium primus duas accepisset uxores. Sic Tertull. lib. de Monogamiâ, cap. 4: *Semel tantùm*, inquit, *vim passa institutio Dei per Lamech.* S. Hier. lib. 1 contra Jovinianum: *Primus Lamech sanguinarius et homicida, unam carnem in duas divisit uxores.* Hinc Nicolaus I respondens ad consulta Bulgarorum, n. 51, docet quòd *adulterii flagitium Lamech omnium primus in duabus uxoribus perpetravit.*

Prob. 2.ª *pars.* 1.° *Exemplo Patriarcharum*, Abrahæ præsertim et Jacob, qui licèt, testante Scripturâ, plures simul uxores habuerint, nullibi, vel levissimè, hâc de re vituperantur, quin è contrà ubique in Scripturis laudantur tanquam viri sanctissimi Deoque valdè accepti, cum qui-

bus electi *recumbent... in regno cœlorum*, Matth. c. 8, ℣. 11 : porrò supponi nequit viros adeò eximiæ sanctitatis, absque divinâ dispensatione, divinæ Matrimonii institutioni derogasse; aut si ipsi derogaverint, de illorum prævaricatione Scripturam omninò siluisse.

2.° *Ex SS. PP.*, qui hanc Dei dispensationem agnoscunt, nempè S. August. lib. 22 contra Faustum, et lib. de Bono conjugali, cap. 17; S. Ambr. lib. 1 de Abraham, cap. 4; S. Chrys. Homil. 56 in Genesim, quibus adjunge Innocentium III, cap. *Gaudemus, de Divortiis, ubi* hanc eamdem doctrinam disertissimè confirmat.

Prob. 3.ª *pars* 1.° *Ex Script.* Matth. c. 19, ℣. 4 et seqq. : *Non legistis quia qui fecit hominem ab initio, masculum et feminam fecit eos, et dixit : Propter hoc dimittet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne unâ. Itaque jam non sunt duo, sed una caro.* Undè sic : Tale vult Christus Matrimonium esse in novâ lege, quale ab initio fuit institutum, ut constat ex his verbis : *Non legistis, etc.* : atqui ab initio unius cum unâ fuit Matrimonium, et non fuit caro una nisi duorum; ergo, etc. Luc. c. 16, ℣. 18 : *Omnis qui dimittit uxorem suam, et alteram ducit, mœchatur* : porrò si mœchatur qui, priore dimissâ, ducit alteram, à fortiori mœchatur qui aliam ducit, priori retentâ. Item Rom. c. 7, ℣. 3 : *Mulier, vivente viro, vocabitur adultera si fuerit cum alio viro.*

2.° *Ex SS. PP.*, qui, licèt polygamiam non vituperent in veteribus Patriarchis, illam ut adulterium damnant in Christianis. In re tam apertâ audire sufficiat inter omnes S. Ambr. lib. 1 de

Abraham, cap. 7 : *Non licet tibi,* inquit, *uxore vivente, ducere aliam : nam et aliam quærere, cùm habeas tuam, crimen est adulterii.*

3.° *Ex Ecclesiæ praxi.* Quoties enim inter Christianos fuère qui, priori vivente uxore, novam ducere ausi sunt, in illos statìm universalis insurrexit Ecclesia, ut ex pluribus Historiæ Ecclesiasticæ exemplis satis notum est. Meritò igitur Conc. Trid. sic decernit : *Si quis dixerit, licere Christianis plures simul habere uxores, et hoc nullâ lege divinâ esse prohibitum ; anathema sit.*

Colliges 1.° Matrimonium cum secundo conjuge, vivente priori, non solùm illicitum esse, sed etiam invalidum. Etenim, vir qui tale init conjugium, *mœchatur,* inquit Christus ; mulier verò *vocabitur adultera,* ait Apostolus : porrò si validum esset hujusmodi conjugium, uterque peccaret quidem nubendo, sed neuter mœchiæ seu adulterii reus foret, si Matrimonio uteretur.

Colliges 2.° polygamiam simultaneam non solùm Christianis prohibitam esse, sed etiam infidelibus ; nam lex polygamiam prohibens à Christo Domino supremo omnium hominum legislatore sancita fuit, et ad omnes extenditur, ut patet ex verbo, *quicunque.* Hinc ubi infidelis polygamus ad fidem convertitur, exigit Ecclesia ut solam retineat uxorem quam primam legitimè sibi conjunxerat, cæteris dimissis.

CAPUT III.

De Matrimonii Indissolubilitate.

Dissolutio Matrimonii duplex distinguitur, alia quoad *vinculum,* quâ fœdus conjugale ita dis-

solvitur ut ambo conjuges sint sui juris, novumque possint inire conjugium; alia quoad *torum et habitationem,* quâ conjuges, subsistente conjugali vinculo, ab obligatione reddendi debiti et simul habitandi immunes efficiuntur. Hàc præmissâ distinctione, duæ erunt hujus capitis sectiones : expendemus in 1.ª, utrùm Matrimonium indissolubile sit quoad vinculum; in 2.ª utrùm sit indissolubile quoad torum et habitationem.

SECTIO PRIMA.

Utrùm Matrimonium sit indissolubile quoad vinculum.

Præsens quæstio spectari potest vel generatìm, vel relativè ad Infideles, vel relativè ad Judæos, vel relativè ad Christianos; undè quatuor erunt articuli.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrùm Matrimonium generatìm sit indissolubile.

PROPOSITIO.

Indissolubilitas Matrimonii, jure divino, generatìm *præcipitur.*

Prob. 1.° *ex Script.* Textibus in art. præcedenti relatis et art. IV, § 1, mox referendis, quorum unum aut alterum indicare sufficiat : *Et erunt duo in carne unâ.* Itaque JAM NON SUNT DUO, *sed una caro. Quod Deus conjunxit, homo non separet.* In quibus Christi verbis Apostolus I Cor. c. 7, ℣. 10 et 11, divinum agnoscit præceptum indissolubilitatis, et ex iisdem Concilium Tri-

dentinum colligit Matrimonii perpetuam indissolubilitatem, Sess. 24, in doctrinâ de Sacramento Matrimonii.

Prob. 2.° *ex SS. PP.*, quorum testimonia studiosè collegit Gibertus in opere cui titulus: *Tradition de l'Eglise sur le sacrement de Mariage*, tom. 3; illi enim unanimes sunt circa Matrimonii indissolubilitatem, si excipias casum adulterii, in quo nonnulli censent Matrimonium solvi; ergo *generatìm* agnoscunt omnes Matrimonium esse indissolubile: quod ad præsentem thesim sufficit.

Dixi in propositione 1.° *jure divino*, quia non omninò constat jure naturali præcipi Matrimonii indissolubilitatem; attamen *Matrimonii fœdus, quatenùs naturæ officium est, pro educandæ prolis studio, aliisque Matrimonii bonis servandis, perpetuum et indissolubile esse convenit,* inquit Bened. XIV, Const. *Dei miseratione*, § 1.

Dixi 2.° *generatìm*, quia sunt casus particulares infrà assignandi, in quibus Matrimonium solvi potest.

ARTICULUS II.

An Matrimonium apud Infideles sit indissolubile.

Certum est 1.° Matrimonium ab infidelibus initum validum esse et legitimum in ratione contractùs, modò illi juxta leges patrias contrahant, nec ullo impedimento juris naturalis obstringantur. 2.° Per baptismum unius conjugum Matrimonium non solvi; cùm per baptismum non *solvuntur conjugia, sed dimittuntur crimina*, inquit Innoc. III, cap. *Gaudemus, de Divortiis;*

nec à fortiori dirimitur conjugium, si uterque infidelis fidem amplexus sit. 3.° Matrimonium non priùs dissolvi quàm conjux ad fidem conversus ad alias nuptias transierit, ut colligitur ex eodem cap. *Gaudemus*, et in praxi tenet congregratio Conc. Trid., inquit Bened. XIV, Const. modò referendâ. 4.° Matrimonium à fidelibus contractum non dirimi, si pars una ad infidelitatem desciverit.

Itaque controversia in eo versatur, an et quibus de causis Matrimonium infidelium, per conversionem unius conjugum, dissolvi possit.

PROPOSITIO.

Conjux conversus potest dissolvere Matrimonium in infidelitate contractum, si alter infidelis nolit ei cohabitare; aut nonnisi cum contumeliâ Creatoris, vel pertrahendo ad peccatum.

Propositio certa est, inquit Bened. XIV, de Synod. dioeces. mox cit.

Prob. 1.° *ex Summ. Pontif.* 1. Ex celeberrimâ Decretali Innoc. III, in cap. *Quanto, de Divortiis*, ubi nostra propositio continetur. 2. Ex Constitutione Bened. XIV *Apostolici ministerii*, in quâ Summus ille Pontifex eamdem tradit doctrinam.

Prob. 2.° *ex Conciliis.* Limensi, act. 2, c. 36; Mexicano III, anno 1585, Romæ confirmato die 27 octobris 1589, lib. 4, tit. 1, *de Spons. et Matrim.* § 13 : *Si quandò evenerit ut, stante duorum infidelium Matrimonio, alter conjugum ad fidem conversus baptismum susceperit, altero vel ullo modo ad catholicam fidem conver-*

tere se nolente, vel non sine blasphemiâ divini nominis, vel ut eum pertrahat ad mortale peccatum, ei cohabitare volente, baptizatus ad secunda, si voluerit, vota transibit.

Prob. 3.° *ex auctoritate* Theologorum et Doctorum Juris canonici, imprimis Bened. XIV, de Synod. lib. 6, cap. 4, n. 3 : *Certum est*, inquit, *infidelium conjugium, ex privilegio in fidei favorem à Christo Domino concesso, et per Apostolum Paulum, I ad Corinth.* c. 7, *promulgato, dissolvi, cùm conjugum alter christianam fidem amplectitur renuente altero, in suâ infidelitate obdurato, cohabitare cum converso, aut cohabitare quidem volente, sed non sine contumeliâ Creatoris, hoc est non sine periculo subversionis conjugis fidelis, vel non sine exsecratione sanctissimi nominis Christi, et Christianæ Religionis despicientiâ.*

Nota 1.° ex eodem Bened. XIV, ibid., liberum non esse conjugi converso ad aliud Matrimonium transire priusquàm infidelis interpellatus, aut absolutè recusaverit cum eo cohabitare, aut animum sibi esse ostenderit cum illo quidem cohabitandi, sed non sine Creatoris contumeliâ; ut colligitur ex suprà citatâ Decretali Innoc. III, cap. *Quanto, de Divortiis ;* si verò infidelis conjux interpellari nequeat, v. g., quia latitat, vel quia in regiones longinquas abiit; tunc necessaria est dispensatio Summi Pontificis, ut conjux conversa ad secundas nuptias convolare possit : ita declaravit S. Congreg. Conc. Trid. 17 Januar. 1722. Et reverà hujusmodi dispensationem concessit Gregorius XIII Missionariis Societatis Jesu in Angolâ, Æthiopiâ et Brasiliâ degentibus.

Nota 2.° ex eodem, ibid. n. 4, quòd si infi-

delis conversus dimisit uxorem, sed ipse continentiam servavit, uxor verò infidelis cuidam infideli nupserit, et posteà cum ipso ad fidem convertantur; tunc uxor debet ad priorem virum redire : ita decisum fuit à Sacrâ Congregatione Concilii ann. 1726. Ratio est quia, ut jam diximus, Matrimonium in infidelitate contractum tunc primùm dirimitur, quandò conjux conversus aliud init conjugium : porrò in casu præsenti conjux ad fidem conversus in cœlibatu permansit.

ARTICULUS III.

An Matrimonium olìm apud Judæos solveretur.

Certum est 1.° concessum fuisse Judæis uxores suas libello scripto repudiare, Deut. c. 24, ℣. 1 et seqq.; 2.° usque ad tempora Christi perseverasse apud Judæos libelli repudii usum, ut constat tum ex libris Prophetarum, tum ex Matth. c. 19, ℣. 3, quamvis talis usus minùs frequens fuerit post captivitatem Babylonicam; at controvertitur utrùm per libellum repudii vinculum conjugale solveretur. Pro sententiâ affirmante sit

PROPOSITIO.

Libellus repudii apud Judæos vinculum conjugale dissolvebat.

Prob. 1.° *ex Script.* Deut. c. 24, ℣. 1 et seqq. : *Si acceperit homo uxorem,... et non invenerit gratiam ante oculos ejus propter aliquam fœditatem*, id est, vitium aliquod animi vel corporis, *scribet libellum repudii, et dabit in manu illius, et dimittet eam de domo suâ. Cùmque egressa alterum maritum duxerit, et ille quoque oderit*

eam, dederitque ei libellum repudii, et dimiserit de domo suâ, vel certè mortuus fuerit, non poterit prior maritus recipere eam in uxorem, quia polluta est et abominabilis facta est coram Domino. Porrò si hæc verba conglobatim accipiantur, veram Matrimonii dissolutionem indicant. Nam 1.° libellus repudii sonat hebraicè *abscissionem;* ergo veram dissolutionem significat. 2.° Vir alter cui nupsit mulier repudiata vocatur *maritus.* 3.° Hujus mulieris secundus maritus dicitur illi dare libellum repudii; quomodò autem posset eam repudiare, si non fuisset cum illà vero conjunctus Matrimonio? 4.° *Prior* repudiatæ *maritus non poterit recipere eam in uxorem;* ergo jam sua uxor non est, etc.

Prob. 2.° *ex interpretatione Judæorum* quæ hâc de re constans semper fuit et unanimis, licèt à captivitate Babylonicâ Doctores non consenserint de causis propter quas dare libellum licitum erat; graves enim alii, alii minimas requirebant causas. Ratio autem à priori cur licitum erat apud Judæos divortium, est, quòd Deus supremus omnium Dominus illud ipsis permiserit.

ARTICULUS IV.

Utrùm Matrimonium apud Christianos sit indissolubile.

Duo sunt inquirenda: 1.° an Matrimonium Christianorum per adulterium dissolvatur; 2.° an per Religiosam Professionem.

§ I.

An Matrimonium Christianorum per adulterium dirimatur.

Affirmant 1.° Græci etiam catholici, apud quos Matrimonia,

Matrimonia, adulterii causâ, dirimuntur. 2.° Protestantes qui non modò permittunt in casu adulterii solvi conjugium, sed et ipsam Romanam Ecclesiam erroris arguunt ac tyrannidis, eo quòd illud non permittat. Contra eos omnes sit

PROPOSITIO.

Matrimonium, sub lege evangelicâ, non potest dissolvi, propter adulterium alterutrius conjugis.

Prob. 1.° *ex Scrip.* Luc. c. 16, ℣. 18 : *Omnis qui dimittit uxorem suam et alteram ducit, mœchatur; et qui dimissam à viro ducit, mœchatur.* Marc. c. 10, ℣. 11 et 12 : *Quicunque dimiserit uxorem suam et aliam duxerit, adulterium committit super eam; et si uxor dimiserit virum suum et alii nupserit, mœchatur.* Apostolus verò, Rom. c. 7, ℣. 2 et 3 : *Quæ sub viro est mulier,* inquit, *vivente viro, alligata est legi; si autem mortuus fuerit vir ejus, soluta est à lege viri : igitur vivente viro, vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro : si autem mortuus fuerit vir ejus, liberata est à lege viri, ut non sit adultera si fuerit cum alio viro.* I Cor. c. 7, ℣. 39 : *Mulier alligata est legi quanto tempore vir ejus vivit; quòd si dormierit vir ejus, liberata est : cui vult nubat.* Undè istud sponte enascitur argumentum : Quod nullo in casu dissolvi potest, in casu adulterii dirimi nequit : atqui textus laudati declarant nullo in casu Matrimonium dissolvi posse; si enim aliquis occurreret casus quo solvi possit conjugium, jam non *omnis* mœcharetur qui, dimissâ uxore, aliam duceret, jam non adulterium committeret *qui-*

cunque uxori dimissæ alteram subrogaret, nec semper teneretur mulier mortem viri, cui *alligata* est, exspectare, ut esset *cum alio viro*: atqui tamen id docent Christus et Apostolus in textibus allatis; ergo, etc.

Prob. 2.° *ex Traditione.* 1.° *Ex SS. PP.* S. Gregor. Naz. in laudem Virginitatis, S. Ambr. cap. 16 in Luc., S. Hieron. in c. 19 S. Matth., Epist. 147, et alibi passim, etc., etc., quorum testimonia collecta et vindicata reperies apud Gibertum, in opere cui titulus : *Tradition de l'Eglise sur le Sacrement du Mariage*, tom. 3. Duo tantùm, brevitatis causâ, seligemus : S. Chrys. Hom. 17 in Matth., cap. 5, de viro qui dimissam ob adulterium sibi uxorem assumpserat, sic loquitur : *Hic verò excipiendo alienam adulter effectus est; nequaquàm enim mihi referas quia illam alter ejecit; nam expulsa quoque uxor esse ejus qui eam expulit perseverat.* S. August. lib. 2 de adult. Conj., cap. 4 : *Nullius viri posterioris mulier esse incipit, nisi prioris esse desinet : esse autem desiverit uxor prioris, si moriatur vir ejus, non si fornicetur : licitè itaque dimittitur conjux ob causam fornicationis;... sed nec carebit vinculo, etiamsi nunquàm reconcilietur viro; carebit autem, si mortuus fuerit vir ejus.*

2.° *Ex Conciliis*, imprimis Florentino in Decreto ad Armenos, et Trident. Sess. 24, can. 7, ubi contra Lutheranos et Calvinistas sic decernit : *Si quis dixerit Ecclesiam errare, cùm docuit et docet, juxta* EVANGELICAM ET APOSTOLICAM *doctrinam, propter adulterium alterius conjugum, Matrimonii vinculum non posse dissolvi; et utrumque, vel etiam innocentem, qui causam*

adulterio non dedit, non posse, altero conjuge vivente, aliud Matrimonium contrahere; mœcharique eum qui, dimissâ adulterâ, aliam duxerit, et eam quæ, dimisso adultero, alii nupserit; anathema sit.

Obj. Matth. c. 19, ℣. 9: *Dico autem vobis*, inquit Christus, *quia quicunque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, mœchatur; et qui dimissam duxerit, mœchatur.* Undè sic: profectò in eo casu dissolvitur Matrimonium quem Christus excipit à lege quâ generatim prohibetur Matrimonii dissolutio: atqui Christus in textu allato adulterii casum excipit à lege, etc.; ergo, etc.

Resp. Nego min. Etenim hæc Christi apposita exceptio, *nisi ob fornicationem*, afficit tantùm verba præcedentia, *quicunque dimiserit uxorem suam*, non verò sequentia, *et aliam duxerit*; undè is est genuinus sensus textûs objecti: quicunque dimiserit uxorem suam, quod non licet nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, mœchatur, seu adulterii reus est. Hanc autem interpretationem esse legitimam constat 1.° quia juxta regulam in Scripturarum interpretatione adhibendam, textus obscuri illustrandi sunt ex aliis Scripturæ ejusdem clarioribus locis: porrò ad summum obscurus est textus S. Matthæi nobis objectus, et adsunt clariores, nempè S. Luc. c. 16, et S. Marc. c. 10, apud quos, ut vidimus, Christus absolutè et absque ullâ nequidem adulterii exceptione pronuntiat, *QUICUNQUE et OMNIS qui dimiserit uxorem, et aliam duxerit, mœchatur. Cùm ergo*, inquit S. Aug. lib. 1 de adult. Conj., cap. 11, *fas non est ut Evangelistas de unâ re loquentes.... dissentire dicamus, restat*

ut Matthæum intelligamus eamdem tenuisse sententiam, ut omnis qui dimittit uxorem suam et ducit alteram, mœchari minimè dubitetur.

Huic interpretationi consonat etiam Apostolus locis in probationibus allatis, in quibus non aliam causam dissolutionis Matrimonii assignat quàm mortem unius conjugum. 2.° Quia nemini fas est Scripturas interpretari sensu huic contrario quem ipsis affingit Ecclesia : porrò Ecclesia in Concilio Tridentino congregata, ex can. 7 jam appellato, docuit et docet juxta *EVANGELICAM et apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugum, Matrimonii vinculum non posse dissolvi;* ergo, etc.

Inst. Christus in textu allato respondet Pharisæis eum interrogantibus de dimissione uxoris apud Judæos fieri solitâ, et quæ vinculi matrimonialis dissolutionem importabat; ergo ut Christi responsio quæstioni satisfaciat, de eâ dimissione intelligenda est quâ solvitur vinculum conjugale.

Resp. Nego consequent. Pharisæorum enim interrogatio duas quæstiones distinctas implicitè saltem involvebat, 1.am an *quâcunque ex causâ* liceret uxorem dimittere; 2.am an, eâ dimissâ, liceret aliam ducere; quâ potestate fruebantur Judæi post datum libellum repudii. Itaque ad utramque respondens Christus ait, 1.° non licitum esse, *quâcunque ex causâ,* sed tantùm *ob fornicationem,* uxorem dimittere; 2.° eâ dimissâ, non posse sine mœchiâ, seu adulterio, aliam duci.

Ergo, *inquies,* adulterium sola causa est cur licitum sit viro uxorem dimittere : falsum autem consequens, cùm in novâ lege plures aliæ sint

causæ separationis à toro et habitatione; ergo et antecedens.

Resp. adulterium esse solam causam cur licitum sit dimittere uxorem eamque in perpetuum à toro segregare, ut infrà dicemus: porrò Christus interrogabatur de perpetuâ separatione, qualem nimirùm producebat libellus repudii; meritò igitur fornicationem unicam illius dimissionis causam assignat.

Ex dictis colliges 1.° cùm Matrimonii vinculum dissolvi per adulterium nequeat, nec à fortiori solvi posse propter hæresim aut molestam cohabitationem, aut affectatam absentiam à conjuge, ut definivit Conc. Trid. sess. 24, can. 5.

Colliges 2.° Matrimonium fidelium *consummatum,* nullo modo quoad vinculum ab humanâ potestate posse dirimi. An verò nullâ etiam de causâ dissolvi possit, si non sit consummatum, sequenti paragrapho expendemus.

SCHOLIUM.

Ex eo quòd Concilium Trident. definierit *Ecclesiam non errare cùm docet... propter adulterium... Matrimonii vinculum non posse dissolvi,* non sequitur indissolubilitatem Matrimonii, in casu adulterii, fuisse tanquam fidei articulum definitam; aliud est enim de fide esse *Ecclesiam non errare cùm docet,* etc.; aliud verò id *quod docet,* nempè Matrimonium per adulterium non dissolvi, esse de fide; si quidem, ut aliqua propositio sit de fide catholicâ, non sufficit ut sit revelata, sed insuper requiritur ut ab Ecclesiâ sit definita et proposita fidelibus tanquam de fide divinâ credenda. Vid. Appendicem ad Prolegomena, *de Censuris Theologicis.* Hinc, teste Pal-

lavicino, visum est Venetis Oratoribus præfati canonis exemplar quod ipsi Patribus Tridentinis obtulerant, et ad cujus normam canon ille qualis habetur reformatus est, *notam hæreseos haud inusturum opinioni contrariæ, sed vim habiturum duntaxat ad infigendum anathema temerariis vituperatoribus Ecclesiæ; quæ optimis nixa momentis, eam doctrinam, tametsi non tanquam fidei dogma, traderet.* Et reverà Ecclesia Latina, etsi semper, præsertim post Tridentinum, Græcorum consuetudinem reprehenderit, nunquàm tamen eos ut hæreticos condemnavit.

§ II.

Utrùm Matrimonium ratum et non consummatum solemni Religionis Professione dirimatur.

Nota 1.° Hic in memoriam revocanda est Matrimonii rati et consummati notio. Vide notiones prævias in limine Tractatûs.

Nota 2.° Per solemnem Religionis professionem ea intelligitur quæ fit solemniter in aliquâ Religione à Sanctâ Sede specialiter approbatâ.

Nota 3.° Triplex est circa præsentem quæstionem sententia: 1.ª est Lutheri et Calvini qui, cùm à Religionis votis abhorreant, docent hæc nihil omninò valere ad dissolutionem conjugii, 2.ª est Græcorum Schismaticorum qui volunt non ratum duntaxat sed et consummatum Matrimonium solemni Religionis voto dissolvi; 3.ª medium tenet et est Catholicorum, cum quibus sit

PROPOSITIO.

Matrimonium ratum et non consummatum *solemni Religionis Professione dissolvitur.*

Est de fide.

Prob. 1.° *ex Conc. Trid.* Sess. 24, can. 6 : *Si quis dixerit Matrimonium ratum non consummatum, per solemnem Religionis Professionem alterius conjugum non dirimi ; anathema sit.*

Prob. 2.° *ex Summ. Pontif.* Alexandro III et Innocentio III, tit. de convers. Conjug., ubi eamdem doctrinam expressè docent.

Prob. 3.° *ex praxi Ecclesiæ* quæ à sex seculis et ampliùs hujusmodi Matrimonia dissolvit; *Ecclesia* enim, ut ait S. Aug. Ep. 55, aliàs 119, cap. 19, ad Januarium, *quæ sunt contra fidem vel bonam vitam non approbat nec tacet nec facit.*

Adverte 1.° Ex cap. 7. *De convers. Conjug.*, juxtà communem interpretationem accepto, conjugibus duos menses concedi ad deliberandum de ingressu Religionis, per quos proindè cogi non possunt ad consummandum Matrimonium; hoc verò privilegium manet integrum, quandiù Matrimonium non est consummatum, etiam post duos menses à jure concessos, et quamvis culpabiliter negatum fuerit debitum conjugale. Sed statim ac Matrimonium est consummatum, etiam si id factum sit per vim aut fraudem, vel ante finem duorum mensium, nullus est ampliùs locus Matrimonii dissolubilitati quoad vinculum.

Adverte 2.° conjugem derelictum non anteà ad secundum connubium transire posse, quàm pars monasterium ingressa, in illo professa sit; nec magis de hoc conqueri potest pars derelicta,

quàm si statim post Matrimonii celebrationem conjux in gravem morbum, aliudve impedimentum incidisset.

Adverte 3.° Matrimonium ratum per Professionem Religiosam dissolvi *jure divino*, seu per privilegium à Deo concessum, sin minùs expresso testimonio, saltem traditione orali transmissum; constat enim multas esse traditiones apostolicas quæ diù usu transmissæ sunt. Undè colliges 1. vi illius privilegii in omni contractu matrimoniali includi tacitè hanc conditionem : nisi ante consummationem Religionem profitear. 2. Argumenta ex ratione et à pari, ut aiunt, hìc nullius esse roboris, et hoc uno solvi : sic voluit Christus in hoc casu et non in aliis, et ita Ecclesia declaravit.

SECTIO II.

An Matrimonium sit indissolubile quoad torum et habitationem.

Certum est conjuges, regulariter loquendo, teneri ex præcepto divino, in eâdem domo manere : *Relinquet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ.* Id etiam exigit tum natura contractùs matrimonialis, tum prolis educatio. His præmissis, duo erunt hujus sectionis articuli : quæremus in 1.° an certis de causis licita sit Matrimonii dissolutio quoad torum et habitationem; 2.° quænam sint causæ hujus dissolutionis.

ARTICULUS PRIMUS.

An licita sit Matrimonii Dissolutio quoad torum et habitationem.

Negârunt Lutherani ullâ causâ conjuges, manente vinculo, separari posse; contra quos sit

PROPOSITIO.

Conjuges legitimis de causis quoad torum et habitationem, manente conjugali vinculo, separi possunt.

Prob. 1.° *ex Script.* Matth. c. 19, ℣. 9 suprà relato, in quo tori et habitationis separationem permittit Christus : idque manifestè supponit eodem c., ℣. 29, cùm ait : *Omnis qui reliquerit... uxorem propter nomen meum, centuplum accipiet.*

Prob. 2.° *ex Traditione et constanti Ecclesiæ praxi*, quam confirmat Conc. Trid. Sess. 24, can. 8 : *Si quis dixerit, Ecclesiam errare, cùm ob multas causas separationem inter conjuges quoad torum, seu quoad cohabitationem, ad certum incertumve tempus fieri posse decernit ; anathema sit.*

Prob. 3.° *Ratione.* Quamvis enim vinculum solvi non possit, quandòque impossibilis ſit cohabitatio; ergo, etc.

ARTICULUS II.

Quænam sint causæ separationis quoad torum et habitationem.

Affirmârunt Protestantes nonnulli adulterium esse unicam causam hujus separationis : contra quos sit

PROPOSITIO.

Plurimæ sunt causæ divortii, seu separationis conjugum, quoad torum et cohabitationem.

Prob. ex earum enumeratione. Septem à Canonistis numerantur quæ ad tres revocari possunt.

1.ª Causa est mutuus consensus conjugum ex intentione vitæ perfectioris, vel alterius honesti finis. Sic 1.º possunt conjuges mutuo consensu vitam cælibem agere in perpetuum, vel solùm ad tempus, idque vel sine voto, vel cum voto continentiæ (quod tamen votum non est ordinariè eliciendum à conjugibus, nisi cum magnâ prudentiâ et longâ experientiâ suæ continentiæ). 2.º Possunt conjuges mutuo consensu ambo Religionem ingredi; vel etiam unus tantùm, alio vovente continentiam in seculo, modò id fiat de licentiâ Episcopi. 3.º Potest vir sacros Ordines suscipere de consensu uxoris Religionem profitentis, vel saltem castitatem voventis in seculo, accedente licentiâ Episcopi.

2.ª Causa et unica divortii propriè sumpti (id est, perpetuæ separationis conjugum quoad torum et cohabitationem, etiam uno invito), est adulterium; quo nomine Doctores intelligunt communiter omne commercium carnale cum alio supposito à conjuge, qualia sunt præter adulterium, abominanda sodomiæ et bestialitatis peccata; quia scilicet per illas horribiles actiones frangitur fides ac fit divisio carnis: undè conjux innocens habet jus ad divortium perpetuum; Christus enim Dominus Matth. c. 19, ℣. 9, loquitur absolutè, dùm uxoris dimissionem prohibens, adjungit: *Nisi ob fornicationem.* Quarè conjux innocens post factum divortium, etiam invito adultero, poterit assumere statum perfectiorem, v. g., Religionem, vel in seculo perpetuam castitatem vovere.

Cæterùm, ut ratione adulterii licitum sit instituere divortium, necesse est, 1.º ut adulterium sit formale, seu culpabile, quale non erit, si

mulier per vim fuerit oppressa; aut si bonâ fide putans maritum mortuum, aliud inivit et consummavit Matrimonium; 2.° requiritur ut adulterium non sit mutuum; si enim uterque conjux adulteravit, non datur locus divortio, etiamsi unus priùs, vel pluries, vel publicè adulteraverit; 3.° requiritur ut adulterium non sit commissum cum scientiâ et consensu alterius; nam qui consentit, est particeps criminis et non potest petere divortium; 4.° requiritur ut adulterium non sit remissum, vel expressè, vel tacitè, quale censebitur, si post adulterium cognitum, conjux innocens debitum conjugale petat, vel reddat; 5.° deniquè illud adulterium debet esse moraliter certum, quia in dubio nemo est spoliandus jure quod possidet.

3.ª Causa divortii est grave aliquod periculum animæ vel corporis, ratione cujus periculi, 1.° si unus conjugum labitur in hæresim vel apostasiam à fide, quæ est adulterium spirituale, conceditur alteri divortium instituere, etiam, ex multorum sententiâ, perpetuum, post judicis condemnationem; 2.° si unus conjugum aliam sollicitet ac pertrahere conetur in aliud peccatum, v. g., nefandum sodomiæ crimen, adulterium, furtum, etc., potest conjux innocens alibi divertere, donec reus emendetur; 3.° deniquè si unus conjugum paret insidias vitæ alterius, vel aliud grave damnum ex nimiâ illius sævitiâ prudenter timeatur, vel morbo contagioso unus conjux laboret, cum periculo inficiendi alterum, potest alter divertere donec sit emendatio, quâ secutâ, tenebitur redire.

Nota 1.° Ex jure nostro civili hodierno tres sunt etiam separationis causæ, nempè adulterium mulieris, et etiam viri, cùm iste concubinam

in domo conjugibus communi detinuit, art. 306, 229 et 230. 2.° Sævitiæ, vel graves injuriæ ab uno conjugum in alterum illatæ, art. 231. 3.° Damnatio unius ex conjugibus ad pœnam infamantem, art. 232.

Nota 2.° Quamvis propter causam notoriam licitum sit, absolutè loquendo, divortium quoad cohabitationem auctoritate propriâ instituere, tamen ne oriantur scandala et lites, necessarium est ordinariè auctoritatem judicis implorare, nisi fortè periculum sit in morâ : sed certum est sine sententiâ judicis conjugem innocentem nunquàm posse licitè, etiam ob adulterium alterius conjugis, assumere statum perpetuum continentiæ.

Cæterùm separatio conjugum hodiè decernitur à judicibus laicis, contra veterem Regni disciplinam; et hæc separatio separationem bonorum semper importat ex art. 311 Cod. civil.

DISSERTATIO TERTIA.

DE CAUSIS CONTRACTUS MATRIMONIALIS.

Matrimonii, ut est contractus, duplicis generis causa distinguitur, alia scilicet ad ipsum disponens, alia verò illum efficiens; de utrâque dicemus.

CAPUT PRIMUM.

De Causis disponentibus ad contractum Matrimonii.

Tres sunt causæ ad matrimonialem contractum disponentes, parentum nempè consensus, sponsalia, et bannorum promulgatio.

ARTICULUS PRIMUS.

De Consensu Parentum ad Matrimonium requisito.

Duo inquirenda veniunt: 1.um an Matrimonia filiorum-familiâs contracta sine parentum consensu sint licita; 2.um an sint valida; pro quorum solutione sit

PROPOSITIO PRIMA.

Ad contrahendum licitè Matrimonium ordinariè *prærequiritur consensus parentum.*

Prob. 1.° *ex Script.*, quæ sæpè insinuat ad parentes pertinere filios Matrimonio jungere; et *ex SS. PP.* et Summ. Pontif. S. Leone, Clemente III et aliis qui apertè docent Matrimonia sine consensu parentum contracta esse graviter illicita, et ab Ecclesiâ reprobata perindè ac fornicationes et adulteria, quia non ex præscripto rationis, sed ex cupiditatis et libidinis ductu contrahuntur.

Prob. 2.° *Ratione.* Ipsa enim ratio naturalis evincit hunc consensum parentum non solùm petendum esse, sed et obtinendum in re tam gravis momenti, tum ob parentum potestatem ac reverentiam ipsis debitam, tum ob communem reipublicæ utilitatem, tum deniquè quia leges hujus Regni irritant Matrimonium sine consensu parentum initum, saltem quoad effectus civiles, v. g., emolumenta, jura, commoda, successiones, hæreditates, donationes, legitimitatem filiorum, etc., ut infrà dicemus.

Dixi in propositione, *ordinariè teneri filios consensum parentum obtinere, ut Matrimonium*

contrahant, quia fatentur Doctores non peccaturos filios, si ex justâ causâ Matrimonium ineant post petitum consensum parentum, licèt non obtentum, v. g., si parentes diù negligunt ipsis filiis, vigesimum quintum ætatis annum excedentibus, providere de convenienti Matrimonio; aut si injustè, vel ex solo avaritiæ affectu propter ampliorem dotem, nolint filios nuptias inire non indignas quas appetunt, vel contrà velint filios nubere personis quas odio prosequuntur, et quarum Matrimonium refugiunt: undè colliges graviter peccare parentes qui injustè obstant filiorum Matrimoniis.

PROPOSITIO II.

Matrimonia à filiis-familiâs, etiam minoribus, sine parentum consensu contracta, nec naturali, nec divino, nec ecclesiastico jure irritantur; sed tantùm jure civili nostro, saltem quoad civiles effectus *rescinduntur.*

Prob. 1.ª *pars*, contra Protestantes. Si enim jure naturali invalida forent, vel ex defectu consensûs, vel propter reverentiam parentibus debitam : porrò neutrum dici potest. Non 1.um; minores enim, modò sufficientem rationis usum habeant, in Matrimonium consentire possunt, ut evidens est. Non 2.um; aliàs enim neque filius 30 annorum posset validè Matrimonium contrahere, si parentes reluctarent; cùm non minorem ipsis debeat reverentiam in eâ ætate constitutus, quàm si esset tantùm 20 annos natus.

Prob. 2.ª *pars*. Nullus enim citari potest textus Scripturæ vel Traditionis ex quo inferri possit invalida esse hujusmodi Matrimonia.

Prob. 3.ª *pars*. Ex Conc. Trident. Sess. 24,

de Reform. cap. 1, ubi eos anathemate ferit, *qui falsò affirmant Matrimonia, à filiis-familiâs sine consensu parentum contracta, irrita esse.*

Prob. 4.ª *pars.* Ex art. 148, 149, 150 et 182 inter se collatis. Vide *Toullier,* tom. 1, n. 612.

Dicitur in propositione, *saltem quoad civiles effectus,* quia utrùm possit ac voluerit Princeps contractum rescindere infrà expendemus.

Cæterùm quia ordinariè peccant filii-familiâs qui absque parentum consensu Matrimonium ineunt, similiter et Parochi qui Matrimoniis illicitis suum ministerium præbent, hìc summatìm referre juvat quæ in Codice civili circa Matrimonia filiorum-familiâs sancita sunt: 1.° ante majoritatem, id est, ante annum 25 completum pro maribus, et 21 etiam completum pro feminis, absolutè requiritur consensus parentum, art. 148. 2.° Post majoritatem præcipiuntur actus obsequiosi ter repetiti ante plenam majoritatem, id est, ante 30 annos integros pro maribus, et 25 etiam integros pro feminis; post adeptam verò plenam majoritatem, unicus duntaxat actus obsequiosus sufficit, art. 152 et 153.

Advertes tamen quòd si mater dissentiat, sufficit patris consensus ex art. 148; pariter alterutro mortuo aut impotente, sufficit alterius consensus, art. 149. Mortuorum aut impotentium parentum locum tenent avi et aviæ, art. 150. Si verò in eâdem lineâ dissentiant inter se avus et avia, avi consensus sufficit, sed dissensus inter duas lineas consensum importat, ibid. Quòd si deficiant aut impotentes sint pater, mater, avi et aviæ, requiritur consilii familiæ consensus; sed tantùm pro iis qui Matrimonium contrahere volunt antequàm 21 annos compleverint, sive sint

viri sive feminæ, art. 160. Vide etiam art. 182 et 183 et illorum interpretationem apud *Toullier*, tom. 1, n. 612, 613 et 614.

ARTICULUS II.

De Sponsalibus.

Etsi Codex civilis nec admittat, nec rejiciat sponsalia, circa illa tamen servanda sunt quæ postulant æquitas, jus naturale et ecclesiasticæ leges, ut evidens est. Itaque tria de sponsalibus expendenda occurrunt : 1.° quid sint sponsalia, et quænam conditiones ad eorum validitatem requirantur; 2.° quæ et quanta sit eorum obligatio; 3.° an et propter quas causas dissolvi possint.

§ I.

Quid sint Sponsalia, et de conditionibus ad eorum validitatem requisitis.

Sponsalia definiuntur : *Promissio futuri Matrimonii inter personas jure habiles.*

Duplicis generis sunt sponsalia, alia ecclesiastica et solemnia, quæ fiunt in facie Ecclesiæ coram Sacerdote benedicente; alia non solemnia, quæ istâ carent solemnitate, privatìmque fiunt. De utrisque agitur.

Variæ autem conditiones necessariæ sunt ad validitatem sponsalium, et sex communiter rècensentur 1.°: ut sit vera Matrimonii promissio; 2.° ut ea promissio sit mutua, et ex utràque parte acceptata; 3.° ut sit libera; 4.° ut sit exteriùs sufficienter manifestata; 5.° ut sit inter personas determinatas; 6.° deniquè ut sit inter personas jure habiles.

Prima igitur conditio ad valorem sponsalium

requisita, est ut sit vera promissio Matrimonii, ut patet ex ipsâ definitione sponsalium. Undè non sufficit, 1.° promissio alterius rei quàm Matrimonii, v. g., promissio de sponsalibus contrahendis; 2.° non sufficit nudum et simplex propositum Matrimonii sine animo se obligandi, sed requiritur vera promissio cum intentione se obligandi.

Secunda conditio est, ut ea promissio sit mutua, reciproca et ex utrâque parte acceptata; quia ex communi sententiâ promissio non acceptata nullam parit obligationem; imò, cùm sponsalia sint contractus onerosus utriusque inducens obligationem, sequitur postulare ad suî valorem, non solùm utriusque promissionem, sed et mutuam acceptationem Matrimonii; et ideò sponsalia dicuntur in jure repromissio, seu mutua et reciproca promissio.

Tertia conditio est, ut ea promissio sit libera, seu facta cum eâ advertentiâ et deliberatione quæ sufficeret ad peccandum mortaliter. Ratio est evidens, quia ipsa sponsalia afferunt obligationem sub peccato mortali, sicut omnes conveniunt : undè neque amentes, neque ebrii, nec usu rationis carentes, quamvis septennio majores sint, possunt validè inire sponsalia. Præthereà ex communiori sententiâ non valent, saltem jure ecclesiastico, sponsalia ex metu gravi injustè incusso inita; sicut ipsum Matrimonium ex eodem metu contractum prorsùs invalidum est, ut dicemus. Item non valent sponsalia facta ex errore personæ, vel conditionis servilis, quia hic error sufficit ad irritandum Matrimonium, ut infrà dicemus.

Quarta conditio ad valorem sponsalium requisita, est ut ea promissio sit exteriùs manifestata

verbis vel signis sufficientibus, seu quæ Matrimonium futurum absolutè significent. Ratio est, quia alioquin hujusmodi promissio non posset esse acceptata et reciproca. Hæc autem manifestatio, quod attinet ad valorem sponsalium, potest fieri inter præsentes, vel etiam absentes, idque per nuntium et procuratorem destinatum, vel per litteras, et quibuscunque verbis vel signis, ex quibus sponsus et sponsa intelligant fieri promissionem Matrimonii.

Dixi 1.° *ad valorem sponsalium requiri verba vel signa, quæ consensum absolutè significent*: undè non sufficiunt signa conditionata, nisi transeant in absoluta per eventum conditionis, qui exspectari debet: ita, si quis, v. g., promittat alteri Matrimonium si pater ejus consenserit, vel si Papa dispensaverit, non perficiuntur sponsalia, nisi posito patris consensu, vel Papæ dispensatione. Quòd si adjiciatur aliqua conditio repugnans cum Matrimonio, nullatenùs valebunt sponsalia, ut infrà dicemus.

Dixi 2.° *quòd promissio debeat esse exteriùs manifestata verbis, vel signis sufficientibus*: illud verò ordinariè et per se loquendo requiritur; aliquandò tamen contingit ut sponsalia sint valida sine signis exteriùs et positivè manifestatis: nam Bonifacius VIII, cap. unico *de Desponsatione impuberum*, in Sexto, declaravit taciturnitatem filii præsentis, quandò parentes ipsius spondent ac promittunt, parere sponsalia, dummodò tamen reipsâ non desit internus filii consensus.

Quinta conditio est, ut ea promissio sponsalitia fiat inter personas determinatas, quia sicut Matrimonium, sic etiam sponsalia non possunt

contrahi nisi cum certâ et determinatâ personâ ; undè sponsalia non contraheret, nec proindè impedimentum publicæ honestatis, qui promitteret se ducturum unam ex tribus sororibus.

Sexta et ultima conditio est, ut ea promissio sit inter personas jure habiles : ut autem personæ sint jure habiles, duo imprimìs requiruntur.

1.° Requiritur in contrahentibus ætas competens, quæ est septennium completum, ut patet ex jure canonico, et constat ex cap. *de Despons. impuber*. Neque jus diversam ætatem determinat in masculo et diversam in feminâ, sicut pro Matrimonio, sed eamdem in utroque pro sponsalibus requirit : advertendum tamen quòd licèt sponsalia hàc ætate facta sint valida, rarissimè tamen expedit in hàc tenerâ ætate sponsalia contrahere ; imò Parochi ordinariè non debent assistere sponsalibus, quæ nonnisi post longum tempus impleri debent ; indè enim innumera mala et corruptelæ oriuntur.

2.° Requiritur in contrahentibus, ut nullum habeant impedimentum dirimens vel impediens ; ita ut scilicet validè et licitè possint contrahere Matrimonium eo tempore pro quo promittitur. Ratio est, quia aliàs sponsalia essent de re impossibili vel illicitâ : talis autem promissio vel obligatio est jure naturali invalida et omninò nulla, cùm nemo possit ad impossibile, nec debeat ad peccatum se obligare.

Hinc 1.° sponsalia non possunt validè iniri inter eos qui habent impedimentum perpetuum, sive naturale, sive de quo non potest, vel non solet dari dispensatio.

Hinc 2.° validè iniri possunt sponsalia pro tempore quo cessaverit impedimentum, sive cesset

lapsu temporis, si impedimentum sit temporale, v. g., defectus pubertatis, aut votum castitatis ad tempus : sive quandò promissio fit sub conditione de futurâ dispensatione, quandò potest dari, v. g., si sit impedimentum consanguinitatis in tertio, vel in quarto gradu.

Hinc 3.° qui sponsalia contraxerunt sub conditione, si Papa dispensaverit, tenentur communibus sumptibus procurare dispensationem, quia hoc tacitè includitur in eà promissione Matrimonii et est commune negotium : obtentâ autem dispensatione, tunc ex probabiliori sententià, sponsalia conditionata sine novo consensu transibunt in absoluta, et sic producent impedimentum publicæ honestatis, ut dicemus infrà.

Quæres utrùm necesse sit ad validitatem sponsalium, ut fiant in facie Ecclesiæ, seu coram Parocho et testibus.

Resp. non esse necessarium; nam Conc. Trid. non irritavit sponsalia clandestina, imò valida esse declaravit sacra Congregatio Concilii : idem sentiunt communiter Theologi : quamvis curandum ut sponsalia ineantur in facie Ecclesiæ, si ita præscribat propriæ Diœcesis Rituale. Curandum est etiam ut sponsus et sponsa claris et expressis utantur verbis.

§ II.

De obligatione Sponsalium.

PROPOSITIO.

Sponsalia valida, etiam sine juramento contracta, obligant sub peccato mortali ad ineundum Matrimonium.

Prob. ex auctoritate Summ. Pontif., in jure

canonico, et præsertim Alexandri III, qui statuit eum qui non vult implere promissum, ad id cogi et compelli posse à judice ecclesiastico per excommunicationem : ratio est, quia sponsalium obligatio oritur ex virtute justitiæ, cùm procedat ex contractu oneroso, et prætereà est de re gravissimâ, scilicet de Matrimonio contrahendo; ergo est obligatio sub peccato mortali.

Observandum tamen in Galliis prævaluisse Lucii Papæ Constitutionem, quâ declaratur eum qui stare promissis renuit, monendum esse potiùs quàm cogendum, ob infelices scilicet exitus quos habere solent coacta Matrimonia; solùmque ad damna reparanda condemnantur injustè resilientes.

Cæterùm hæc obligatio contrahendi Matrimonium debet impleri vel termino præfixo, si sit appositus; si verò nullus terminus fuit præfixus, ubi primùm altera pars postulaverit, ac commodè fieri poterit.

Dixi, *Sponsalia valida*, quia sponsalia, seu promissiones Matrimonii invalidæ, absolutè loquendo, non obligant : sic, v. g., qui post priora sponsalia contraxit alia, tenetur tantùm priora adimplere, et secunda sponsalia sunt de re illicitâ, et contra fidem priorum.

Quæres 1.° utrùm licitum sit sponsalia confirmare per appositionem pœnæ.

Resp. quòd quamvis licitum sit sponsalia juramento firmare, tamen prohibitum est cap. *Gemma*, de Sponsalibus, firmare sponsalia per appositionem pœnæ exsolvendæ ab eo qui injustè voluerit resilire à sponsalibus, et resiliens eximitur à solutione hujusmodi pœnæ : et rationem affert Summus Pontifex quia hujusmodi pactio

pœnæ solvendæ à resiliente, minuit libertatem Matrimonii.

Advertendum tamen, quòd juxta communem sententiam permittitur in sponsalibus aliqua munera tradi quæ vocantur arrhæ, cum hâc conditione, ut si ille qui has arrhas tradit, injustè resiliat, retineri possint ab alio; sicut qui eas recepit, si injustè resiliat, eas restituere tenetur. Ratio autem cur permittitur ejusmodi arrhas in sponsalibus tradi, est, quia homines cautiores sunt in tradendis de præsenti, quàm in appositione pœnæ de futuro solvendæ.

Quæres 2.º utrùm quis teneatur ducere puellam, quam fictâ Matrimonii promissione seduxit.

Resp. non teneri quidem ex vi promissionis eam ducere, sed teneri ratione damni, aut scandali vitandi, aut saltem damnum resarcire.

§ III.

De Dissolutione Sponsalium.

PROPOSITIO.

Sponsalia variis de causis justè possunt dissolvi, ita ut non obligent ampliùs ad ineundum Matrimonium.

Prob. ex multis cap. Juris canonici, quæ modò afferemus.

Causæ autem sponsalia resolventes ad sex reduci possunt: 1.ª est mutuus consensus sponsorum; 2.ª Matrimonium cum aliâ personâ initum; 3.ª impedimentum superveniens; 4.ª electio status perfectioris: 5.ª infidelitas alterius partis; 6.ª deniquè mutatio notabilis.

Prima igitur causa dissolutionis sponsalium est mutuus sponsorum consensus liber, id est, non

coactus, nec minis aut metu extortus; ita enim communiter censent Doctores ex cap. *Præterea*, de Sponsalibus. Et ratio est, quia ex regulâ Juris, omnis res solubilis, qualis est sponsalium contractus, per quascunque causas nascitur, per easdem dissolvitur; idque verum est quamvis sponsalia sint juramento firmata, quia juramentum sequitur naturam actùs cui apponitur; et ideò promissione non obligante, non obligat juramentum in illius confirmationem factum.

Advertendum tamen diligenter id quod ab Alexandro III definitum est *de Desponsatione impuberum*, si nempè impuberes sponsalia etiam valida post septennium contraxerunt, non posse mutuo consensu ea dissolvere ante pubertatis ætatem, ne scilicet imprudens fiat mutatio: eâ autem ætate adveniente, quilibet potest, etiam altero nolente, resilire à sponsalibus ante pubertatem contractis.

Colliges quòd quandò alter sponsus, sive licitè, sive illicitè resiliit, alter potest similiter resilire licitè à sponsalibus, quia jam adest mutuus consensus, et quia frangenti fidem non tenemur fidem servare: si verò unus ex sponsis sine causâ differat Matrimonium adimplere, tunc alius sponsus poterit Superiorem adire: si verò intra tempus à Superiore definitum talis sponsus non adimpleat Matrimonium, poterit alius relictus resilire, ac dissolvere sponsalia.

Secunda causa dissolutionis sponsalium, est Matrimonium validè initum ab uno ex sponsis cum aliâ personâ; cùm enim Matrimonium sit indissolubile, impossibilem reddit promissionem sponsalium de priori Matrimonio inter sponsos ineundo.

Tertia causa dissolutionis sponsalium, est impedimentum Matrimonii dirimens, quod supervenit inter sponsos vel etiam quod adesse est publicus rumor, ut patet ex cap. *Super eo*, de Consanguinitate et Affinitate. Undè si impedimentum, v. g., affinitatis illicitæ, vel cognationis spiritualis superveniat, tunc dissolventur sponsalia. Ratio est, quia Matrimonium nec licitè, imò nec validè contrahi potest cum tali impedimento, ut dicemus.

Quarta causa dissolutionis sponsalium, est electio statûs perfectioris, quia in promissione Matrimonii semper includitur ista conditio : nisi promittens velit transire in statum perfectiorem : undè sponsalia dissolvuntur per Professionem Religiosam ; cùm enim Matrimonium ratum et non consummatum per hanc dissolvatur, multò magis et sponsalia : sed maximè notandum est, quòd si quis promittendo Matrimonium puellam stuprasset, teneretur eam ducere, et Religionem ingredi non posset.

Quæres 1.° utrùm qui sponsalia contraxit, possit statum clericalem amplecti.

Resp. 1.° Quòd si sponsalia sint clandestina, id est, non celebrata coram testibus et Parocho, et nullum indè grave eveniat damnum puellæ, in hoc casu qui sic contraxit, si aliàs sit à Deo vocatus, potest statum clericalem amplecti, admonendo puellam de mutatione statûs.

Resp. 2.° Si sponsalia sint publica, tunc ordinariè Clericatum amplecti non debet qui sic contraxit, nisi priùs sponsa liberè consentiat. Ratio est, quia ordinariè puella exindè grave damnum pateretur.

Resp. 3.° Quòd si quis, occasione sponsalium, sive

sive publicorum sive clandestinorum, puellam corrupit, non potest statum clericalem amplecti, tum propter promissionem, tum propter obligationem resarciendi damnum quod intulit puellæ, quod fieri non potest nisi promissionem adimplendo.

Porrò advertendum est, quòd qui propter justas causas post sponsalia Ordines suscipit, vel Religionem ingreditur, debet damna resarcire quæ ob id sponsa incurrit, v. g., expensas quas in sponsalibus fecit.

Quæres 2.° utrùm sponsalia dissolvantur, quandò posteà simplex emittitur votum castitatis perpetuæ, vel votum ingrediendæ Religionis.

Resp. Juxta sententiam plurium Doctorum sponsalia dissolvuntur in eo casu propter rationem superiùs allatam, nempè quia semper includitur in sponsalibus ista conditio: nisi promittens velit transire ad statum perfectiorem: verùm, cùm propter aliquas circumstantias particulares interdùm aliter agere expediat, ideò in his casibus difficillimis, sicut et in aliis dubiis, ad Episcopum recurrendum est.

Quinta causa dissolutionis sponsalium est fornicatio alterutrius sponsorum, ut patet ex cap. *Quemadmodùm*, de Jurejurando. Ratio est, quia cùm ille fregerit fidem, non est illi servanda fides, et ideò dissolvuntur sponsalia in favorem innocentis, qui si adhuc velit contrahere Matrimonium, alter tenebitur; idque verum est, sive vir, sive mulier fidem violet; nam quoad hoc paris sunt conditionis sponsus et sponsa. Quod de fornicatione dicimus, idem communiter docent Theologi de tactibus impudicis quos sibi ab alio fieri sponsa pateretur, quia istud signum esset suspectæ in posterum fidelitatis.

Sexta causa est mutatio rerum notabilis, quæ si à principio exstitisset, aut cognita fuisset, alterum sponsum deterruisset à contrahendis sponsalibus, ut constat ex citato cap. *Quemadmodùm*, de Jurejurando, et cap. *Litteras*, de conjugio Leprosorum. Ratio est, quia et promissio et promittentis intentio, etiamsi juramentum accedat, semper intelligitur, rebus in eodem statu permanentibus; et in hàc materià communiter admittitur hæc regula.

Quæres quænam sint præcipuæ mutationes notabiles, ob quas licitum sit uni sponsorum à sponsalibus resilire eaque dissolvere.

Resp. sequentes communiter assignari :

1.° Quidem, quoad bona corporis, v. g., si in altero sponso detegatur lepra, paralysis, morbus venereus, aut alius contagiosus et incurabilis : item gravis olentia oris, cui arte medicinæ subveniri nequit : item, si unus ex sponsis oculi, vel alterius membri amissionem incurrat, vel superveniat corporis aut vultùs gravis deformitas, præsertìm in sponsâ.

2.° Quoad bona animi, v. g., si alter ex sponsis graviorem incurrat infamiam, v. g., quia in delicto famoso, putà furto, deprehensus est, aut publico rumore accusatus : item, si hæreticus, vel scortator, aleator, ebriosus, asper moribus, vel admodùm sævus evadat, aut deprehendatur. Item, si inter sponsos aut sponsorum parentes oriantur graves inimicitiæ ; item, si rationabiles timeantur mali exitus ex Matrimonio, v. g., jurgia, discordiæ, etc. Idem quoque dicendum de sponsâ quæ putabatur virgo et honestis moribus, et tamen est corrupta, vel pravis moribus, vel, ut multi dicunt, vidua : si sponsus

reperiatur cum meretricibus vitam ducere, vel habere filios spurios, tùm grave esset sponsæ illum talem ducere.

3.° Deniquè, quoad bona temporalia, quæ vocantur fortunæ, contingit mutatio notabilis, si alterutri superveniat notabilis paupertas, vel rationabilis metus exhæredationis ob Matrimonium : item, si sponsa dotem promissam afferre nequeat, aut si sponsus domicilium mutare vel vagari constituat cum incommodo sponsæ; uno verbo, si jam initis sponsalibus superveniat vel detegatur aliqua causa quæ hominem similis conditionis deterruisset, vel deterreret à contrahendis sponsalibus, tunc cessat obligatio sponsalium respectu illius cui notabiliter difficilior redditur executio eorumdem sponsalium. Si verò, unâ parte in eodem permanente statu, accedant alteri ingentes divitiarum opes, alii negant, alii affirmant tunc sponsalia dissolvi. Quidquid sit, resiliens teneretur saltem compensare partem quam relinquit.

Addo insuper eum qui laborat occulto defectu et cognoscit alium non contracturum, si talem defectum sciret, teneri vel illum defectum manifestare, vel abstinere à sponsalibus; aut si jam inita sint sponsalia, debet abstinere à contrahendo Matrimonio eo meliori modo quo poterit, idque præsertim in duplici casu : 1.° si ex tali defectu alter contrahens aliquod grave damnum passurus esset : v. g., si sponsa esset jam gravida, et futurus maritus cogeretur alienam prolem alere; vel si morbo contagioso laboraret, quo sit inficiendus maritus; aut si alicubi diffamata est, quod cùm divulgatum fuerit in loco ubi initur contractus, honestam sponsi familiam deturpabit:

in his peccaret sponsa etiam contra justitiam, nisi abstineret à Matrimonio. 2.° Similiter à Matrimonio, vel etiam à sponsalibus abstinere tenetur, qui quamvis ex tali defectu damnum non esse oriturum prævideat, tamen cognoscit quòd defectus detegetur, et ægerrimè ab aliâ parte feretur, et quòd indè orientur perpetua jurgia, graves inimicitiæ, etc.

Quæres an requiratur auctoritas Judicis ecclesiastici ad dissolvenda sponsalia.

Resp. ex communi sententiâ non requiri, quandò ex mutuo consensu dissolvuntur, sive sit causa, sive non, nisi localibus legibus contrarium sit præscriptum. Quandò verò unus ex sponsis renititur, requiritur auctoritas Judicis ad evitandum scandalum, quia sæpè contingit causam dissolutionis sponsalium non esse certam, sed dubiam; in dubio autem nemo jure suo exspoliari debet auctoritate privatâ.

ARTICULUS III.

De Bannorum promulgatione.

Vox *Bannum* à Germanis mutuata, apud illos edicti promulgationem significat. Eo nomine hìc intelligitur, *Publica denuntiatio, quâ futurum Matrimonium auctoritate Ecclesiæ proclamatur.* Antiquissimus est in Ecclesiâ bannorum ritus, et à primævis seculis originem ducere nonnulli censent eruditi, saltem si quoad substantiam spectetur : ita D. *d'Argentré*, Tutelensis Episcopus. Forma verò hodierna bannorum X seculo incœpisse videtur, eamque anno 1215 à Concilio Lateranensi statutam confirmavit Concilium Tridentinum.

His prælibatis, agemus 1.° de bannorum pro-

clamationis necessitate; 2.° de circumstantiis illius promulgationis; 3.° de obligationibus quæ ex ipsà bannorum promulgatione oriuntur; 4.° de illorum dispensatione.

§ I.

De Bannorum necessitate.

Statuitur : Bannorum promulgatio non est de necessitate Sacramenti, sed de necessitate præcepti.

Prob. 1.ª *pars,* tum ex eo quòd Conc. Later. et Trident. bannorum promulgationem nullibi præcipiant sub pœnâ nullitatis Matrimonii; tum ex Declaratione S. Congregationis Concilii Trid.

Prob. 2.ª *pars* ex Concil. Later., can. 51, et præsertìm Trident. Sess. 24, de Reformatione, cap. 1, cujus verba sequenti § referemus.

Præcipua autem motiva legis bannorum hæc sunt : 1.um ut si quæ sint futuro Matrimonio impedimenta, detegantur; ita Conc. cit.; 2.um ut impediantur, quantùm fieri potest, Matrimonia clandestina; ita Trident.; 3.um ne filii-familiàs nubant, invitis vel insciis parentibus; 4.um ut omnes quorum interest aliquod non contrahi Matrimonium, possint, si velint, obsistere. Hinc colliges præceptum bannorum *sub gravi* obligare.

Sedulò notandum est bannorum ecclesiasticorum promulgationem nunc omninò distingui à publicatione Matrimonii civilis, quæ fit juxta art. 63 et 166 Cod. civ. Prior olìm sancita erat ex pluribus regiis Edictis, præsertìm Blesensi; sed hodiè lege Principis nullatenùs præcipitur. Quapropter juxta legem solius Ecclesiæ, et præscripta in Rituali cujusque Diœceseos, fieri debet hæc bannorum promulgatio.

Cæterùm Matrimonii civilis publicatio præscripta non est sub pœnâ nullitatis. Vide, si lubet, *Toullier*, tom. 1, n.° 569.

§ II.

De Circumstantiis promulgationis Bannorum.

Sic habet Concil. Trident. Sess. 24, de Reformatione, cap. 1 : *Antequàm Matrimonium contrahatur, ter à proprio contrahentium Parocho, tribus continuis diebus festivis, in Ecclesiâ, inter Missarum solemnia, publicè denuntietur inter quos Matrimonium sit contrahendum.*

Itaque banna publicari debent 1.° à *Parocho* aliove Sacerdote ab ipso vel ab Episcopo delegato, minimè verò à laico.

2.° *A Parocho contrahentium.* Ergo si contrahentes non ejusdem sint Parochiæ, in utriusque Parochiâ banna sunt promulganda; et ita Ritual., pag. 285.

3.° *A proprio contrahentium Parocho.* Quis autem sit proprius Parochus, relativè ad bannorum proclamationem, definiendum est. Igitur banna proclamari debent, 1. à Parocho illius loci in quo contrahentes actu degunt. Ritual., pag. 286. 2. Si pars una vel utraque ex aliâ Diœcesi migraverit, et in Parochiâ quam nunc incolit per annum integrum publicè non fuerit commorata; vel si non quidem ex aliâ Diœcesi, sed ex aliâ Parochiâ ejusdem Diœcesis venerit, nec in Parochiâ in quâ nunc degit, per sex menses publicè habitaverit, eorum banna etiam promulganda sunt à Parochis illorum locorum in quibus ante suam migrationem ab anno vel à sex mensibus habitabant. Ibid. 3. Si alteruter contrahentium, per

æquale circiter temporis intervallum, in duabus Parochiis publicè commoretur, ab utriusque Parocho banna debent proclamari. Secùs verò dicendum de eo qui domicilium fixum et publicum uno in loco retinet, quamvis per minorem anni partem in altero versaretur; tunc enim necesse non est ut in isto banna denuntientur. Ibid. 4. Banna eorum qui sub alienâ degunt potestate, non tantùm à Parocho loci in quo actu habitant promulganda sunt, sed etiam ab eo in cujus Parochiâ versantur illi sub quorum potestate constituuntur. Ritual., pag. 287. 5. Quantùm ad eos qui nullum habent domicilium, vide Ritual., pag. 286.

4.° *Tribus continuis diebus festivis*, id est, diebus dominicis aut festivis ex præcepto celebrandis. Notandum verò quòd Parochus de promulgatione factâ non debet testimonium contrahentibus tradere, nisi post 24 horarum intervallum ab ultimâ promulgatione elapsum. Ritual., pag. 288. Si autem Matrimonium tribus mensibus, ab ultimâ promulgatione numerandis, dilatum fuerit, novam seu quartam promulgationem fieri necesse est. Ritual., pag. 286.

5.° *In Ecclesiâ*, non autem ad ejus fores; et quidem in Ecclesiâ vel parochiali, vel succursali, vel annexâ in quâ divinum celebratur officium. Ritual., pag. 286.

6.° *Intra Missarum solemnia*, nec proindè intra vesperas aut conciones, sed tantùm in præconio Missæ parochialis. Ita expressè Ritual., p. 287. Cæterùm quovis anni tempore, etiam eo quo vetita est Matrimonii celebratio, bannorum promulgatio fieri potest.

Circa formulam bannorum et cætera que spec-

tant bannorum promulgationem, attentè legantur et accuratè serventur quæ in Rituali diœcesano præscribuntur.

§ III.

De Obligationibus quæ oriuntur ex Bannorum promulgatione.

Ex iis obligationibus aliæ spectant Parochos quibus revelantur impedimenta; aliæ verò fideles qui eadem impedimenta revelare tenentur. De prioribus consulendum est Rituale diœcesanum; de posterioribus hic tantùm dicemus: undè sit

PROPOSITIO.

Mortaliter peccat quicunque certissimè sciens, aliâ viâ quàm per Confessionem, etiam sub secreto naturali, esse impedimentum dirimens inter eos quorum banna proclamantur, illud non revelat, nisi legitima causa excuset.

Prob. 1.° ex cap. *Cæterùm de testibus;* 2.° quia Ecclesia revelationem hanc præcipit sub gravi; 3.° quia ita exigunt tum reverentia debita Sacramento quod profanaretur, tum Reipublicæ et familiarum pax ac tranquillitas.

Dixi 1.° *quicunque*, et quidem sive sit ex Parochiâ in quâ fit denuntiatio, sive ex aliâ. Quia leges revelationem hanc præcipientes sunt universales et indefinitæ, spectantque commune bonum.

Dixi 2.° *impedimentum dirimens*, quia si solùm impediens sit, non videtur adeò stricta obligatio, possetque in quibusdam casibus non revelans excusari à lethali peccato, putà si indè non sequatur damnum tertii.

Dixi 3.° *certissimè sciens*, si enim ex incerto rumore, vel alicujus personæ testimonio quæ non sit fide digna, cessat obligatio.

Dixi 4.° *aliâ viâ quàm per Confessionem*, quia prorsùs inviolabile est Confessionis sigillum.

Dixi 5.° *etiam sub secreto naturali;* ratio est quòd hujusmodi revelatio non sit ad faciendam criminis vindictam, sed ad impediendum crimen committentibus maximè damnosum et Religioni injuriosum, quod averti jubet charitas in proximum et in Deum pietas.

Dixi 6.° *nisi legitima causa excuset*, nempè 1.° bonum publicum; undè nec debent nec possunt revelare Medici, Chirurgi, Obstetrices, Advocati, etc., qui impedimenta nòrunt ex secreto sibi commisso ad petendum consilium. Ratio est, quia per consilia hujusmodi multa mala à societate avertuntur : jam verò iis consiliis præcluderetur aditus, si tunc adesset revelandi obligatio. 2.° Si detegi non posset impedimentum absque gravi revelantis aut tertiæ personæ incommodo, periculo vel infamiâ. Si verò ex revelatione sequeretur ipsorum contrahentium diffamatio, tunc illi priùs essent privatìm monendi, et, spreto monito, denuntiandi, non obstante secuturâ diffamatione, quam sibi imputare debent.

Cæterùm quàm primùm post auditam primam publicationem urget revelandi præceptum; ratio est quòd periculum esset in morâ, ne obtentis dispensationibus à cæteris bannis, daretur locus perficiendi Matrimonium ante revelationem.

Quomodò autem in recipiendis revelationibus se gerere debeat Parochus, habetur in Ritualibus. Vide Tolos., pag. 288.

§ IV.

De Bannorum dispensatione.

Statuitur 1.° Soli Episcopi jus habent dispensandi in lege bannorum, justis de causis. Constat 1.° ex Conc. Trident. Sess. 24, cap. 1 de reform. Matrim. : *Nisi Ordinarius ipse expedire judicaverit ut prædictæ* bannorum *denuntiationes remittantur : quod illius prudentiæ et judicio S. Synodus relinquit.* 2.° Ita etiam expressè Ritual. Tolos. Nomine autem Ordinarii omnes intelligunt Episcopum aut ejus Vicarios, aut, Sede vacante, Vicarium Capituli.

Statuitur 2.° Ubi contrahentes ejusdem non sunt Diœcesis, necessaria est utriusque Episcopi dispensatio. Ratio est, quia Episcopus nullam habet in subjectum alterius jurisdictionem. Dispensatio autem Episcopi cujus in Diœcesi non celebrantur nuptiæ, ejus sigillo est obsignanda, ipsiusque aut Vicarii generalis nomine subscribenda.

Statuitur 3.° Ad concedendam bannorum, præsertim omnium, dispensationem, requiritur causa gravis; cùm lex bannorum sub gravi obliget, ut dictum est. Quocircà Rituale Tolosanum sic Parochos admonet : *Les Curés auront soin d'avertir leurs peuples de ne point compter sur ces sortes de dispenses, à moins qu'ils n'aient de fortes raisons pour les demander.*

Quæres quid sentiendum sit de Matrimoniis secretis seu *conscientiæ,* quæ scilicet celebrantur quidem coram Parocho et testibus, sed omissâ bannorum proclamatione, quæque fiunt ad vitanda incommoda publicitatis.

Resp. 1.° hujusmodi Matrimonia, si spectetur solùm *Jus canonicum* (etsi ordinariè graviter illicita), positis certis conditionibus, licita esse. Contraria enim Sambovii opinio nimis est à communi sententià remota, inquit Bened. XIV, de Synodo, lib. 13, cap. 23, n. 13. Eas autem conditiones recenset idem Summ. Pontif. in Constit. *Satis vobis.* Ab iis referendis abstinemus, cùm ab Episcopo præscribendæ sint, sine cujus nutu, in re tanti momenti, nihil agendum est.

Resp. 2.° Si attendatur ad *Jus civile*, olim ex Declaratione 1639, hæc Matrimonia erant invalida quoad effectus civiles; hodiè verò, modò serventur formæ in Codice præscriptæ, quamvis occultæ manerent, quod absolutè possibile est, Matrimonium effectus civiles obtineret. Vide *Toullier,* tom. 1, n.° 649.

Hic breviter dicendum superest de Matrimoniis *in extremis.* Ex edicto 1697, nullum olim parebant civilem effectum; nunc verò valent in foro civili, modò ritè serventur formæ quæ in Codice generatim sancitæ sunt. Vid. *Toullier,* ibid. Valent etiam hujusmodi Matrimonia in foro conscientiæ, modò ægrotans sit mente sanus. Sed antequàm celebrentur, quantùm fieri poterit, consulatur Episcopus.

CAPUT II.

De causâ efficiente Contractûs matrimonialis, seu de contrahentium Consensu.

NOTA 1.° Consensus matrimonialis dicitur actus voluntatis, quo contrahentes sese mutuò in conjuges accipiunt.

Nota 2.° Ad contrahendum Matrimonium absolutè requiritur utriusque partis consensus. Matrimonium enim est contractus; contractus autem non fit, nisi ex mutuâ contrahentium voluntate.

Restat itaque inquirendum quænam esse debeant dotes illius consensûs. Jam verò consensus ille debet esse 1.° liber; 2.° verus et non fictus; 3.° externus et sensibilis, seu verbis vel signis sufficienter expressus, non autem purè internus; 4.° absolutus et independens ab omni conditione saltem contrariâ substantiæ Matrimonii. De his quatuor conditionibus breviter agendum est.

Primò, requiritur ut consensus sit liber.

Certum est requiri consensum liberum ad Matrimonium contrahendum, et ille consensus præstari debet cum eâ libertate et advertentiâ, quæ reperitur in peccato mortali; gravis enim obligatio Matrimonii hanc libertatem et advertentiam requirit. Verùm advertendum est hanc solam libertatem et advertentiam, quæ sufficit ad peccatum mortale, ad validitatem Matrimonii non sufficere, sed majorem adhuc requiri, eam scilicet libertatem, quæ talis sit ut excludat errorem tam circa personam quàm circa conditionem servilem, ut dicemus infrà. Præthereà consensus ita debet esse liber, ut neque vi, neque metu, neque in raptu extorqueatur; hæc enim omnia sunt impedimenta dirimentia Matrimonium, ut in Dissertatione de Impedimentis tanquam in proprio loco explicabitur.

Secundò, requiritur ut consensus sit verus, et non fictus.

Certum est ad valorem Matrimonii omninò

requiri ut consensus mutuus sit verus, sincerus, et ex animo; ut probatur ex cap. *Tua nos*, de Sponsalibus.

Ratio est, quia Matrimonium est essentialiter contractus, quo contrahentes sibi invicem donant suas personas, quod certè non potest fieri sine consensu sincero. Prætereà Matrimonium est vinculum perpetui et mutui amoris, est etiam animorum conjunctio, quæ omnia esse non possunt sine vero consensu.

Hinc 1.° Matrimonium est nullum et invalidum, quoties non adfuit verus et interior consensus utriusque contrahentis. Advertendum tamen quòd affirmanti se fictè consensisse, neque alter conjux, neque Judex Ecclesiasticus in foro exteriori fidem adhibere debet, nisi sufficienter probet.

Hinc 2.° si unus contrahentium Matrimonio fictè tantùm consensit, sine dubio graviter peccavit, tum peccato sacrilegii contra reverentiam Sacramenti, quod invalidum fuit, tum etiam peccato injustitiæ propter injuriam, quam in re gravi alteri bonâ fide contrahenti intulit quâ de causâ ordinariè tenetur sub peccato mortali verè de novo consentire, et verum Matrimonium efficere, tum propter contractum qui intervenit et impletus est ex parte alterius, tum propter gravissimum damnum quod indè alteri conjugi accidit; cùm enim in foro Ecclesiæ probari non possit fictum fuisse consensum, alteri conjugum non permittetur aliud Matrimonium inire cum aliâ personâ.

Colliges Confessorem teneri admonere pœnitentem, qui fictè consensit in Matrimonium, 1.° ut consensum sincerum præbeat; et ordinariè ei

deneganda est absolutio, si id recuset. Dico ordinariè, quia sunt quidam casus extraordinarii, de quibus consulendus est Episcopus. 2.° Confessor admonere debet pœnitentem quòd nullo modo uti potest Matrimonio, donec verum consensum adhibuerit, quia cùm Matrimonium sit nullum, nunquàm exigere vel reddere potest debitum conjugale; esset enim peccatum fornicationis.

Hinc 3.° si quis fictè consensit in priorem sponsam, et posteà cum alterâ sincerè contrahat, validum est ejus posterius Matrimonium, et ideò ad priorem carnaliter cognoscendam accedere non posset, etiam sub censuris præcipiente Judice.

Quæres an verus reputari debeat consensus illius qui falsò putat se impedimento dirimente ligari: v. g., Titius novum contrahit Matrimonium, existimans priorem conjugem adhuc vivere, licèt reverà obierit, verusne est illius in novum Matrimonium consensus, validumque proindè tale conjugium?

Resp. Sic quæstionem solvit D. *Compans*, *Traité des Dispenses*, tom. 1, pag. 284, novæ edit. Tolos.: *Ou la personne dont il s'agit, Titius*, v. g., *avait l'esprit si fort frappé de son empêchement putatif, et croyait tellement ne pouvoir se marier* actu, *qu'il ne pensait pàs même à le vouloir et qu'il ne cherchait qu'à se donner une concubine; ou bien, soit peu d'esprit, soit défaut d'attention, soit ignorance ou incrédulité sur la nature et la force de son empêchement dirimant, il voulait se donner une véritable épouse, et se donner lui-même à elle pour époux. Dans le premier cas, son mariage est nul; puisqu'il manque du consentement né-*

cessaire : dans le second cas, il est valide; puisqu'il s'y trouve tout ce qui est requis, nempè verus consensus et ad contrahendum habilitas, cùm, ex hypothesi, prior conjux obierit tempore quo initum est secundum conjugium.

Tertiò, requiritur ut consensus sit externus.

Certum est ad valorem Matrimonii omninò requiri, ut consensus sit externus, seu verbis vel aliis signis sufficienter expressus. Ratio est, quia sine consensu externo et sensibili Matrimonium nec contractus, nec Sacramentum esse potest: undè non sufficit consensus purè internus.

Cæterùm consensus, quantùm fieri potest, et, ut loquitur Eugenius in decreto ad Armenos, regulariter debet exprimi per verba de præsenti, secundùm usum Ecclesiæ, à quo sine justâ causâ recedere non licet.

Dixi, *regulariter consensum debere exprimi per verba,* quia aliquandò sufficiunt alia signa consensum sufficienter exprimentia, quandò verba vel proferri vel audiri à contrahentibus non possunt, v. g., quandò contrahentes sunt surdi aut muti.

Addo insuper consensum posse etiam exprimi in absentiâ per procuratorem, modò tamen procurator contrahat coram Parocho et testibus. Verùm hoc fieri non debet nisi ex causâ necessitatis, et de consensu Episcopi.

Quartò, requiritur ut consensus sit absolutus.

Nomine consensûs absoluti intelligimus eum consensum, cui nulla adjicitur conditio, v. g.: Contraho tecum. Consensus verò conditionatus est ille cui adjicitur conditio, v. g. : Contraho tecum, si pater consenserit.

Jam verò certum est Parochos non debere admittere ad celebrationem Matrimonii contrahentes qui dant consensum aliquo modo conditionatum, quia non licet exponere Sacramentum variis ambagibus, et periculo invaliditatis, quod evenit, quandò apponuntur conditiones contractui matrimoniali.

Quæres an, quandò aliquæ conditiones appositæ sunt, validum sit Matrimonium necne; item quomodò se gerere debeant hujusmodi contrahentes.

Resp. Conditiones illæ vel sunt de præterito, vel de præsenti, vel de futuro : si sint de præterito, vel de præsenti, et contrahentes certò sciant esse jam impletas, tunc non solùm validum est Matrimonium, sed etiam Matrimonio uti possunt : si verò contrahentes dubitant, vel ignorant tales conditiones adimpletas esse, tunc Matrimonio uti non possunt, sed exspectandum est donec certò sciant conditiones adimpletas esse. Si verò conditiones sint de futuro, vel sunt repugnantes substantiæ Matrimonii, aut ejus obligationibus essentialibus, v. g. : Contraho tecum, dummodò mihi liceat cùm voluero aliam ducere, vel dummodò abortum procures; tunc certum est consensum datum sub talibus conditionibus esse omninò nullum et invalidum; ut patet ex cap. *Si conditiones*, de Conditionibus appositis. Vel illæ conditiones de futuro non sunt repugnantes substantiæ Matrimonii, v. g. : Contraho tecum, si pater consenserit; tunc non invalidant contractum Matrimonii, sed tantùm suspendunt usque ad conditionis eventum, ut patet ex cap. *Super eo*, de Conditionibus; sed circa hoc difficultas est, 1.° utrùm adveniente condi-

tione valeat statim Matrimonium sine novo consensu, an verò novus consensus requiratur; 2.° an novus ille consensus præstari debeat coram Parocho et testibus. Quidquid sit, Parochus, vel Confessor curare debet, ut in hoc dubio contrahentes tutiorem partem sequantur, scilicet renovent consensum in præsentiâ Parochi et testium, quia cùm agitur de valore Sacramenti, semper amplectendum id quod tutius est, cùm in nostrâ versatur potestate.

Porrò advertendum est quòd si conditiones de futuro sint impossibiles, v. g. : Contraho tecum, si cœlum digito tetigeris; vel turpes, v. g. : Contraho tecum, si furtum feceris; advertendum, inquam, quòd hujusmodi conditiones, licèt impossibiles sint, vel turpes, non invalident Matrimonium, imò pro non adjectis haberi debent, ut habetur in cap. *Si conditiones*, de Conditionibus appositis; et hoc fit in favorem Matrimonii, et supponitur verum fuisse consensum; si enim non esset verus et sincerus consensus, tunc nullum esset Matrimonium, ut sæpè diximus.

Sed quid de Matrimonio inito sub conditione nunquàm eo utendi?

Respondent plures : Distinguendum est jus utendi Matrimonio ab illius usu : prius est de essentiâ Matrimonii, non item posterius. Itaque vel alteruter contrahentium, cùm nupsit, jus illud abdicavit, et tunc invalidum est Matrimonium; vel usui tantùm unus aut uterque cum voto renuntiavit, et tunc nihilominùs stat Matrimonii validitas. Alii verò contrà sentiunt. Sed quidquid sit, certum est conjugia sub his conditionibus inita periculosa esse, ac proindè nunquàm esse permittenda.

DISSERTATIO QUARTA.

DE IMPEDIMENTIS MATRIMONII.

Quæcunque circà hanc maximi momenti quæstionem dicenda occurrunt, triplici capite complectemur, acturi in 1.° de impedimentis in genere; in 2.° de impedimentis in specie; in 3.° de illorum dispensatione.

CAPUT PRIMUM.

De Impedimentis in genere.

Impedimentum Matrimonii generatìm dicitur illud omne quod obstat ne Matrimonium validè aut licitè contrahatur; si obstet validitati Matrimonii, *impedimentum dirimens;* si verò illius legitimitati duntaxat, *prohibens* seu impediens appellatur. Hinc duplicis generis sunt impedimenta; alia *dirimentia*, quæ Matrimonium subsequens efficiunt invalidum; alia *prohibentia*, quæ Matrimonium reddunt tantummodò illicitum.

Circa impedimenta Matrimonii generatìm spectata id unum expendemus, nempè, utrùm præter impedimenta quæ jure naturali aut divino statuta sunt, alia possint etiam ab humanâ auctoritate constitui. Cùm autem duplex sit humana auctoritas, ecclesiastica scilicet et civilis, quæritur 1.° utrùm Ecclesia statuere valeat impedimenta Matrimonium etiam dirimentia; 2.° an eodem jure gaudeat Princeps secularis.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrùm possit Ecclesia constituere Impedimenta Matrimonium dirimentia.

Negârunt Lutherus, Calvinus, Marcus Antonius de Dominis, Archiepiscopus Spalatensis et apostata, imò et ipse doctor Launoius, rati causas omnes matrimoniales nativo ac proprio jure ad solos Principes pertinere. Illorum errori suffragantur multi Jurisperiti Galli et Itali, quibus novissimè adhæsit auctor operis cui titulus : *Principes sur la distinction du Contrat et du Sacrement de Mariage*. Isti enim subdolè separantes Sacramentum Matrimonii à contractu matrimoniali, contendunt Ecclesiam habere quidem jus in hoc Sacramentum, nullatenùs verò in Matrimonium seu contractum matrimonialem. Contra eos omnes veram Ecclesiæ potestatem in statuendis impedimentis Matrimonium dirimentibus duplici propositione vindicabimus.

PROPOSITIO PRIMA.

Ecclesia habet, et quidem jure proprio, *potestatem apponendi Matrimonio impedimenta quæ ipsum dirimant.*

Propositio est de fide.

Prob. 1.° *ex Conc. Trid.* Sess. 24, can. 3, 9, 12, et præsertim can. 4 : *Si quis dixerit Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta Matrimonium dirimentia, vel in iis constituendis errasse ; anathema sit.* Canon autem ille conditus est ad profligandum errorem Lutheri, qui profectò non negabat Ecclesiam posse, ex

concessione seu delegatione Principum, impedimenta dirimentia statuere; ergo jus quod eo in canone Ecclesiæ vindicatur, ipsi *proprium* est et à Principe seu potestate civili independens.

Confirmatur hæc Tridentini Concilii interpretatio ex Constitutione dogmaticâ Pii VI, *Auctorem fidei*, ab omnibus Ecclesiis acceptatâ, Propos. LIX: « Doctrina Synodi (Pistoiensis) » asserens, *ad supremam civilem potestatem* » *duntaxat originariè spectare contractui Matrimonii apponere impedimenta ejus generis,* » *quæ ipsum nullum reddant, dicunturque dirimentia*.... Quasi Ecclesia non semper potuerit » ac possit in Christianorum Matrimoniis JURE » PROPRIO impedimenta constituere, quæ Matrimonium non solùm impediant, sed et nullum » reddant quoad vinculum, quibus Christiani » obstricti teneantur etiam in terris infidelium, » in iisdemque dispensare, Canonum, 3, 4, 9, » 12, Sess. 24 Concil. Trident. EVERSIVA, HÆRETICA. »

Prob. 2.° *ex praxi Ecclesiæ*, quam testantur Traditionis monumenta à Giberto collecta et discussa in libro jam citato: *Tradition de l'Eglise sur le Mariage*. Sed quia longum foret omnia SS. PP. et Conc. testimonia describere, unum aut alterum duntaxat proferemus: Concilium Neocæsariense, anno 314, sic statuit: *Mulier si duobus fratribus nupserit, abjiciatur usque ad mortem; veruntamen in morte si promiserit, quòd ubi convaluerit solvet Matrimonium, propter humanitatem pœnitentiam habebit.* S. Basilius Epist. ad Diodorum 197, tom. 2, edit. Front. Duc., cui omninò consentit edit. Bened., tom. 3; Epist. ad eumdem 160, sermo-

nem habens de viro qui, defunctâ uxore, illius sororem duxisset, sic loquitur : *Principio igitur quod in ejusmodi rebus maximi momenti est, morem qui apud nos est objicere possumus, quòd is legis vim habeat : propterea quòd sanctiones istæ à sanctis nobis sunt viris traditæ. Est autem is mos talis.... id neque conjugium esse censendum.* Vide etiam can. 78 Epist. ejusdem Doctoris 3.ᵃᵉ canonicæ ad Amphilochium, et can. 6 Epist. 1.ᵃᵉ etiam canonicæ.

Ex his autem testimoniis constat 1.° impedimentum *affinitatis* jam IV seculo constitutum fuisse, et quidem juxta consuetudinem, *vim legis habentem* et *Sanctiones* quæ, ex S. Basilio, *à Sanctis Viris*, proindèque non à Principibus ethnicis, sed ab Apostolis vel Apostolicis viris *traditæ* fuerant; 2.° impedimentum illud verè fuisse *dirimens*, ut perspicuum est ex his verbis, *Solvet Matrimonium*, *Conjugium non esse censendum.*

Objicies. Ecclesia nihil potest in substantiam Sacramentorum : atqui multùm posset in Sacramentorum substantiam, si potestatem haberet statuendi impedimenta Matrimonium dirimentia; tunc enim posset Sacramenti materiam mutare, cùm efficere posset ut consensus partium, seu contractus, qui est sufficiens materia Sacramenti Matrimonii, jam, ob novas appositas conditiones, sufficiens non foret; ergo, etc.

Resp. 1.° Retorqueri potest argumentum contra adversarios qui dicunt Principem, et quidem solum, posse impedimenta Matrimonium dirimentia statuere; undè illorum responsio nostra erit.

Resp. 2.° *Nego min.* Ex eo quòd Ecclesia novas

apponat conditiones ut partium consensus seu contractus sit validus, non ideò dicenda est immutare materiam Sacramenti Matrimonii. Namque materia hujus Sacramenti est contractus legitimus: porrò cùm Ecclesia novas apponit conditiones quarum defectus invalidum reddit Matrimonium, contractus legitimus non cessat esse materia hujus Sacramenti sufficiens, nec facit Ecclesia ut contractus legitimus jam non sufficiat ad validam Sacramenti materiam; sed duntaxat impedit ne contractus anteà legitimus, jam sit legitimus; quemadmodùm artis chimicæ peritus qui aquam aut panem corrumperet, instanti quo Sacerdos vult baptizare vel celebrare, non ideò baptismatis aut eucharistiæ materiam mutaret, sed impediret tantùm quominùs, defectu panis et aquæ, valida tunc adesset illorum Sacramentorum materia.

SCHOLIUM.

Ex jam probatis manifestum est quàm immeritò contendant adversarii Ecclesiam supra Principes usurpasse potestatem statuendi impedimenta Matrimonium dirimentia, vel saltem ab illis eam accepisse. Namque 1.° Ecclesia, ut potè à Spiritu Sancto directa, limites potestatis sibi à Christo concessæ transilire nequit, ut fides docet. Nec concipi potest cur, si tantam usurpationem attentasset Ecclesia, non reclamassent Principes, quorum summoperè intererat sua jura intacta servare. 2.° Si verò talem potestatem à Principibus accepit Ecclesia, quî fit ut, nedùm possit hujus concessionis vel minimum assignari monumentum, sæpè è contrà videamus ipsos Principes ad Ecclesiæ auctoritatem confugere, si fortè dispensatio-

nem ab aliquo impedimento quo detinentur, obtinere velint? Quis tandem dixerit Ecclesiam impedimentum, v. g., monastici voti, ordinis, affinitatis spiritualis, quæ certè ad Religionem attinent, ex Principum indulgentiâ, non auctoritate sibi à Christo traditâ, constituisse.

Nec juvat opponere Ecclesiam, beneficio falsarum Decretalium, potestatem de quâ agitur sibi asseruisse; illæ enim Decretales ante seculum IX non prodierunt, nec ullam apud Græcos auctoritatem habuêre. Porrò longè ante hanc epocham Ecclesia Græca potestatem exercuit statuendi impedimenta Matrimonium dirimentia, ut constat ex testimoniis quæ suprà descripsimus, quibus addi potest auctoritas Concilii *in Trullo*, seu Quinisexti, VII seculo, in quo impedimenta ordinis, voti, affinitatis et consanguinitatis de novo promulgantur.

PROPOSITIO II.

Impedimenti dirimentis ab Ecclesiâ constituti ea vis est, ut ipsum Matrimonii contractum irritet.

Prob. 1.° *ex Conc. Trid.* Sess. 24, de reformatione Matrimonii, cap. 1: *Qui aliter quàm præsente Parocho.... et duobus vel tribus testibus Matrimonium contrahere attentabunt, eos sancta Synodus ad sic contrahendum omninò inhabiles reddit;* ergo non solùm incapaces Sacramenti recipiendi, ut volunt adversarii: *et hujusmodi contractus irritos et nullos esse decernit, prout eos præsenti Decreto irritos facit, et annullat;* ergo non solùm Sacramentum impedit, sed ipsum matrimonialem contractum

irritat. Et certè per impedimentum dirimens illud intellexêre Tridentini Patres quod tunc temporis intelligebant Theologi omnes et Canonistæ; atqui apud eos omnes alia non erat impedimenti dirimentis notio quàm quæ à nobis traditur.

Prob. 2.° *ex auctoritate Summ. Pontif.* Benedicti XIV, in Constitutione *Inter omnigenas*, et Litteris ad P. Simonem à S. Josepho, Missionarium in Belgio, ubi expressè declarat Summus Pontifex quòd ubicumquè promulgatum et receptum sit modò relatum Conc. Trid. decretum, *perspicuum est Matrimonium initum coram civili Magistratu et non item coram proprio alterutrius contrahentium Parocho et duobus testibus, neque in ratione Sacramenti neque in ratione* CONTRACTUS *sustineri aut* ULLO PACTO VALIDUM REPUTARI POSSE; quia, inquit, *Tridentina Synodus non Sacramentum modò, sed* CONTRACTUM *ipsum irritum disertè pronuntiat.* De Synod. diœces., lib. 6, cap. 7, n. 5. Observandum est ad illam constitutionem easque litteras Summ. Pontif. Pium VI remisisse Episcopos Gallicanos qui ipsum consuluerant anno 1791. Vide Instruct. n. 31, tom. 2, p. 212, Collect. Brevium ejusdem Pontif. Accedit Constitutio Pii VI, *Auctorem fidei*, Propos. LIX, ubi contraria sententia tanquam *Conc. Trident. subversiva* reprobatur.

COROLLARIA.

Ex dictis plurima fluunt consectaria, quæ ad praxim attinent scitu necessaria.

1.um Potestas statuendi impedimenta Matrimonium dirimentia residet sive in Conciliis Generalibus, cùm universalem repræsentent Ecclesiam, sive

sive in Summo Pontifice qui gaudet plenitudine potestatis ecclesiasticæ, vi cujus potest condere leges quæ omnes obligent, ut probatur in *Tractatu de Ecclesiâ*, Diss. 5, cap. 2, art. 1.

2.um Ecclesia potest Hæreticos ligare impedimentis canonicis. Hæretici namque, vi suscepti baptismatis, Ecclesiæ subjiciuntur, nec ab ejus auctoritate, rebellione injustâ, subduci potuerunt. Utrùm autem de facto Ecclesia voluerit eos canonicis impedimentis obstringere, necne, controvertitur. Vid. *Traité des Dispenses*, t. 1, pag. 60 novæ edit.

3.um Impedimenta dirimentia legitimâ consuetudine introduci possunt. Hæc enim consuetudo vim legis habet. Constat aliundè ex auctoritate S. Basilii suprà, et Alexandri III, cap. *Super eo quod.* Accedit Declaratio Cleri Gallicani in Comitiis 1635, in quâ nullitas Matrimonii quod, Rege inscio, contrahunt prosapiæ regiæ Principes, non aliundè quàm ex priscâ hujus Regni consuetudine desumitur. Vid. *Mémoires du Clergé*, tom. 5, pag. 712.

4.um Cùm Ecclesia impedimenta dirimentia statuere valeat, potest etiam, et quidem à fortiori, constituere impedimenta Matrimonium prohibentia.

5.um Peccatum est mortale, ex genere suo, contrahere Matrimonium cum impedimento dirimente ab Ecclesiâ constituto; tunc enim gravis irrogatur injuria Sacramento quod, defectu legitimi consensûs, seu debitæ materiæ, nullum efficitur. Idem communiter docent Theologi de eo qui contrahit Matrimonium cum impedimento simpliciter prohibente, quia præceptum Ecclesiæ violat in materiâ gravi.

ARTICULUS II.

Utrùm Princeps secularis jus habeat statuendi impedimenta Matrimonium dirimentia.

Duplici sensu præsens quæstio agitari potest, *speculativè* scilicet et quoad jus, *practicè* et quoad factum; scilicet, quæri potest 1.° an Princeps constituere possit impedimenta Matrimonium dirimentia: 2.° utrùm de facto eâ potestate usus fuerit. Quæstionem priori tantùm sensu spectatam hìc expendemus, de quæstione *facti* dicturi sequenti capite, sect. 2.ª, art. 1.

Certum est apud omnes, Principes seculares jus et auctoritatem habere condendi leges quæ spectant contractum Matrimonii impropriè dictum, id est, conventiones matrimoniales de bonis conjugum, filiorum successiones, et alia hujusmodi quæ *effectus civiles* Matrimonii dicuntur. Tale enim jus ipsis Principibus adeò innatum est et proprium, ut eo spoliari nunquàm possint. Vid. *Tractatum de Ecclesiâ,* Dissert. 5, cap. 2, art. 2, § 1.

Præsens itaque controversia in eo versatur, an potestas Principis attingere valeat et irritare contractum Matrimonii propriè dictum, seu consensum mutuum conjugum in individuam vitæ societatem; ita ut irritato illo consensu per legem Principis, nulla supersit Sacramenti Matrimonii materia, et consequenter nullum sit Sacramentum.

Duplex est hâc de re sententia. Prima quam tenent ferè omnes extranei Theologi, hanc potestatem Principi seculari denegat; sed duplici præsertim modo explicatur: alii enim fatentur

posse quidem Principes, ex genere et naturâ suæ potestatis etiam Matrimonii contractum rescindere; sed ipsâ potestate privatos esse principes christianos contendunt: ex quo nimirùm Christus Matrimonium ad dignitatem Sacramenti evexit, non ampliùs subjacere illud volunt legibus principum, sed unius Ecclesiæ. Ita præsertìm Basilius Pontius, de Matrimonio lib. 6, cap. 2, et alii plures apud *Sanchez*. Alii cum eodem *Sanchez* et pluribus quos ipse laudat, de Matrimonio lib. 7, disput. 3, n. 2 et 3, adjudicant quoque Principi jus innatum apponendi Matrimonio impedimenta quæ ipsum contractum irritent; verùm existimant, non quidem eo jure fuisse spoliatos, ut volunt patroni præcedentis opinionis, sed juris illius usum seu exercitium duntaxat sibi Ecclesiam reservasse, et Principibus interdixisse. Non negant quidem illi reverà christianos Principes interdùm decrevisse impedimenta Matrimonium dirimentia: at contendunt illos aut immeritò sibi jus illud arrogasse, aut saltem approbante et consentiente Ecclesiâ, illud exercuisse, tanquam vindices ac patronos legum ecclesiasticarum.

Hæc autem postrema opinio probari solet 1.° ex pluribus Juris canonici capitibus, in quibus causæ Matrimoniales soli Ecclesiæ foro, expressè et sine restrictione, adscribuntur, Matrimoniumque vi legis civilis irritum, validum tamen declaratur in Ecclesiæ foro: imò, *quandoquè visum est Ecclesiæ civiles leges pluribus seculis à se approbatas corrigere et abrogare; statuitque ut deinceps nuptiarum validitas à solo penderet contrahentium consensu, nequaquam autem à nutu eorum, sub quorum dominio vel*

potestate contrahentes existunt : quod generatim sancitum legitur in cap. Cùm locum *de Spons. et Matrim., in cap.* Licet, *et in cap.* Tua, *de Sponsâ duorum, etc.* Sic Bened. XIV, de Synod. diœces., lib. 9, cap. 11, n. 4. Nec mirum, pergunt illi, id nemini videri debet; potestas enim temporalis spirituali subjecta est ac ipsi subordinata, in iis quæ spectant ordinem spiritualem et supernaturalem : jam verò hujusmodi est Matrimonii contractus in quo tota fundatur ratio Sacramenti; potest igitur Ecclesia potestatem Principum hàc in re coercere, illique limites præscribere quos transilire validè nequeat. Ita *Sanchez* loco cit. 2.° Ex auctoritate Theologorum quorum longum et venerabile agmen ducit D. Thomas. Quamvis enim S. Doctor in 4, dist. 34, quæst. unicâ, art. 1 ad 4, concesserit Matrimonium, prout est civilis contractus, pendere posse à lege civili, tamen dist. 42, quæst. 2, art. 2 ad 4, illud ita explicat ut locum habeat lex civilis, si auctoritas etiam Ecclesiæ accesserit: *Prohibitio*, inquit, *legis humanæ non sufficeret ad impedimentum Matrimonii, nisi interveniret auctoritas Ecclesiæ, quæ idem interdicit.*

Secunda sententia eorum est qui docent Principi seculari jure innato, completo et independenti competere potestatem constituendi impedimenta Matrimonii contractum dirimentia. Hanc opinionem propugnare conantur Theologi Galli, 1.° ex praxi Principum qui hàc potestate usi sunt, ut multis exemplis demonstrat Gerbesius in opere cui titulus : *Traité du pouvoir de l'Eglise et des Princes sur les empêchemens du Mariage*, 2. part. 2.° Confirmant ratione et sic argumen-

tantur : Hanc certè potestatem habent Principes quæ ipsis ex naturâ rei competit, et quam aliundè non amiserunt nec per institutionem Sacramenti Matrimonii, nec per Ecclesiæ reservationem : porrò, inquiunt, talis est potestas Principum in constituendis impedimentis Matrimonium dirimentibus : 1.° quidem hanc auctoritatem habent ex naturâ rei, ut fatentur patroni adversæ sententiæ, et aliundè satis constat ex eo quòd, cùm Princeps in alios contractus, ut fatentur omnes, jus habeat, ob bonum societatis, à fortiori et in contractum Matrimonii qui basis est totius societatis civilis.

2.° Nec hanc potestatem amiserunt Principes per sacramenti Matrimonii institutionem ; exindè enim Matrimonium non desiit esse contractus, qui proindè subjacere non desiit Principum auctoritati. Non tamen ideò Princeps dicendus est attingere et irritare Sacramentum ; sed solùm impedit quominùs existat illius materia, sicut jam de Ecclesiâ cùm statuit impedimenta dirimentia, suo loco dictum fuit. 3.° Nec illam potestatem amiserunt per Ecclesiæ reservationem ; nullum enim decretum quod hanc reservationem statuat citare possunt contrariæ sententiæ patroni, ut ostendit Gerbesius opere cit. : et præthereà hanc innatam Principibus potestatem sibi non potuit Ecclesia reservare, cùm nullâ potestate in Regum temporalia potiatur. Hæc illi.

Utriusque sententiæ momenta exposuisse satis nobis est ; controversiam peritiori linquimus dirimendam.

CAPUT II.

De Impedimentis Matrimonii in specie.

Matrimonii impedimenta alia sunt *canonica* quæ ab Ecclesiâ sancita sunt; alia *civilia* quæ à Principe statuuntur. De utrisque agendum.

SECTIO PRIMA.

De Impedimentis canonicis.

Matrimonii impedimenta, ut suprà notavimus, duplicis generatìm speciei distinguuntur, *dirimentia* scilicet et *prohibentia*, de quibus duplici articulo disserendum est.

ARTICULUS PRIMUS.

De Impedimentis dirimentibus.

Impedimenta dirimentia quatuordecim vulgò numerantur his versibus comprehensa :

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultûs disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,
Si sis affinis, si consummare nequibis,
Si mulier sit rapta, loco nec reddita tuto,
Si Parochi et duplicis desit præsentia testis.

Ex quibus impedimentis duodecim priora sunt Juris antiqui, vel naturalis, vel divini, vel solùm positivi ecclesiastici; duo autem posteriora Jure novo ecclesiastico Concilii Tridentini sunt introducta. De singulis illis impedimentis totidem distinctis dicemus paragraphis.

§ I.

De Impedimento Erroris.

Advertendum quòd error versari potest circa

triplex objectum : 1.° circa personam ipsam, ut cùm Jacob putavit quòd duceret Rachelem, et duxit Liam; talisque error dicitur personalis, vel substantialis, quia versatur circa ipsam personæ substantiam.

2.° Error versari potest circa qualitates accidentales personæ, v. g., nobilitatem, virtutes, divitias, ut si quis existimat se ducere divitem, et ducat pauperem; talis error dicitur accidentalis.

3.° Error versari potest circa conditionem servilem, ut cùm aliquis liber contrahit Matrimonium cum servâ, putans eam esse liberam. De hoc errore sequenti paragrapho agemus. His præmissis,

Statuitur 1.° errorem circa personam (qualiscunque sit ille error, sive vincibilis et crassus, sive invincibilis, sive antecedens, sive etiam concomitans, quo scilicet sublato nihilominùs præstitus fuisset consensus, sive procedat ab ipso ignorante, sive ab alio per dolum), ipso naturæ jure, reddere Matrimonium invalidum, nisi constet mentem contrahentis fuisse consentire in personam sibi præsentem, quæcunque illa sit.

Ratio autem cur invalidum sit Matrimonium, cùm fuit error circa personam, est quia tunc consensus non fertur in hanc personam cum quâ contrahitur, sed in aliam quæ putatur adesse; ergo contractus est omninò nullus, quia est sine consensu necessario.

Dices 1.° Validum fuit Matrimonium Jacob cum Liâ, quamvis adesset error circa personam.

2.° Error vincibilis non tollit voluntarium; ergo nec contractum irritat.

Resp. ad 1.um *Dist.* Validum fuit propter consensum quem posteà addidit Jacob, *conc.*; propter consensum ex errore profectum, *nego*.

Ad. 2.um *Dist. ant.* Non tollit voluntarium in ordine ad culpam, *conc.;* in ordine ad contractum, *nego.* Ratio disparitatis est quòd ad culpam negligentia sufficiat, expressus autem consensus in contractu requiritur.

Statuitur 2.° errorem accidentalem circa solas qualitates, qualiscunque sit error, non invalidare Matrimonium, ut patet ex Jure canonico, causâ 29, quæst. 1.

Ratio est, quia adhuc manet consensus in personam præsentem : undè quandò quis contrahit cum personâ paupere, vel quæ pravis est moribus, quæ putabatur dives et honesta, validum tamen est Matrimonium, licèt illicitum ex parte decipientis.

Excipiunt Doctores 1.° nisi errans contrahat sub expressâ conditiòne qualitatis, quia contractus conditionales, deficiente conditione, nulli sunt.

Excipiunt 2.° nisi error qualitatis redundet in errorem personæ, quod tunc fit quandò per qualitatem circa quam erratur, talis persona determinata, seu individua et singularis concipitur, ac animo designatur, quæ visu ignota est, et tamen distincta reperitur à personâ præsente : v. g., si quis ignotus se fingat filium cujusdam nominati Marchionis, si quæ se fingat primogenitam certi Comitis, tunc error qualitatis vel primogenituræ transit in errorem personæ, quia consensus alterius contrahentis non fertur in personam præsentem cum quâ actu contrahit, sed in aliam apprehensam et animo conceptam sub tali qualitate.

Advertendum autem, quòd si personam jam anteà visu cognoverit eamque absolutè ducere voluerit, et posteà decipiatur putando illam esse

nobilem vel primogenitam, tunc contrahens cum illâ, censetur cum eâ verè contrahere, et sic error est tantùm accidentalis, et non substantialis seu personalis, proindèque Matrimonium est validum.

§ II.

De Impedimento Conditionis servilis.

Statuitur errorem conditionis servilis reddere Matrimonium invalidum illius qui cùm sit liber, personam servam ducit, putans eam esse liberam. Ratio desumitur ex pluribus decretis Juris canonici, maximè ex cap. *Ad nostram*, de Conjugio servorum.

Adverte tamen quòd si homo liber sciens conditionem servilem personæ cum quâ contrahit, eam tamen velit accipere, tunc Matrimonium erit validum.

In Galliâ nullum habet locum hujusmodi impedimentum, cùm nulli sint servi, sed omnes liberi. Quò verò spectat servos qui in Coloniis versantur, nulla eorum fit mentio in Codice civ. Cæterùm vide D. *Compans*, opere jam laudato, pag. 113 et seqq.

At *quæres* utrùm error qui versatur circa personam *civiliter* mortuam Matrimonium dirimat.

Resp. negativè, si conjugium spectetur quoad vinculum, et ratio est quia tunc adest error solummodò circa qualitatem personæ qui, juxta omnes, non dirimit matrimonium. Si verò attendatur duntaxat ad illius civiles effectus, vide infrà de Imped. civ., sect. 2, art. 2, n. 2.

§ III.

De Impedimento Voti.

Notandum nomine voti hìc solùm intelligi vo-

tum solemne castitatis, quod emittitur vel in susceptione sacri Ordinis, vel in validâ Religionis approbatæ Professione, et modò illud votum pro solemni ab Ecclesiâ habeatur.

Dixi 1.°, *in validâ Professione* : nam si quis extra Professionem voveat etiam publicè castitatem, tale votum non erit solemne, de quo hìc agimus, sed simplex tantùm, de quo in articulo sequenti.

Dixi, 2.° *modò illud votum pro solemni ab Ecclesiâ habeatur;* quia sunt vota quæ in Religione approbatâ, etiam post Novitiatum emittuntur, quæ tamen ab Ecclesiâ non ut solemnia approbantur, sed ut simplicia vota ab Ecclesiâ reputantur : talia sunt vota Scholarium Societatis Jesu. Sunt etiam quædam vota simplicia, quæ licèt publicè et cum quâdam solemnitate in quibusdam Congregationibus, v. g., in Congregatione S. Lazari seu Missionis, emittantur, tamen ut simplicia semper habentur ab Ecclesiâ. His prænotatis,

Statuitur certum esse de fide, votum solemne castitatis esse impedimentum dirimens Matrimonium; ita ut tali voto ligatus, sit omninò inhabilis ad contrahendum Matrimonium.

Prob. 1.° ex Conc. Trid. Sess. 24, can. 9, ubi hoc expressè definitum habemus.

Prob. 2.° etiam ex multis decret. Conc. et Summ. Pont. quæ habentur in Jure canonico; idque convenientissimè statuit Ecclesia, ne, qui penitùs mundo ac seculi divitiis renuntiârunt, et totos sese Deo tradiderunt, quasi spreto primo Domino, mundum denuò ingrediantur.

Notandum tamen vota quæ Scholares Societatis Jesu emittunt, licèt solemnia non sint, impe-

dire nihilominùs ne Matrimonium validè contrahi possit, antequàm per Superiorum dispensationem relaxentur. Ita sancivit Gregor. XIII, Bullâ *Ascendente Domino.*

Cæterùm magis communiter ac probabiliùs tenent Theologi, votum solemne dirimere Matrimonium non Jure divino aut naturali, sed tantùm ecclesiastico, quia votum solemne solo Jure ecclesiastico habet quòd sit solemne, ut dicitur cap. unico *de Voto,* in Sexto, et quia valdè probabile est, quòd primis Ecclesiæ seculis votum castitatis non dirimeret Matrimonium, neque illud invalidum efficeret, sed tantùm illicitum.

§ IV.

De Impedimento Cognationis.

Triplex est cognatio, alia scilicet carnalis seu naturalis, alia spiritualis et alia legalis; de quibus seorsìm agendum est.

I.

Cognatio naturalis.

Circa cognationem naturalem, seu consanguinitatem, varia tractanda sunt : 1.° quid sit consanguinitas, seu cognatio ; 2.° quomodò distinguantur gradus consanguinitatis; 3.° an et in quo gradu consanguinitas sit impedimentum dirimens Matrimonium.

Primò, quid sit Consanguinitas.

Cognatio naturalis, quæ dicitur consanguinitas, quasi sanguinis unitas et communicatio, rectè definitur : *Vinculum personarum, quarum una descendit ab aliâ, vel ambæ ab eâdem,*

tanquam à communi ac propinquo stipite, per carnalem generationem descendunt.

Dicitur 1.° *vinculum*, id est, propinquitas vel arctior quædam amicitia et animorum conjunctio; ipso enim naturæ lumine constat, quòd sicut in consanguineis major est unio corporum propter ejusdem sanguinis participationem, ita etiam debet esse major unio affectuum per amicitiam specialem inter se.

Dicitur 2.° *quarum una descendit ab aliâ*, ut filius à patre.

Dicitur 3.° *vel ambæ ab eâdem personâ descendunt*, sicut frater et soror à patre, consobrini germani ab avo.

Dicitur 4.° *tanquam à communi stipite*, scilicet ductâ metaphorâ ab arboris trunco, à quo multi rami pendent, ita filii à patre, etc.

Dicitur 5.° *à propinquo stipite*; quia si sit remotus et ultra quartum gradum, habebit potiùs rationem radicis quàm trunci; et qui ab eodem multùm remoto stipite descendunt, non ampliùs dicuntur consanguinei consanguinitate quæ possit Matrimonium dirimere; alioquin nulli homines inter se possent Matrimonium contrahere, cùm omnes ab uno Adamo et Noë descendant.

Dicitur 6.° *per carnalem generationem*: undè qui nascuntur per generationem non solùm licitam, sed etiam illicitam, verè sunt consanguinei aliis, qui ab eodem stipite, sive licitè, sive illicitè orti sunt.

Secundò, quomodò distinguuntur gradus consanguinitatis.

Solent Theologi in consanguinitate distinguere lineas et gradus.

Nomine lineæ intelligunt seriem, seu ordinem personarum consanguinitatem inter se habentium : nomine autem gradùs exprimunt distantiam majorem vel minorem unius personæ ab alterà secundùm lineam consanguinitatis : v. g., filius distat à patre uno gradu, ab avo duobus, etc.

Præterea, cùm personæ fiant consanguineæ ex duplici capite : 1.° quia una descendit ab aliâ, v. g., filius à patre; 2.° quia licèt una non descendat ab alià, ambæ tamen descendunt ab eodem stipite, v. g., duo fratres ab eodem patre, duo consobrini germani ab eodem avo, ideò duplex distinguitur linea, scilicet *recta* et *collateralis*.

Linea recta est series, seu ordo personarum, quarum una descendit ab aliâ, v. g., proavus, avus, pater, filius, nepos, pronepos.

Linea verò collateralis, seu transversa et indirecta, est series personarum, quarum una non descendit ab alià, sed quæ solùm descendunt ab eodem stipite, v. g., frater et soror, consobrini, etc., quia illi omnes descendunt ab eodem patre vel avo.

Tres dantur regulæ, ex Jure canonico, pro computandis gradibus consanguinitatis, quarum una est pro lineâ rectâ, et aliæ duæ pro lineâ collaterali. Dixi, *ex Jure canonico;* nam in Jure civili gradus, in lineâ collaterali, aliter quàm in Jure canonico computantur. Vide sect. 2, art 2, n. 3.

Regula pro lineâ rectâ, quæ habetur præsertìm in cap. *Parentelæ,* causâ 35.â, quæst 5.â, hæc est :

In lineâ rectâ ascendentium et descendentium

tot sunt gradus quot sunt generationes personarum, quarum una descendit ab aliâ; vel, tot sunt gradus quot sunt personæ dempto stipite, v. g., pater, filius, nepos, pronepos, abnepos, quinque sunt personæ, et quatuor tantùm sunt generationes; et dempto stipite, nempè patre, restant tantùm quatuor personæ. Undè filius cum patre est in primo gradu, nepos cum avo in secundo; pronepos cum proavo in tertio, abnepos cum abavo in quarto.

Prima regula pro lineâ collaterali hæc est:

In lineâ collaterali, si personæ distant æqualiter à communi stipite, quo gradu distant à stipite communi, eodem gradu distant inter se: v. g., duo fratres uno tantùm gradu distant, quia ambo æqualiter et uno tantùm gradu distant à communi stipite, scilicet à patre in quo conjunguntur. Item filii duorum fratrum distant inter se duobus gradibus, quia æqualiter duobus gradibus distant à communi stipite, scilicet avo.

Secunda regula pro lineâ collaterali, quæ habetur præsertìm in capite *Vir, qui à stipite*, de Consanguinitate, hæc est:

In lineâ collaterali personæ inæqualiter distantes à communi stipite, eo gradu distant inter se, quo illarum remotior distat à communi et proximo stipite: v. g., frater est in secundo gradu cum filiâ fratris sui, quia etsi ipse frater tantùm distet uno gradu à communi stipite, scilicet patre, filia tamen fratris distat duobus gradibus ab eodem stipite.

Advertendum tamen obiter, quòd, ut dicemus, in petitione dispensationis exprimenda sit inæqualitas graduum, alioquin dispensatio esset subreptitia ac nulla.

Cæterùm, ne in computatione graduum consanguinitatis error fiat in materiâ tanti momenti, optimum consilium est ut primùm in chartâ scribatur stipes communis, seu persona à quâ descendunt duæ personæ de quibus agitur; deinceps autem scribantur hìnc et indè generationes et nomina personarum usque ad illas de quibus tractatur; sic enim facilè ac tutò fiet computatio ex prædictis regulis.

Tertiò, an et in quo gradu consanguinitas sit impedimentum dirimens.

Statuitur cognationem naturalem, seu consanguinitatem esse impedimentum dirimens intra quartum gradum inclusivè; ut patet ex titulo *de Consanguinitate et Affinitate.*

Ratio autem hujus Constitutionis est, 1.° ut Matrimonia propter bonum commune ad extraneos extenderentur; 2.° id factum est propter reverentiam quæ debetur sanguine junctis; 3.° ne consanguinei ob spem Matrimonii minùs castè simul cohabitarent.

Porrò conveniunt omnes Theologi, consanguinitatem in primo gradu lineæ rectæ dirimere Matrimonium jure naturali; horret enim natura, etiam apud barbaros, filiam patri conjungi, aut matrem filio.

Præterea multi Theologi docent jure naturali consanguinitatem dirimere Matrimonium, in secundo etiam gradu lineæ rectæ. Imò alii illud extendunt etiam ad ulteriorem lineæ rectæ gradum; ita ut Adamus, si adhuc viveret, nullam posset, inquiunt, habere mulierem pro uxore. Quidquid sit, certum est nullam dari dispensationem, nec unquàm datam fuisse in lineâ rectâ.

Quod spectat ad consanguinitatem in lineâ collaterali, plures Theologi asserunt irritum esse jure naturæ Matrimonium inter consanguineos in primo gradu lineæ collateralis, scilicet inter fratrem et sororem; et quidem certum est nullam fuisse datam dispensationem in hoc gradu, nisi inter primos Adami filios, ob necessitatem.

Quoad verò alios gradus lineæ collateralis, conveniunt omnes Theologi dirimere Matrimonium solo Jure ecclesiastico : undè in his potest dispensari.

Cæterùm advertendum est consanguinitatem olìm fuisse impedimentum dirimens usque ad septimum gradum, ut patet ex Alexandro II, cap. *Ad sedem*, causâ 35.ª, quæst. 5; nunc autem extenditur tantùm ad quartum gradum, ut diximus.

II.

De Cognatione spirituali.

Cognatio spiritualis est *Vinculum, seu proximitas personarum ex statuto Ecclesiæ, ob administrationem vel susceptionem Sacramentorum Baptismi vel Confirmationis.*

Statuitur cognationem spiritualem, ex præcepto ecclesiastico, dirimere Matrimonium inter personas inter quas reperitur.

Prob. tum ex toto titulo de Cognatione spirituali; tum etiam ex Conc. Trid., Sess. 24, cap. 2, ubi hoc impedimentum cognationis spiritualis reducitur ad ista tantùm capita : 1.° inter baptizantem et baptizatum, et patrem et matrem baptizati; 2.° inter patrinum et matrinam ex unâ parte, cum personâ baptizatâ, et patre et matre

baptizati : patrinus verò et matrina nullam inter se cognationem contrahunt.

Undè laïcus qui puellam baptizavit, non potest Matrimonium inire cum illâ puellâ, neque cum matre puellæ : sic etiam matrina non potest Matrimonium inire cum illo quem de sacro fonte levavit, neque cum patre illius baptizati.

Advertendum autem 1.° quòd hæc cognatio spiritualis ad multas personas extendebatur ; sed ex Conc. Trid. ad suprà dictas tantùm reducta est.

Advertendum 2.° id quod diximus de cognatione spirituali, quæ oritur propter administrationem vel susceptionem Baptismi, pariter dicendum esse de Sacramento Confirmationis, ubi consuetudo est adhibere patrinos et matrinas in hujus Sacramenti collatione.

Quæres 1.° quid requiratur ad hoc ut patrini et matrinæ contrahant cognationem spiritualem cum iis quos de sacro fonte suscipiunt, et cum illorum parentibus.

Resp. requiri 1.° ut habeant usum rationis; 2.° ut sint baptizati; 3.° juxta sententiam satis communem, ut in ipsâ Baptismi validâ administratione suscipiendum tangant, vel teneant, vel immediatè suscipiant de manu baptizantis; idque per seipsos faciant, vel etiam, ex probabiliori sententiâ, per procuratorem. Plures tamen contradicunt, et censent sufficere ut designati à parentibus vel à Parocho ad infantem è sacro fonte suscipiendum, assistant Baptismo et declarent se assistere ut patrinum et matrinam : quod probabilius est; 4.° deniquè cum animo et intentione exercendi officium patrini, sicut in Ecclesiâ fieri solet. Idem dicendum de patrinis et matrinis in Sacramento Confirmationis.

Quæres 2.° utrùm patrini et matrinæ hujusmodi cognationem contrahant cum baptizato et ejus parentibus, quandò cæremoniæ Baptismi tantùm adhibentur, quia infans, v. g., Baptismum domi recepit.

Resp. nullam contrahere cognationem spiritualem, quia, ut diximus, cognatio spiritualis non contrahitur nisi in validâ Baptismi administratione, et de hoc monendi sunt patrini et matrinæ.

Quæres 3.° utrùm pater, v. g., qui propriam prolem baptizavit, vel è sacro fonte levavit, contrahat aliquod impedimentum cum uxore illius prolis matre.

Resp. 1.° quòd si pater aut mater propriam prolem baptizaverint sine ullâ prorsùs necessitate, tunc contrahunt cognationem, quæ baptizantem impedit à petitione debiti conjugalis, non autem à redditione.

Resp. 2.° Si sit aliqua necessitas, maximè propter mortis periculum, tunc qui propriam baptizat prolem legitimam, nullo modo impeditur à petitione debiti, ex cap. *Ad limina*, causâ 30, quæst. 1.ª, ubi hæc ratio affertur, quia inculpabile judicandum quod necessitas intulit.

Dixi, *prolem legitimam*, quia si pater in casu necessitatis filium quem ex concubinâ suscepit, baptizet, cognationem cum eâ contrahit, ita ut illam in uxorem ducere nequeat; ratio est quia, cùm ille nullum jus habeat à concubinâ petendi debitum, quale maritus habet à propriâ uxore, nulla est ratio cur ille eximeretur à communi lege cui subjacerent alii omnes, si eamdem prolem baptizarent.

Resp. 3.° juxta plurimorum Doctorum sensum,

quòd si parentes propriam prolem ignoranter baptizaverint, id est, vel ignorantes prohibitionem Ecclesiæ, vel quòd sua sit proles; tunc nullum contrahunt impedimentum, et id probant ex capite, *Si vir*, de Cognatione spirituali.

III.

De Cognatione legali.

Cognatio legalis dicitur *Propinquitas proveniens ex adoptione.*

Adoptio autem definitur assumptio, seu electio legitima personæ extraneæ in filium vel nepotem, vel in filiam aut neptem, et deinceps.

Statuitur, ex adoptione saltem perfectâ, quæ fit lege vel rescripto Principis, et per quam adoptatus transit in familiam et potestatem adoptantis, oriri cognationem quæ Matrimonium dirimit.

Prob. ex Jure canonico, maximè ex cap. unico de Cognatione legali, et cap. *Per adoptionem*, causâ 30, quæst. 3.

Hanc cognationem, ex Jure Romano, contrahunt, 1.° adoptans cum adoptato, et uxore adoptati, et ejus descendentibus usque ad quartum gradum; 2.° adoptatus cum adoptante, ac uxore adoptantis, et ejus filiis naturalibus et legitimis usque ad quartum gradum, donec fiat emancipatio vel illorum filiorum legitimorum, vel filii adoptati : sed illa cognatio inter adoptatum et filios adoptantis durat tantùm usque ad mortem adoptantis, vel donec fiat emancipatio, ut diximus.

Olìm in hoc Regno nullatenùs vigebat adoptio; sed cùm eam statuerit Codex civilis, art. 348,

dubitatur an cognatio quæ ex eâ oritur sit canonicum impedimentum Matrimonium dirimens. Affirmant nonnulli cum Theologo Rhotomagensi, quia cùm impedimentum ex adoptione proveniens sit statutum Jure communi, et semper in lege civili fundetur, ubi lex illa existit, ibi etiam existere debet impedimentum quod ex eâ oritur. Negant alii, rati adoptionem qualis hodiè admittitur non esse perfectam, et insuper requiri novam et expressam Ecclesiæ approbationem ut vim habeat dirimendi Matrimonium. Hinc inferes, si casus occurrat, tutius esse petere dispensationem. Vide etiam infrà, sect. 2, art. 2, n. 3, 2.°

§ V.

De Impedimento Criminis.

Notandum nomine criminis non intelligi quodlibet crimen, sed conjugicidium, seu conjugis occisionem, vel adulterium, vel utrumque simul, dummodò adsint quædam conditiones infrà explicandæ.

Statuitur conjugicidium, vel adulterium, vel utrumque simul in quibusdam circumstantiis dirimere Matrimonium subsequens inter ipsos complices criminis, idque tantùm Jure ecclesiastico. Assertio constat ex pluribus Ecclesiæ decretis, præsertim ex cap. *Si quis vivente*, causâ 31, quæst. 1, et ex multis capitibus tituli, *De eo qui duxit.*

Illud autem convenientissimè statutum fuit, ne, sub spe Matrimonii contrahendi cum complicibus, facilè conjuges allicerentur ad crimina conjugicidii et adulterii : quæ omnia contraria sunt arctissimo amoris ac fidei vinculo, quod inter conjuges esse debet.

Jam verò diligenter expendendæ sunt conditiones seu circumstantiæ necessariæ ut crimen sit impedimentum dirimens, sive crimen accipiatur pro conjugicidio sine adulterio, vel pro adulterio sine conjugicidio, vel deniquè sumatur pro conjugicidio et adulterio simul.

I.

Conjugicidium sine adulterio.

Si conjugicidium eveniat sine adulterio, erit impedimentum dirimens Matrimonium, si tres adsint conditiones, nempè 1.° mutua conspiratio inter complices; 2.° intentio Matrimonii; 3.° quòd mors sequatur ex tali conspiratione.

Requiritur itaque 1.° *mutua inter complices conjugicidii conspiratio* : et hoc fit quandò alteruter conjux sive maritus sive uxor in mortem alterius conjugis conspiravit cum illâ personâ cum quâ vult inire Matrimonium. Undè non sufficit quòd conjux conjugem occidat, si ea persona, cum quâ vult contrahere Matrimonium, ignoret vel non consentiat huic homicidio; in illo enim casu conjugicidium non erit impedimentum dirimens.

Requiritur 2.° *ut illa conspiratio amborum complicium facta sit cum intentione Matrimonium inter se contrahendi,* quæ intentio debet esse exteriùs explicata, et utrique nota ; alioquin non adesset mutua, qualis requiritur, duorum conspiratio : undè si illud faciant non ex intentione Matrimonii, sed ex vindictâ, vel ob spem successionis, vel ob aliquam aliam causam quàm ad Matrimonium ineundum, tunc non erit impedimentum dirimens juxta communem sententiam, et Ritual. Tolos., pag. 294.

Requiritur 3.° *ut ex illâ amborum conspiratione et cooperatione, sive per seipsos, sive per alios, mors conjugis illata, et de facto fuerit subsecuta.* Undè non sufficit ad impedimentum dirimens contrahendum, si, v. g., per culpam Medici mors sequatur, neque etiam sufficit conjugicidium attentasse, vel illud ratum habere.

II.

Adulterium sine conjugicidio.

Si adulterium eveniat sine conjugicidio, erit impedimentum dirimens, si hæ tres conditiones reperiantur simul : scilicet, 1.° adulterium formale, seu cognitum ex utrâque parte, verum et consummatum; 2.° promissio vel attentatio Matrimonii; 3.° utriusque perpetratio vivente priore et eodem conjuge.

Requiritur itaque 1.° *adulterium formale ex utrâque parte, verum et consummatum.*

Dixi 1. *formale ex utrâque parte,* id est, cognitum utrique adulteranti scienti statum conjugii.

Dixi 2. *adulterium verum;* non enim sufficit existimatum : v. g., si putabatur conjux vivere, qui jam erat mortuus, vel si Matrimonium cum conjuge erat invalidum, quamvis reputaretur validum.

Dixi 3. *consummatum;* non enim sufficiunt tactus, oscula, etc., sed requiritur commercium carnale consummatum.

Requiritur 2.° *promissio vel attentatio Matrimonii cum complice adulterii.*

Dicitur 1. *promissio* Matrimonii acceptata, sive cum juramento sive non, sive ante sive post

adulterium, dummodò data sit et exteriùs manifestata pro futuro Matrimonio inter adulteros contrahendo post mortem conjugis.

An autem sola taciturnitas sit signum sufficiens acceptationis vel non, vel an sufficiat promissio fictè data et sincerè acceptata vel non; aliqui affirmant, alii negant; sed tutior pars affirmans. Verùm in his casibus difficillimis consulendus est Episcopus.

Porrò ad hoc impedimentum contrahendum non sufficit promissio Matrimonii ab utroque revocata ante adulterium, nec etiam secundùm opinionem communem sufficit promissio conditionata, nisi transierit in absolutam per eventum conditionis ante mortem conjugis.

Dicitur 2. *vel attentatio Matrimonii*, cùm scilicet adulteri, durante Matrimonio legitimo, inter se Matrimonium contrahere aggrediuntur, sive hoc fiat ante, sive post cognitionem habitam de statu conjugii, dummodò post habitam cognitionem conjugii, et nondùm revocato Matrimonio attentato, interveniat adulterium. Item nihil refert, sive clandestinè, sive in præsentiâ Parochi Matrimonium attentatum sit.

Requiritur 3.° *ut promissio vel attentatio Matrimonii fiat, et adulterium committatur vivente priore et eodem conjuge;* si enim promissio fiat vivente uno conjuge, et posteà committatur adulterium, vivente alio conjuge, tunc non oritur impedimentum: sic, v. g., Paulus, qui vivente uxore suâ Catharinâ, Matrimonium contrahere attentavit cum Marthâ; deindè mortuâ uxore suâ Catharinâ, Matrimonium contraxit cum Joannâ: posteà, vivente uxore suâ Joannâ, adulterium commisit cum eâdem Marthâ; tunc nullum est

impedimentum dirimens inter Paulum et Martham, modò non reiteretur eidem Marthæ anteà facta promissio quæ, per Matrimonium subsequens cum Joannâ, revocata censetur.

Advertes tamen quòd si, è contrà, adulterium commissum fuerit, vivente priori conjuge, et promissio Matrimonii fiat, stante secundo conjugio; in hàc hypothesi, juxta plures, aderit impedimentum dirimens; et ratio est, quòd cùm præcedens adulterium retractari nequeat, concurrunt simul adulterium et promissio.

III.

Conjugicidium cum adulterio.

Quandò utrumque crimen conjugicidii et adulterii commissum est, tunc non requiritur mutua conspiratio ad conjugicidium, nec promissio vel attentatio Matrimonii, quæ necessaria est quandò commissum est solum adulterium; sed sufficiunt hæc tria: 1.° scilicet, adulterium verum, consummatum et formale, seu cognitum ab utrâque parte; 2.° mortis machinatio facta ab uno adulterantium ex intentione Matrimonii contrahendi; 3.° mors secuta ex vi talis machinationis.

Requiritur itaque 1.° *ut adulterium sit verum, consummatum et formale ex utrâque parte*, ut diximus; illudque adulterium præcedere debet conjugicidium: non tamen necesse est ut præcedat machinationem: undè si vir, v. g., venenum propinet uxori, ut, illâ defunctâ, ducat alteram mulierem cum quâ nondùm adulteratus est, sed cum illâ adulteratur ante mortem uxoris, vir ille, defunctâ uxore, non poterit illam mulierem ducere; est enim inter illos impedimentum dirimens.

Requiritur 2.° *ut occisor intendat Matrimonium contrahere cum adulterâ:* undè, secundùm sententiam satis communem, non sufficeret si solùm intenderet, v. g., liberiùs cum eâ vivere, aut ducere aliam feminam ab adulterâ diversam; at verò necesse non est ut occisor significet personæ adulteræ hanc suam intentionem, ut sentiunt communiter Doctores. Item non requiritur conspiratio; sed consurgit impedimentum, si post adulterium alter committat conjugicidium, etiam sine alterius scientiâ aut consensu, vel si ante adulterium machinatio conjugicidii fiat ex intentione Matrimonii ab uno ex illis, qui simul nubere volunt, etiam altero insciente, et posteà sequatur adulterium ante conjugis mortem.

Requiritur 3.° *ut mors de facto sequatur ex machinatione unius ex adulteris;* sive occidat suis manibus, sive veneno, sive mandato non revocato, sive consilio, aut aliâ efficaci cooperatione.

§ VI.

De Impedimento Disparitatis cultûs.

Per disparitatem cultûs intelligitur *Diversitas Religionis inter contrahentes, quandò scilicet unus est fidelis baptizatus, alius verò infidelis non baptizatus.*

Statuitur hanc disparitatem cultûs esse impedimentum, Jure ecclesiastico, dirimens Matrimonium inter baptizatum et non baptizatum. Ratio assertionis sumitur ex cap. *Cave*, causâ 28.ª, quæst. 1, et can. *Si quis*, ibidem. Colligitur præthereà præsertìm ex usu receptissimo, ac longâ Ecclesiæ consuetudine, quam uno consensu omnes Theologi et Canonistæ testantur;

et dubium esse non potest quòd hæc consuetudo vim habeat legis ecclesiasticæ constituentis hoc impedimentum.

Reverà olim fuerunt aliqui fideles qui Matrimonium cum infidelibus contraxerunt, v. g., S. Cæcilia cum Valerio, S. Monica cum Patricio, S. Clotildis cum Clodovæo : verùm hæc Matrimonia celebrata sunt vel ante constitutam vel publicatam legem ecclesiasticam, aut receptam consuetudinem id prohibentem, vel saltem ex aliquâ dispensatione.

Dixi in assertione, *Jure ecclesiastico*, quia Matrimonia hujusmodi nullâ lege divinâ expressè prohibita sunt, quamvis omnes fateantur illicita esse, non solùm Jure ecclesiastico, sed etiam naturali ob periculum subversionis et apostasiæ, pravæ liberorum educationis, discordiarum, etc., quæ omnia sunt contra Matrimonii finem.

Quæres quid sentiendum sit de Matrimonio Catholicorum cum hæreticis legitimè baptizatis.

Resp. 1.° certum esse quòd sit validum, dummodò nullum aliud sit impedimentum, quia sunt verè baptizati, et nullâ Ecclesiæ lege vel consuetudine irritatur hujusmodi Matrimonium.

Resp. 2.° Matrimonium Catholicorum cum hæreticis *ordinariè* esse illicitum ac prohibitum, tum Jure ecclesiastico in multis Conciliis, Laodicæno scilicet can. 10, Agathensi can. 67, Chalcedonensi can. 14, et in pluribus Const. Summ. Pontif. Bonifacii VIII, Clement. VIII et Urbani VIII : tum etiam Jure divino et naturali ob eadem incommoda et pericula, quæ paulò antè diximus reperiri in Matrimonio fidelis cum infideli.

Dixi *ordinariè*, quia, ut advertit Bened. XIV,

de Synodo, lib. 6, cap. 5, n. 4, *tales reipsâ concurrere possunt circumstantiæ, quæ cùm ab eo qui facultatem dispensandi habet, expensæ fuerint, aditum aperiant concessioni legitimæ dispensationis, cujus vi Matrimonium inter partes, hæreticam unam, alteramque catholicam licitum reddatur.* A quo autem dispensatio petenda sit, disputatur; sed hàc in re servari possunt *legitimæ* locorum consuetudines. De cætero, Pastores admonet Rituale Tolos. ut fideles deterreant ab istiusmodi conjugiis, et nullam in iis operam præstent, inconsulto D. D. Archiepiscopo, qui ritus *in eorumdem celebratione servandos præscribet*, uti observat Bened. XIV, loco citato. Intereà notandum est ex eodem Bened. XIV, ibid. juxta Pontium, *hujusmodi Matrimoniis sacerdotalem benedictionem impendendam non esse, neque Missam in præsentiâ hæretici celebrari debere, nec Matrimonium ipsum intra Ecclesiæ ambitum contrahi; quoniam nihil horum ad illius validitatem intervenire necesse est.* Et aliundè plures Summi Pontifices, præsertìm Clemens VIII, expressè prohibuerunt ne hujusmodi Matrimoniis benedictio impenderetur; de quo et aliis ad hanc rem pertinentibus vide *Tournely*, de sacram. Matrim., pag. 106.

§ VII.

De impedimento Vis, seu Metûs.

Nota 1.° vim et metum pro eodem hìc sumi; scilicet, pro illatione et intentatione alicujus mali ad extorquendum consensum; quamvis enim consensus voluntatis, non obstante quàcunque

vi vel metu, sit simpliciter et absolutè liber, quia voluntas cogi non potest quoad actus elicitos; tamen ille consensus est secundùm quid involuntarius, tum propter repugnantiam voluntatis, quæ si talis metus abesset, non consentiret; tum etiam propter anxietatem et perturbationem mentis; quæ perturbatio, durante vi et metu, minuit voluntatem, et ex imminente malo oritur. Hinc metus ex parte timentis communiter definitur : *Trepidatio mentis ad malum instans.*

Nota 2.° metum in hâc materiâ dividi communiter in *levem* et *gravem* : levis dicitur ille quo moveri non solet vir fortis; gravis verò est metus cadens in constantem virum, quo scilicet terreri potest vir constans et fortis.

Ad hoc autem ut metus dicatur gravis, duo sunt necessaria : 1.° enim malum quod timetur, debet esse notabile, seu grave, qualis est mors, mutilatio, exilium, incarceratio, gravis infamia, stuprum, bonorum jactura notabilis, et alia mala quæ viri prudentis arbitrio gravia censentur, præsertim spectatis circumstantiis, v. g., personæ qualitate, sexu, ætate, etc. Malum enim dici potest grave respectu nobilis, aut feminæ, vel timidi, quod tale non esset respectu ignobilis, aut viri fortis et constantis. Undè Doctores censent communiter, quòd gravitas mali non desumi debet absolutè, sed respectivè, spectatis circumstantiis peculiaribus. Docent etiam communiter Doctores idem dicendum esse, sive malum immineat propriæ personæ, sive alteri illi conjunctæ.

2.° Ut metus sit gravis, periculum talis mali subeundi debet esse probabile : hoc autem ex duobus cognosci potest; 1. ex parte causæ à quâ

malum est inferendum, quandò scilicet potens est, et solet tale malum inferre; 2. ex parte illius cui dicitur malum imminere, si nempè non possit illud facilè vitare.

Nota 3.° metum posse incuti vel à causâ *intrinsecâ* personæ metuenti, v. g., à morbo periculoso; vel à causâ *extrinsecâ*, id est, quæ extra personam metuentem existit: quæ adhuc potest esse duplex, scilicet, *necessaria*, v. g., naufragium; *vel libera*, v. g., alius homo.

Rursùm causa libera, id est, homo, duobus modis potest incutere metum, scilicet *justè* vel *injustè*: si nempè habeat vel non habeat legitimam potestatem inferendi malum aliquod commune.

Nota 4.° quòd causa libera potest incutere metum ob duplicem finem: 1.° ad hoc ut Matrimonium contrahatur, seu ad extorquendum consensum in Matrimonium; 2.° ad alium finem, v. g., ad ulciscendam injuriam, seu ad subripiendas pecunias: his præmissis,

Statuitur illud Matrimonium esse prorsùs nullum et invalidum, quod fuit contractum per vim et metum gravem injustè à causâ liberâ incussum, ad extorquendum consensum in Matrimonium.

Ratio sumitur ex pluribus decretis Juris canonici, præsertìm cap. *Cùm locum*, cap. *Veniens*, de Sponsalibus, etc., idque fuit convenientissimè statutum, spectatâ naturâ Matrimonii; nam cùm perpetuam et indissolubilem unionem inducat, ideò maximam requirit libertatem; omnibus enim notum est quàm infelices exitus ex invitis nuptiis proveniant.

Sed diligenter expendendæ sunt quædam con-

ditiones in assertione positæ, ad hoc ut vis seu metus reddat Matrimonium invalidum: 1.° scilicèt, quòd metus sit gravis; 2.° injustus; 3.° à causâ liberâ incussus; 4.° ad extorquendum consensum in Matrimonium.

Dixi itaque 1.° in assertione, *contractum ex metu gravi,* scilicet, cadentem in constantem virum, quia de illo metu loquuntur tantùm canones citati: undè metus qui, spectatis circumstantiis, esset levis, non sufficeret ad Matrimonium dirimendum.

De metu autem reverentiali, quo inferior, ob reverentiam superioris quem timet offendere aliquid facit quod aliàs nollet facere, non conveniunt Theologi: omnes tamen concedunt metum esse gravem, si non sistatur præcisè in solâ reverentiâ quam inferior debet superiori, sed etiam alterius rationabiliter timeantur minæ, vel verbera, vel gravis et diuturna offensio, seu indignatio superioris per torvos aspectus, verba duriora et exprobratoria, indignas tractationes, etc. Quis enim vir constans non reputet grave malum patrem aut alium à quo dependet, et cum quo semper versatur, continuè et semper habere infensum?

Dixi 2.° *injustè incussum,* quia si metus justè incutiatur, Matrimonium erit validum: v. g., si Judex comminatione incarcerationis, vel pater legitimâ comminatione accusationis coram Judice stupratorem filiæ suæ cogat ad ineundum cum illâ Matrimonium. Ratio est, quia metus in tali casu est potiùs ab intrinseco quàm ab extrinseco; stuprator enim liberè fecit rem tali comminatione dignam, et ideò si deprehensus concipit metum, sibi ipsi imputare debet, nec ei fit inju-

ria : Matrimonium autem illi offertur ab alio tanquam medium aptum ad vitandum malum quod timet, et expellendum timorem præconceptum : undè si Matrimonium elegit, non ideò propriè dicitur eligere ex metu incusso ab alio, sed propriâ sponte et libertate, ut auferat metum jam anteà à semetipso incussum; ab alio verò gratiam potiùs quàm injuriam accipit.

Dixi 3.° *à causâ liberâ*, omnes enim conveniunt metum, si incutiatur à causâ naturali et necessariâ, non irritare Matrimonium, quia ille qui tunc timet, propriâ sponte eligit Matrimonium, tanquam medium vitandi mali quod imminet, neque ab alio, sed à seipso impellitur ad Matrimonium : v. g., si quis metu inferni aut mortis imminentis ex morbo vel naufragio ducat concubinam, tunc validum est Matrimonium.

Dixi 4.°, *ad extorquendum consensum in Matrimonium* : quia omnes conveniunt metum gravem à quocunque etiam injustè incussum ad alium finem quàm ad extorquendum consensum in Matrimonium, nullo modo Matrimonium invalidare, quia tunc qui contrahit, ad hoc non impellitur ab incutiente metum, sed ipse ultrò et voluntariè eligit Matrimonium tanquam medium vitandi periculum : v. g., si quis timens mortem ab inimico sibi injustè inferendam, offerat ad vitandum tale periculum ducere ipsius filiam, vel aliam quamcunque voluerit, in illo casu validum erit Matrimonium.

Advertendum 1.° nil referre ad irritandum Matrimonium, quòd metus gravis ad extorquendum consensum in Matrimonium injustè incussus fuerit ab uno ex contrahentibus, vel ab aliquo alio, etiam ignorante uno ex contrahentibus.

Advertendum 2.° quòd si unus ex contrahentibus alteri injustè metum incussit, vel conscius sit metûs incussi, tenetur, secundùm multos Doctores, exspectare an metum passus velit de novo Matrimonium liberè contrahere; tunc enim ipse tenebitur ratihabere consensum.

Advertendum 3.° quòd ille qui contraxit Matrimonium per metum gravem injustè incussum, nullo modo potest Matrimonio uti, donec cessante metu de novo liberè consentiat : nam aliàs esset fornicatio quæ est intrinsecè mala, et nunquàm nec in ullo casu fieri potest licita.

§ VIII.

De Impedimento Ordinis.

Statuitur omnem Ordinem sacrum validè susceptum reddere Matrimonium subsequens omnino invalidum. Ita enim definivit Conc. Trid., Sess. 24, can. 9, his verbis : *Si quis dixerit Clericos in sacris Ordinibus constitutos, vel Regulares castitatem solemniter professos, posse Matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege ecclesiasticâ vel voto....; anathema sit.*

Circa quod notandum est, quòd licèt in Ecclesiâ Christi nunquàm licuerit Presbyteris, nec Diaconis, nec etiam Subdiaconis post Ordinem susceptum ducere uxorem, Canones tamen antiquiores non ita prohibent ne sacris Ordinibus initiati Matrimonium contrahant, ut significent ejusmodi Matrimonia esse invalida. Sed posteriores Canones hujusmodi Matrimonia prorsùs rescindunt et invalida esse declarant, et quidem convenientissimè; ostendit enim ipsa lex naturalis

indecorum esse hominem sacro Altaris ministerio deputatum uxorem ducere, nec benè congruere cum officio et dignitate sacri Ordinis: undè Ecclesia irritans, seu annullans hujusmodi Matrimonia, manifestam habuit ac necessariam rationem. Nam si prohibita tantùm essent et non invalida Matrimonia Clericorum, nondùm spes conjugii ablata esset Ordinatis; itaque contingeret, ut plurimi Ordinati, pudore postposito, contemptis vel neglectis censuris ecclesiasticis, non sine ingenti Ordinis sui dedecore ac fidelium scandalo, ad desideratas nuptias convolarent, eo quòd scirent eas, licèt illicitas, attamen ratas fore, ac posteà rescindi non posse. Nunc autem Ordinati ad sanctiora incontinentiæ remedia recurrere, felici quâdam necessitate, compelluntur.

Porrò Ordo sacer Jure tantùm ecclesiastico dirimit Matrimonium, idque duplici ex causâ: 1.° ratione voti castitatis Ordini sacro annexi Jure ecclesiastico, quod votum, ut habetur cap. unico *de Voto,* in Sexto, per Ordinis sacri susceptionem, perindè ac per Religionis Professionem solemnisatur quoad effectum dirimendi Matrimonium subsequens, quamvis non habeat vim tollendi Matrimonium præcedens ratum non consummatum, sicut Religionis Professio ut diximus. 2.° Ordo sacer dirimit Matrimonium, etiam ratione suî, ob Ecclesiæ constitutionem: undè illi non possent validè inire Matrimonium, qui in susceptione Ordinis sacri vovere expressè noluissent vel ignorassent, quia in ipsâ Ordinis susceptione tacitum emittitur votum castitatis.

§ IX.

De Impedimento Ligaminis.

Constat ex jam dictis Dissert. 2.ª, cap. 2, art 2, Ligamen, seu vinculum alterius legitimi Matrimonii cum conjuge adhuc vivente, dirimere Matrimonium subsequens, ita ut conjuges non possint validè contrahere aliud Matrimonium, durante illo priori Matrimonio.

Sed *quæres* 1.° utrùm in dubio de morte prioris conjugis, licitum sit ad alias nuptias convolare.

Resp. non licere, quia sacri Canones requirunt moralem certitudinem; dicitur enim cap. *In præsentiâ*, de Sponsalibus : *Quantocunque annorum numero ita remaneant, viventibus viris suis, non possunt ad aliorum consortium canonicè convolare.., donec certum nuntium recipiant de morte vivorum.* Et cap. *Dominus*, de secundis Nuptiis dicitur : *Donec ei constet quòd ab hâc vitâ migraverit conjux ejus.*

Hinc 1.° graviter peccat qui Matrimonium contrahit sine tali certitudine, etiamsi reverà prior conjux obierit.

Hinc 2.° non sufficit absentia sola conjugis per quinque, aut septem, aut etiam triginta annos, imò nec quantacunque sit absentia, nisi adsint certa mortis indicia, id est, instrumentum è registris publicis extractum et authenticè recognitum, *légalisé*, vel aliud omninò certum testimonium legibus præscriptum. Ita rituale Tol. Hæc omnia diligenter attendat Parochus vel Vicarius.

Advertendum autem quòd si post contractum secundum Matrimonium etiam in facie Ecclesiæ,

compareat conjux qui mortuus putabatur; tunc certissimè et sine ullo dubio, relicto posteriore illo conjuge, ad priorem redeundum est. Filii autem in illo secundo Matrimonio cum bonâ fide suscepti, ut legitimi habentur ex art. 202 Cod. civ., cujus interpretationem videre est apud *Toullier*, tom. 1, n.° 666.

Quæres 2.° an validum foret Matrimonium illius qui, falsò existimans priorem conjugem adhuc vivere, ad secundas nuptias convolaret.

Hujus quæstionis solutionem require suprà, Dissert. 3, cap. 2.

§ X.

De Impedimento Honestatis publicæ.

Honestas publica est *Propinquitas proveniens ex sponsalibus aut Matrimonio rato et non consummato, quam sponsus contrahit cum consanguineis sponsæ, et vicissìm sponsa cum consanguineis sponsi.*

Dicitur 1.° *propinquitas*, quia præ se fert aliquam speciem affinitatis, propter quam videtur indecens et contra communem honestatem, ut quis eam ducat in uxorem cujus consanguineam anteà sibi desponsavit aut uxorem duxit.

Dicitur 2.° *proveniens ex sponsalibus, aut ex Matrimonio rato et non consummato*, in quo differt ab affinitate, nam affinitas oritur vel ex Matrimonio consummato, vel ex commercio carnali: honestas autem publica oritur ex sponsalibus, vel ex Matrimonio absque ullo commercio carnali.

Dicitur 3.° *cum consanguineis personæ desponsatæ*, non verò cum affinibus, quia ad affines non extenditur honestas publica; quapropter posset sponsus defunctæ sponsæ ducere non qui-

dem sororem, quia est consanguinea sponsæ, sed posset ducere viduam fratris sponsæ, quia vidua fratris est tantùm affinis sponsæ. His positis,

Statuitur 1.° : Impedimentum publicæ honestatis contrahitur ex sponsalibus, hisque tantùm validis, et in primo gradu solùm. Constat ex Conc. Tridentino, Sess. 24, *de Reformatione Matrimonii*, cap. 3, ubi assertio nostra expressè continetur.

Advertendum autem quòd Conc. Tridentinum Jus antiquum in duobus restringit : 1.° quia Jure antiquo istud impedimentum honestatis publicæ oriebatur etiam ex sponsalibus invalidis; 2.° istud impedimentum extendebatur usque ad quartum gradum, ut patet ex causâ 27.ª, quæst. 2, can. 11, 14 et 15, et cap. unico *de Sponsalibus*, in Sexto : nunc autem honestas publica non extenditur ultra primum gradum. Hinc

Colliges 1.° hoc impedimentum non contrahi ex secundis sponsalibus post prima valida et non dissoluta contractis, quia secunda sponsalia sunt invalida, et prima subsistunt, ut colligitur ex cap. unico *de Sponsalibus*, in Sexto.

Colliges 2.° quòd quandò sponsalia sunt valida, illa honestas publica non extenditur ultra primum gradum, ut diximus, et ideò sponsus potest validè inire Matrimonium cum omnibus consanguineis suæ sponsæ, præterquàm cum ejus matre, vel filiâ, vel sorore.

Cæterùm advertendum quòd si sponsalia fuerint valida, sed posteà dissolvantur, vel per mortem alterius contrahentium, vel per mutuum utriusque consensum, vel alio modo, manebit tamen semper impedimentum perpetuum publicæ honestatis; et ideò semel ortum ex sponsalibus

validis, non posset cessare per eorum dissolutionem, quamvis aliqui contrà censeant, fundati in quàdam declaratione Cardinalium, quam malè et corruptè referri ostendunt multi Doctores.

Advertendum etiam quòd, cùm solemnitas sponsalium non sit necessaria ad eorum validitatem, probabilius sit impedimentum publicæ honestatis oriri ex sponsalibus clandestinis validis, tam in Diœcesibus in quibus ea sola sunt in usu, quàm in Diœcesibus ubi solemnia præscribuntur.

Statuitur 2.° : Ex Matrimonio rato sed non consummato, etiam hodiè, oritur impedimentum publicæ honestatis usque ad quartum gradum, etiamsi illud Matrimonium sit irritum, modò non ex defectu consensûs. Constat ex cap. *Sponsam*, de Sponsalibus.

Dicitur 1.° *etiam hodiè contrahi istud impedimentum usque ad quartum gradum*: nam Pius V, in Bullà incipiente *Ad Romanum*, declaravit Conc. Tridentini decretum, de quo suprà, intelligendum esse tantummodò de sponsalibus de futuro, non autem de Matrimonio rato; undè impedimentum publicæ honestatis ortum ex Matrimonio rato perseverat in omnibus casibus et gradibus, quibus de Jure veteri introductum erat.

Dicitur 2.° *si Matrimonium sit irritum defectu consensûs contrahentium*, ex eo non oriri impedimentum publicæ honestatis. Undè Doctores

Inferunt 1.° ex Matrimonio rato puerorum vel amentium non oriri publicam honestatem, quia tale Matrimonium est nullum defectu consensûs.

Inferunt 2.° idem dicendum esse de Matrimonio contracto ex errore personæ, vel metu gravi et injusto.

Inferunt 3.° eodem modo ratiocinandum esse de Matrimonio impuberis, malitiâ ætatem non supplente, quia tale Matrimonium à Jure irritatum est, eo quòd præsumatur tunc non adesse consensum sufficientem.

Advertendum tamen quòd ex eorum sententiâ qui existimant tale Matrimonium valere ut sponsalia, sequatur ex eo oriri honestatem publicam quæ nascitur ex sponsalibus, id est, usque ad primum gradum.

Dubitatur an ex Matrimonio inito clandestinè, oriatur honestas publica; negant multi Doctores, quia consensus clandestinè datus non est legitimus consensus; alii probabiliùs affirmant, quia Matrimonium clandestinum non magis nullum dici potest ex defectu consensûs quàm illud quod irritant crimen et raptus, nec ex jure magis inhabiles sunt clandestinè contrahentes, quàm raptores aut conjugicidæ.

Cæterùm advertendum est, quòd si Matrimonium sit invalidum ob publicam honestatem ex præcedentibus sponsalibus ortam, quia v. g., sponsus Matrimonium cum sorore sponsæ contraxit, tunc ex ejusmodi Matrimonio, si non sit consummatum, non oritur honestas publica respectu priùs desponsatæ, quam proindè potest et tenetur in conjugem accipere, ut constat ex cap. unico, *de Sponsalibus*, in Sexto; ratio est quòd istud Matrimonium habeatur quasi mera sponsalia posteriora, et ideò nulla nulliusque effectûs.

Colligitur ex dictis, quòd si quis contraxit sponsalia cum unâ, cujus posteà sororem cognoscit carnaliter, cum neutrâ potest validè Matrimonium contrahere: non quidem cum sponsâ, propter impedimentum affinitatis quam contraxit

per commercium carnale cum ejus sorore; non etiam poterit contrahere Matrimonium cum suæ sponsæ sorore, propter impedimentum publicæ honestatis.

Quæres an Matrimonium coram Magistratu civili duntaxat contractum, pariat impedimentum publicæ honestatis.

Resp. distinguendum videtur : vel qui sic contraxerunt in animo habebant se deinceps sistere coram legitimo Ecclesiæ ministro, vel non : si prius, Matrimonium civile haberi debet ut legitimi Matrimonii inchoatio quæ sponsalibus validis æquivaleat; qui enim ita contrahunt, saltem Matrimonium sibi invicem spondent : proindèque aderit impedimentum publicæ honestatis ortum ex sponsalibus in primo gradu : si posterius, idem civile Matrimonium erit quidem, juxta leges Ecclesiæ, clandestinum; sed ex illo nihilominùs, ex jam dictis, orietur impedimentum publicæ honestatis usque ad quartum gradum.

§ XI.

De Impedimento Affinitatis.

Circa affinitatem tria examinanda sunt : 1.° quid sit affinitas; 2.° quomodò dignoscantur gradus affinitatis; 3.° an et in quo gradu affinitas sit impedimentum dirimens.

I.

Quid sit Affinitas.

Affinitas est propinquitas quam aliqua persona contrahit cum consanguineis illius personæ cum quâ commercium carnale habuit.

Dicitur 1.° *propinquitas quam contrahit per-*

sona, id est, quædam conjunctio et attinentia, quam ipsa etiam naturalis ratio barbaros docuit oriri ex actu conjugali : constat enim ipsos paganos ratione Matrimonii, specialem quamdam amicitiam et necessitudinem habuisse cum consanguineis conjugis.

Dicitur 2.° *quam contrahit cum consanguineis illius cum quo habuit commercium carnale :* quibus verbis ostenditur, quòd illud commercium carnale debet esse consummatum, id est, tale ut ex eo generatio fieri posset : sed diligenter observandum est, quòd ad affinitatem contrahendam nihil refert utrùm hujusmodi commercium licitum sit, v. g., in Matrimonio ; sive illicitum, v. g., in fornicatione ; sive sit voluntarium, aut violentum; cognitum, sive incognitum ; in his enim omnibus casibus oritur affinitas.

Dicitur 3.° *contrahit cum consanguineis*, etc. Undè affinitas non oritur 1. inter ipsas personas quæ commercium habent ; neque 2. inter personam quæ habuit hujusmodi commercium et inter affines illius cum quâ illud habuit : sed affinitas solùm contrahitur 1. inter virum et consanguineas mulieris à se carnaliter cognitæ ; 2. inter mulierem et consanguineos viri à quo cognita fuit.

Undè diligenter advertes quòd affinitas non pariat affinitatem, sed solùm commercium carnale, quod semper necessarium est in alterutro è duobus de quibus quæritur utrùm sint affines : Undè, v. g., inter consanguineum mariti et consanguineam uxoris nulla est affinitas, cùm in neutro ex duobus fuerit commercium carnale vi cujus sint affines, quamvis consanguinei mariti sint affines ejus uxoris, et vicissim consan-

guineæ uxoris sint affines ejus mariti propter dictum commercium.

Undè sequitur licitum esse (ut frequenter videmus) quòd duo fratres, vel pater et filius unius familiæ ducant duas sorores, vel matrem et filiam alterius familiæ. Similiter potest quis ducere successivè duorum fratrum relictas viduas; in his enim et similibus casibus nulla est affinitas impediens Matrimonium inter has personas, quia neuter habuit commercium cum consanguineo alterius, ut suppono.

II.

Quomodò dignoscantur gradus Affinitatis.

Ad cognoscendum utrùm inter duas personas sit affinitas impediens Matrimonium necne, examinandum est an vir carnaliter cognoverit consanguineam mulieris quam ducere cupit; vel è contrà, an mulier cognita sit ab aliquo consanguineo viri cui nubere vult. Si nihil horum intercesserit, nulla erit affinitas; si verò aliquid tale contigisse reperiatur, rursùs videndum est in quo gradu fuerit consanguineus vel consanguinea, cum quibus habitum est commercium carnale : nam in eodem gradu vir et mulier sibi erunt affines : v. g., si vir cognoverit sororem mulieris à se ducendæ, erit ipsi mulieri affinis in primo gradu; item, si mulier cognita sit à consobrino germano viri, tunc illa erit affinis ipsi viro in secundo gradu, et sic de aliis.

III.

An et in quo gradu Affinitas sit impedimentum dirimens Matrimonium.

Certum est affinitatem, ut superiùs explicatum

est, esse impedimentum dirimens Matrimonium subsequens.

Hoc patet ex traditione Ecclesiæ, quæ explicatur in Conc. Lateranensi IV, cap. *Non debet*, de Consanguinitate et Affinitate.

Quæres in quo gradu affinitas sit impedimentum dirimens.

Resp. 1.° quod attinet ad affinitatem licitam (seu quæ oritur ex Matrimonio consummato) dirimere Matrimonium intra quartum gradum, sicut ipsa consanguinitas, ut patet ex Conc. Lateranensi suprà citato.

Resp. 2.° quod attinet ad affinitatem quæ oritur ex commercio illicito extra Matrimonium, ea restricta est ad primum et secundum gradum tantùm, et non ultrà, ex jure novo Conc. Trid., Sess. 24, cap. 4, de Reformatione.

Cæterùm quo jure affinitas dirimat Matrimonium, non est una Doctorum sententia; facilè tamen conveniunt omnes solo Jure ecclesiastico dirimere in sequentibus casibus.

1.° In quocunque gradu et lineâ etiam rectâ, si oriatur ex commercio illicito.

2.° Jure tantùm ecclesiastico affinitas dirimit Matrimonium, etiam quandò oritur ex actu conjugali, si non sit in primo gradu lineæ rectæ: nam exstant exempla dispensationum à Summis Pontificibus etiam pro primo gradu lineæ collateralis, v. g., Alexander VI concessit Emmanueli, Regi Lusitaniæ, duas sorores Hispaniarum Regis filias successivè habere uxores. Item Julius II concessit Henrico VIII, Regi Anglorum, ut Catharinam viduam fratris sui Arturi haberet uxorem, illudque Matrimonium validum fuisse summo consensu docuerunt Catholici. Et

Clemens VII, post maturam consultationem, idem asseruit contra dictum Henricum VIII qui indè sumpsit occasionem Schismatis Anglicani.

3.° Igitur tota restat controversia de primo gradu lineæ rectæ affinitatis, quæ oritur ex Matrimonio. Et quidem multi sentiunt affinitatem in eo primo gradu, v. g., inter socerum et nurum, socrum et generum, ipso naturæ jure indispensabili Matrimonium dirimere. Alii tamen sentiunt etiam in eo gradu Matrimonium dirimi tantùm Jure ecclesiastico, quo infideles non tenentur. Quidquid sit, nullam videmus fuisse datam à Summo Pontifice dispensationem in primo gradu lineæ rectæ affinitatis ex Matrimonio provenientis.

Porrò advertendum est id, quod semel tantùm dicemus, nempè quòd ad inducendam affinitatem, sicut ad consummandum Matrimonium, requiritur ut commercium carnale sit completum, id est, cum seminis virilis effusione intra vas debitum mulieris.

§ XII.

De Impedimento Impotentiæ.

Multa hìc dicere cogimur quæ sanè maximè optandum esset nec nominari in nobis, sicut decet Sanctos : sed qui necessitatem imposuit docendi ea quæ magna felicitas est ignorare, dabit et virtutem securè et castè addiscendi ea quæ non parva est necessitas scire.

Notandum 1.° nomine impotentiæ hìc non intelligi impotentiam generandi prolem, quæ solet vocari sterilitas, sed intelligi inhabilitatem, seu

impotentiam consummandi Matrimonium : undè 1. patet sterilitatem non esse impotentiam de quâ hìc loquimur; sterilitas enim sæpè contingit inter personas quæ Matrimonium consummaverunt. Undè 2. patet impotentiam pariendi fœtum vivum, sine periculo mortis, non esse impedimentum dirimens; nunquàm enim Ecclesia judicavit invalida esse Matrimonia inter personas steriles, vel quandò feminæ in partu moriuntur.

Hæc autem impotentia quæ est impedimentum dirimens, vel se tenet ex parte viri, de quâ sermo fit in Jure canonico, titulo *de Frigidis et Maleficiatis ;* vel illa impotentia, ut loquitur idem Jus canonicum, se tenet ex parte mulieris quæ non est apta ad actum conjugalem.

Idem, illa impotentia vel oritur ex causis naturalibus, vel ex maleficio; et 1. ex causis naturalibus, v. g., quia homo est omninò eunuchus; 2. ex maleficio; potest enim Dæmon Matrimonii consummationem impedire.

Notandum 2.° illam impotentiam sive naturalem, sive præternaturalem, posse esse vel perpetuam, vel solùm temporalem. Impotentia perpetua dicitur ea, quæ tolli non potest vel sine miraculo, vel sine peccato, vel sine vitæ periculo. Non dicitur autem tolli miraculo, si consuetis Ecclesiæ precibus tollatur. Impotentia temporalis est ea, quæ tolli potest sine ullo ex tribus prædictis, sed, v. g., ætatis incremento, arte medicinæ, vel consuetis Ecclesiæ precibus.

Notandum 3.° quòd impotentia vel est absoluta respectu omnis personæ, vel est respectiva, id est, respectu alicujus personæ, non verò aliarum.

Notandùm 4.° quòd illa impotentia, vel ante-

cedit Matrimonium, vel advenit Matrimonio jam contracto : his positis,

Statuitur omnem et solam impotentiam perpetuam, quæ antecedit Matrimonium, sive quæ adest quandò Matrimonium contrahitur, esse impedimentum jure naturæ dirimens.

Prob. tum *ex Jure canonico*, præsertìm ex toto ferè titulo *de Frigidis et Maleficiatis*, tum etiam quia contractus matrimonialis importat traditionem corporum in ordine ad consummationem Matrimonii : undè qui non est habilis ad ejus consummationem, non potest tradere.

Dixi 1.° in propositione, *solam impotentiam, quæ antecedit Matrimonium*, jure naturæ illud dirimere; quia certum est Matrimonium non dirimi nec dissolvi posse per ullam impotentiam, quæ eidem Matrimonio jam validè contracto supervenit.

Dixi 2.° *solam impotentiam perpetuam*, quia certum est nullam aliam, jure naturæ, dirimere Matrimonium : dico jure naturæ, quia Jure ecclesiastico ex cap. *Tuæ nobis, de Despons. impuberum*, impotentia ex debilitate ætatis proveniens, quamvis sit temporalis, dirimit et irritat Matrimonium, scilicet, masculorum qui non habent 14 annos completos, et feminarum quæ nondùm habent 12 annos pariter completos; quia ante hanc ætatem communiter non solet nec censetur adesse potentia ad consummationem Matrimonii. Si tamen malitia suppleret ætatem, id est, certis indiciis constaret aliquos ante illam ætatem non solùm sufficientem rationis usum, sed et pubertatem et potentiam consummandi Matrimonii assecutos esse, tunc ex Jure canonico Matrimonium esset quidem illicitum, sed tamen

validum, ut sacri Canones loquuntur toto titulo, *de Desponsatione impuberum* : malitia supplet ætatem.

Adverte tamen quòd in hoc casu non liceret Parocho ad hujusmodi Matrimonium procedere, inconsulto Episcopo.

Dixi 3.° *omnem impotentiam perpetuam quæ Matrimonium antecedit*, esse impedimentum jure naturæ illud dirimens; undè sequitur quòd duo tantùm requirantur ut impotentia sit impedimentum dirimens : 1. ut sit antecedens Matrimonium; 2. ut sit perpetua. Quibus positis, impotentia est semper impedimentum dirimens, sive sciatur à contrahentibus, sive ignoretur; sive se teneat ex parte viri, sive ex parte feminæ; sive sit naturalis, sive sit præternaturalis et ex arte dæmonum; sive sit absoluta, sive respectiva.

Colliges 1.° non posse validè contrahere Matrimonium eos omnes quos medicorum et obstetricum judicio aut alio evidenti signo constat habere impotentiam perpetuam, seu non posse consummare Matrimonium. Undè Sixtus V declaravit eunuchos non posse validè Matrimonium contrahere. Idem affirmant Doctores de his senibus qui Matrimonium consummare non possunt. Quod spectat autem ad eos senes qui, cùm validè anteà Matrimonio juncti sint, jam præ senio actum conjugalem complere non possunt, certè dùm constat sic esse dispositos, non possunt ampliùs uti Matrimonio : cùm tamen reverà sint conjuges, his licita sunt aliqua amoris signa legitima, data affectu conjugali, sed maximè cavendum omne periculum pollutionis.

Colliges 2.° si jam contractum sit Matrimonium, ubi certò constiterit impotentiam præces-

sisse Matrimonium, et esse perpètuam; statìm auctoritate Ecclesiæ separandi sunt conjuges, nisi velint cohabitare tanquam frater et soror, idque possint sine ullo periculo incontinentiæ.

Ratio est, quia invaliditas Matrimonii omninò certa est.

Quœres quid faciendum sit, quandò non satis constat an impotentia sit perpetua vel solùm temporalis, quamvis constet illam Matrimonium præcessisse.

Resp. 1.° quòd Ecclesia concessit conjugibus triennium ad experiendum utrùm possint Matrimonium consummare, intra quod tempus omnia his licent quæ veris conjugibus conceduntur, quamvis per accidens et præter intentionem ex attentatione actûs conjugalis interveniat interdùm pollutio : interìm verò adhibere debent remedia, tum naturalia ex medicorum consilio, tum spiritualia, præsertìm si impotentia existimetur esse ex maleficio, pro quo, ut id obiter dicam, maximè prosunt preces et exorcismi Ecclesiæ, sacræ Reliquiæ, aqua benedicta, et generaliter quidquid sacrum est vel Ecclesiæ benedictione sanctificatum, dummodò tamen absit omnis superstitio, vanitas, falsitas, prava intentio : sed imprimìs oportet ut conjuges piis exercitiis, peccatorum Confessioni, sacræ Communioni, orationi, eleemosynis, jejuniis frequenter vacent, ac præsertìm purificent suam intentionem in usu Matrimonii, ut olìm Angelus Tobiam monuit.

Porrò hoc triennium, quod Ecclesia concedit ad experiendum utrùm impotentia sit perpetua vel temporalis, debet esse moraliter continuum ad eum modum quo conjuges cohabitare solent: et ideò si interrumpatur, v. g., ex causâ diutur-

næ peregrinationis unius conjugum, posteà erit continuandum supplendo quod defuit.

Deindè hoc triennium computandum est, 1.° in his qui contraxerunt ante perfectam pubertatem, solùm ab initio perfectæ pubertatis, quæ est in masculo 18 annorum, in feminis verò 14, et ideò ante hanc ætatem conjuges non censentur potentes. 2.° In aliis, triennium computandum est à die quo Matrimonio uti attentaverunt, idque saltem pro foro conscientiæ, quandò scilicet res apud Judicem ecclesiasticum non est delata: nam ipse Judex, secundùm multorum sententiam, poterit concedere triennium computandum à die sui decreti.

Resp. 2.° Postquàm elapsum est triennium sine fructu, imò si ante elapsum triennium deprehendatur impotentiam esse perpetuam, non possunt conjuges ampliùs experiri, sed illa impotentia judicanda est perpetua, et ideò saltem toro separari debent; aut si vel non possint, vel non velint simul vivere sine periculo incontinentiæ, auctoritate Judicis ecclesiastici per sententiam prorsùs separari debent; datâ licentiâ conjugi, qui impotens non est, transeundi ad alias nuptias, vel utrique, si impotentia erat tantùm respectiva.

Cæterùm hæc notat Rituale Tolos., pag. 297: *Super hoc impedimento, ubi orietur difficultas aliqua, ad nos recurrent Pastores.*

§ XIII.

De Impedimento Raptûs.

Nomine raptûs intelligitur *Violenta alicujus personæ abductio è domo paternâ, seu è loco tuto*

tuto ubi est extra potentiam raptoris, idque libidinis explendæ, vel Matrimonii contrahendi causâ.

Dicitur 1.° *abductio violenta;* quia raptus non intelligitur sine aliquâ violentiâ quæ inferatur, vel intentetur personæ raptæ; aut si ipsa in abductionem consentiat, violentia saltem inferri debet ejus parentibus et tutoribus sub quorum est custodiâ; sed de hoc infrà, ubi de raptu seductionis dicemus.

Dicitur 2.° *è loco tuto ubi est extra potentiam raptoris;* quia raptus non intelligitur sine abductione de loco in locum ubi persona rapta sit in potestate raptoris; quia raptûs malitia consummatur in ipsâ violentâ abductione : non sufficit autem quòd mulier in domo paternâ existens trahatur per vim ab uno cubiculo in aliud; secùs autem si indè deducatur in aliam domum.

Dicitur 3.° *libidinis explendæ, etc.;* cùm enim raptus sit species quædam luxuriæ, non intelligitur sine intentione libidinis explendæ, vel Matrimonium contrahendi.

Statuitur, ex decreto Conc. Trid., Sess. 24, cap. 6, inter raptorem et raptam, quandiù ipsa in potestate raptoris manserit, esse impedimentum dirimens, nullumque posse consistere Matrimonium; ac proindè Matrimonium sic contractum esset prorsùs invalidum. Ratio autem cur Concilium hujusmodi impedimentum de novo statuerit, est ut consensus sit omninò liber, et nulla planè inferatur violentia.

Adverte tamen 1.° id quod Concilium addit, nempè si persona à raptore separata, et constituta in loco tuto et libero, consenserit habere raptorem in virum, tunc validum erit Matrimonium;

nihilominùs ipse raptor, et omnes illi auxilium, vel consilium, vel favorem præbentes, sunt ipso jure excommunicati et infames.

Adverte 2.° quòd ut committatur crimen raptûs à Conc. Trid. prohibitum, nihil referre quòd mulier rapta sit virgo, vel vidua; vel probis moribus, vel non; dummodò violenter abducatur intentione ineundi Matrimonium.

Ex citato Conc. Trid. decreto plures oriuntur quæstiones.

Quæritur itaque 1.° utrùm hoc decretum habeat locum in raptu qui fit tantùm causâ explendæ libidinis. Affirmant aliqui; quia est verus raptus, et vis infertur puellæ. Negant alii, et nituntur declaratione Congregationis Conc. Trident. datâ anno 1586, quæ definit raptores ob aliam causam, quàm ut uxorem ducant, non comprehendi à Concilio. Tutior videtur pars affirmans.

Quæritur 2.° an decretum Conc. Trid. contra raptores habeat locum etiam in raptu *seductionis*, nempè cùm puella sponte consentit in raptum, sed repugnantibus parentibus vel tutoribus.

Resp. duplicem esse sententiam; alia est negans, quia iste raptus nullo modo repugnat libertati Matrimonii, cui soli Concilium voluit hoc decreto consulere : et textus decreti videtur favere huic sententiæ; quia, nullâ factâ mentione parentum, dicitur raptam à raptore separatam, et in loco tuto constitutam, posse iterùm consentire si velit. Qui autem sententiam contrariam propugnant, asserunt 1.° Concilium non solùm voluisse libertati Matrimonii consulere, sed etiam debitæ parentibus reverentiæ. 2.° Addunt Concilium Trid. indiscriminatìm et absque distinc-

tione statuere raptum esse impedimentum dirimens; ubi autem, inquiunt, lex non distinguit, nec nos distinguere debemus. 3.° Probant suam sententiam ex constanti olim Galliarum Jurisprudentiâ, quæ inter impedimenta dirimentia raptum seductionis ubique reponebat. Huic soli sententiæ, quia consuetudine legitimâ firmatur, adhærendum est.

Quæritur 3.° utrùm hoc decretum habeat locum in muliere rapiente virum.

Resp. probabiliùs affirmari, quia paritas est rationis, et consensus non est omninò liber.

Porrò Parochi nunquàm ad Matrimonium in casibus suprà relatis procedere debent, nisi consulto Episcopo.

§ XIV.

De Impedimento Clandestinitatis.

Clandestinum dicitur Matrimonium quod absque debitâ solemnitate contrahitur.

1.° Expendemus an aliquandò valida fuerint et etiamnùm valeant clandestina Matrimonia; 2.° Decretum Concilii Tridentini circa clandestinitatem explanabimus.

I.

An aliquandò valida fuerint et etiamnùm valeant Matrimonia clandestina.

Statuitur 1.°: Matrimonia clandestina ante Conc. Trid. contracta, *rata et vera Matrimonia fuerunt, quandiù Ecclesia ea irrita non fecit*: tamen *illa semper detestata est atque prohibuit,* proindèque fuerunt illicita. Ita Conc. Trid., Sess. 24, cap. 1, de Reform. Matrim.

Statuitur 2.°, post Concilium Tridentinum Matrimonia clandestina (id est, quæ absque præsentiâ Parochi vel alterius Sacerdotis, de Parochi vel Episcopi licentiâ, et absque præsentiâ duorum vel trium testium celebrata sunt) esse omninò nulla et invalida, iis in locis in quibus Concilium fuit promulgatum; invalida, inquam, non solùm quoad Sacramentum, sed etiam quoad vinculum, seu contractum.

Prob. ex Concilio Trid., Sess. 24, cap. 1, de Reformatione Matrimonii: *Qui aliter quàm præsente Parocho, vel alio Sacerdote, de ipsius Parochi seu Ordinarii licentiâ, et duobus vel tribus testibus, Matrimonium contrahere attentabunt, eos sancta Synodus ad sic contrahendum omninò inhabiles reddit: et hujusmodi contractus irritos et nullos esse decernit, prout eos præsenti decreto irritos facit et annullat..... Decernit insuper, ut hujusmodi decretum in unâquâque Parochiâ suum robur post triginta dies habere incipiat, à die primæ publicationis in eâdem Parochiâ factæ, numerandos.*

Illud autem fuit præcipuum hujus decreti motivum, nempè, ut occurreretur malis quæ ex clandestinis Matrimoniis emergebant, dùm nonnulli, priori uxore cum quâ clàm contraxerant, relictâ, cum aliâ palàm contrahebant. Ita Conc. Trid. ibid.

II.

Explanatur Decretum Concilii Tridentini circa clandestinitatem.

Ut verum et genuinum hujusce decreti sensum planè assequamur, ipsius partes singulatìm et suo ordine expendemus et ponderabimus.

Primò, qualis requiratur Parochi præsentia.

Præsentia Parochi à Tridentino requiritur quatenùs est *Testis auctorisabilis pro Ecclesiâ*, ut loquitur Bened. XIV, de Synod. lib. 13, cap. 23, n. 6, seu prout est testis principalis ab Ecclesiâ deputatus, ut ejus nomine Matrimonio assistat, sicque de Matrimonio certò constet. Hinc non sufficit præsentia physica Parochi; sed moralis requiritur, ita ut Parochus videat contrahentes et eorum verba audiat, vel, ea non percipiens, signa mutui consensûs videat. Ita S. Congreg. Conc. Trid. et Benedict. XIV, loco citato.

Secundò, quisnam esse debeat Parochus.

Juxta veterem Regni disciplinam, edicto Ludovici XIV ann. 1697 innixam, proprius Parochus, relativè ad Matrimonium, Parochus erat in cujus ditione contrahentes actu et publicè commorabantur à sex mensibus, si essent ejusdem Diœcesis, aut ab anno, si forent Diœcesis alienæ. Verùm quia præfatum edictum jam nullum hodiè robur obtinere agnoscunt omnes, ideò in præsenti quæstione Juri communi canonico, et praxi in Rituali cujusque Diœcesis præscriptæ, nunc standum est.

Sed ut probè intelligantur quæ dicenda sunt, notandum est illum alicubi *domicilium* habere, qui ibi versatur cum animo manendi, actibus manifestato, hùc scilicet rem suam asportando, vel officium stabile et permanens acceptando; is verò *quasi-domicilium* habere dicitur, qui alicubi versatur cum intentione saltem per majorem anni partem, negotiorum causâ, remanendi, ut, v., g. scholastici in academiis, mercatores

in emporiis, etc. Hinc ad acquirendum domicilium, nulla requiritur mora temporis, sed obtinetur statim ac incipit habitatio cum animo manendi. His præmissis,

Statuitur 1.° : Parochus *domicilii* alterutrius contrahentium est proprius Sacerdos. Constat, tum quia Conc. Trid. non exigit præsentiam Parochorum sed *Parochi :* Parochi autem titulum nemo meliori jure sibi vindicare potest quàm Parochus domicilii; tum ex Declarationibus Sacræ Congreg. Conc. apud Bened. XIV, Instit. 33, n. 5 et 6.

Hinc 1. sufficit præsentia Parochi sponsi vel sponsæ. Hinc. 2. qui habet duo domicilia, id est, qui in duobus locis æqualiter est collocatus, celebrare Matrimonium poterit coram Parocho alterutrius domicilii. Ita Bened. XIV, ibid.

Statuitur 2.° : Parochus *quasi-domicilii,* saltem ubi difficilis est ad Parochum domicilii recursus, est etiam proprius Parochus. Hæc assertio quæ est communis, juxta Bened. XIV, ibid., probatur ex responsione ejusdem Sacræ Congreg. apud eumdem, ibid. n. 11; et in eo fundatur quia difficile quandoquè foret adire Parochum domicilii. Ita Bened. XIV, Inst. 88, n. 16.

Hinc 1. Judices, Medici, facultatis alicujus Professores, discipuli famulique, licèt exteri, ritè Matrimonium contrahunt, si Parochus adsit ejus loci ubi degunt. Ita in terminis Benedict. XIV, Inst. 33, n. 11. Hinc 2. qui, recreationis aut rusticationis causâ, in locum aliquem divertit, non potest coram Parocho illius loci Matrimonium inire, ut pluries declaravit S. Congreg. apud eumdem, ibid. n. 7. Hinc 3. si quis in eàdem urbe domicilium et quasi-domicium haberet, co-

ram Parocho quasi-domicilii non posset Matrimonium celebrare. Ratio est, quia tunc cessat difficultas adeundi Parochum domicilii.

Quoad vagos, Concil. Trident., ut multis malis ac præsertim vagantium polygamiæ occurreret, præcipit Parochis *ne illorum Matrimoniis intersint, nisi prius diligentem inquisitionem fecerint, et re ad Ordinarium delatâ, ab eo licentiam id faciendi obtinuerint.* Sess. 24, cap. 7.

Et hæc quidem vera sunt stando Juri communi canonico : quò verò ad ea attinet quæ à singulis Episcopis hâc in re pro suis Diœcesibus statuta sunt, unusquisque suæ Diœceseos usum et praxim ediscat et servet. Vid. Ritual. Tolos. sub titulis : *De la Publication des Bans;* et : *Du propre Curé, dont la présence est requise pour la validité du Mariage.*

Sedulò notandum est quòd Parochus vel alius Sacerdos qui, absque proprii Parochi aut Ordinarii licentiâ, alterius Parochiæ sponsos Matrimonio conjungit, ex Conc. Trid., Sess. 24, cap. 1, de Reformatione, *ipso jure tandiù suspensus manet, quandiù ab Ordinario ejus Parochi qui Matrimonio interesse debebat, seu à quo benedictio suscipienda erat, absolvatur.* Vide etiam Ritual. Tolos., pag. 180, 303 et 304.

Tertiò, qualis esse oporteat Parochus.

1.° Parochi nomine intelligi solent non solùm Episcopus et Vicarii generales, qui, etiam invito Parocho, Matrimonio assistere, vel alium ad id delegare possunt; sed etiam Pastores, qui sub Prælatis incumbunt regimini animarum, ut Vice-Rectores, *Curés Succursaux.* 2.° Parochus debet esse Sacerdos, cùm, juxta hujus regni discipli-

nam, nemo nisi sit actu Sacerdos ad beneficium quod annexam habeat animarum curam, promoveri possit. 3.° Requiritur ut sit verus Parochus, vel saltem habeat titulum coloratum cum errore communi; tunc enim potestatis defectum supplet Ecclesia : imò licèt sit excommunicatus, suspensus vel irregularis, dummodò retineat titulum Parochi, validè Matrimonio assistit. Cæterùm nihil officit validitati Matrimonii quòd ab ipso partium Parocho extra ejus Parochiam vel Diœcesim celebretur. Postulat tamen ordinis ac disciplinæ ratio ut Parochus sibi subditos in alienâ Parochiâ Matrimonio non conjungat, nisi priùs obtentâ hujus Parochi aut Episcopi licentiâ.

Quartò, quis possit supplere Parochum.

Ex Decreto Concilii Trid., delegatus ab Episcopo vel Parocho potest validè Matrimonio assistere : sed 1.° delegatus debet necessariò esse Sacerdos : ita Trident. 2.° Requiritur ut habeat expressam licentiam ab Episcopo vel Parocho; undè non sufficit tacita nec præsumpta : hæc autem licentia potest dari vel scripto vel voce, idque vel generaliter ad quælibet Matrimonia Parochiæ, vel specialiter duntaxat ad certum Matrimonium. 3.° Potest etiam delegatus *ad causarum universitatem* alterum delegare ad assistendum Matrimonio, ut communiter docent Theologi. Undè Vicarius hoc officium alteri Sacerdoti validè et licitè committere potest, etiam in alienâ Parochiâ exercendum. Contrarium quidem docet Collator Andegavensis, ex Fagnano, cap. *Quod nobis*, et Declaratione Congreg. Concil. ab eodem relatâ : sed præterquàm quòd hæc declaratio apud Fagnanum minimè legitur; asse-

rit ille, loc. cit., *Vicarios temporales ad nutum amovibiles, posse Matrimoniis tanquam Parochos interesse*, quod nostræ favet sententiæ.

Quintò, de Testibus et illorum qualitate.

Constat ex Conc. Trid. præsentiam duorum vel trium testium, præter Parochum, requiri et sufficere; sed tacet Concilium circa illorum qualitates, ideòque sufficit, juxta communem Theologorum et Canonistarum opinionem, quòd usum rationis habeant, et de celebrato Matrimonio testari possint. Hinc parentes, affines, cognati, domestici, licèt in aliis negotiis ut testes non admitterentur, in nuptiis eò magis desiderantur, quò contrahentibus proximiores sunt; cùm faciliùs testari possint de contrahentium domicilio, conditione, et aliis quæ ad Matrimonium celebrandum attinent. De cætero circa testium numerum et qualitates, servandæ sunt leges et usus cujusque Diœcesis. Vide Ritual. Tolos., pag. 298.

Sextò, de Promulgatione Decreti.

Juxta Conc. Trid., præsens Decretum vim obligandi non habet in unaquâque Parochiâ, nisi post triginta dies, à die publicationis in eâdem parochiâ factæ numerandos. Undè colliges 1.° quòd ut Decretum obliget, non sufficit ut quovis modo fuerit promulgatum; sed requiritur illius in Parochiis promulgatio, vel ejusdem per aliquod tempus observatio, quæ quidem promulgationi æquivalet: ita S. Congreg. Conc. et Bened. XIV, de Synod. lib. 12, cap. 5, n. 6. An verò Decretum istud in omnibus hujusce Regni provinciis coloniisque fuerit promulga-

tum, *à nemine controvertitur*, inquit Summ. Pont. Pius VII in Resp. ad Vic. gen. Diœces. Pictaviensis 29 august. ann. 1818; et probatur insuper ex Conciliis in Galliâ habitis, Ritualibus, libris Theologorum et Regum nostrorum edictis.

Colliges 2.° Decretum Conc. Trìd. minimè obligare in locis ubi non fuit promulgatum, nec unquàm receptum sensu mox exposito, cùm lex nondùm promulgata vim obligandi non habeat; et aliundè constet ex tenore Decreti, ut diximus.

Colliges 3.° Nec etiam obligat ubi illius impletio est moraliter impossibilis; tunc enim Ecclesia non vult obligare: et ita Congreg. Conc., apud Bened. XIV, de Synod. lib. 12, cap. 5, n. 5. Sìc etiam Summ. Pontif. Pius VI in Responsionibus ad Episc. Gall., et præsertim ad Episcop. Genevensem, 5 novembris 1793. Collect. Brev., tom. 3, n. 47. Observandum tamen quòd si Parochus adiri nequeat, semper coram duobus testibus Matrimonium iniri debet; lex enim quæ tota adimpleri nequit, pro parte quæ potest servari, obligat; et ita declaravit Pius VI in Brevi ad Capitulum Camberiense. Collect. tom. 2, pag. 468.

SCHOLIUM.

Ex dictis patet quid sentiendum sit de Matrimoniis quæ absque præsentiâ Sacerdotis inita sunt tempore Gallicæ perturbationis. Vel enim recursus ad proprium Parochum catholicum vel ad alium Sacerdotem à parocho vel ab Episcopo delegatum possibilis erat, vel non (1). Si prius,

---

(1) Id est, cùm nullatenùs, aut nonnisi *difficillimè* seu *periculosissimè* ad proprium Parochum recursus

Matrimonium fuit invalidum, ut patet, et pluries declaravit Summ. Pontif. Pius VI. Si posterius, Matrimonium fuit validum, modò duo saltem adfuerint testes qui, juxta monitum ejusdem Pontificis, inter catholicos erant eligendi. Quò verò spectat Matrimonia coram Sacerdote schismati adhærente celebrata, iterùm distinguendum est : vel Sacerdos ille erat intrusus, vel duntaxat juratus, *assermenté ;* in priori casu, Sacerdotis intrusi præsentia nullam vim matrimonio conferebat, cùm ille ne titulo quidem colorato potiretur. Ita Pius VI, Instruct. 31 ad Gall. Episc.; nec tamen ejusdem intrusi præsentia Matrimonii validitati nocebat : undè de Matrimonio coram intruso Sacerdote contracto idem ferendum est judicium ac suprà, de conjugiis absque Sacerdotis præsentiâ initis. In posteriori verò casu, validum erat Matrimonium, cùm Parochi duntaxat jurati titulum suum non amiserant. Observabis tamen 1.° plerosque juratos Parochos, per novam Parochiarum circonscriptionem, intrusos evasisse relativè ad territorium quod eorum veræ Parochiæ accesserat; proindèque invalidum fuisse Matrimonium coram ipsis contractum, si unus saltem contrahentium in verâ illorum Parochiâ domicilium non habuisset. 2.° Summ. Pontif. Pium VI, declarasse Sacerdotes juxta formam schismaticæ Constitutionis electos ad Ecclesias parochiales tum vacuas, tum plenas, excidisse à delegatâ jurisdictione quam obtinebant in iisdem Ecclesiis, seu Vicariorum munere fungentes,

---

haberi poterat. Inst. Card. Legat. infrà. Iisdem terminis utitur Summ. Pontif. Pius VI in prælaudatâ ad Episc. Genev. re-ponsione.

seu tanquam simpliciter approbati ad excipiendas fidelium confessiones; hinc validè Matrimonio assistere non potuerunt : refertur hæc declaratio apud D. *Costes*, infrà cit. in appendice ad calcem tom. 2. 3.° Matrimonia, etiam coram simpliciter juràtis tanquam Religionis Ministris celebrata, illicita fuisse, propter, scilicet, sæpiùs factam à Summ. Pontif. prohibitionem communicandi in divinis cum schismaticis Sacerdotibus. Vide Instruct. modò cit.

Qui plura de hoc argumento voluerit, consulat opus D. *Costes*, cui titulus : *Manuel des Missionnaires, ou Manuel des Prêtres*, tom. 2, pag. 84 et seqq. 4.ª edit.

ARTICULUS II.

De Impedimentis prohibentibus.

Postquàm de impedimentis dirimentibus disseruimus, superest ut agamus de impedientibus tantùm, quæ quidem Matrimonium non reddunt invalidum, sed efficiunt ut non possit contrahi licitè seu sine peccato. Itaque

Statuitur : impedimenta tantùm *prohibentia*, quæ nunc vigent, communiter numerantur quatuor, hoc versu comprehensa :

Ecclesiæ vetitum, feriæ, sponsalia, votum.

Hæc assertio certa est, et patebit enumeratione. 1.° Igitur per Ecclesiæ vetitum intelligitur justa prohibitio legitimi Pastoris, v. g., Summi Pontificis, Episcopi, vel etiam Parochi, per quam prohibitionem justâ de causâ alicui vetatur ne Matrimonium contrahat ad certum tempus, v. g., propter vitandum scandalum aut

aliud grave incommodum, vel quia est suspicio impedimenti cujus veritas priùs detegenda est, vel quia fit præjudicium alicui tertio, v. g., pendente lite de valore prioris Matrimonii. Graviter autem peccaret qui contra talem prohibitionem Matrimonium contraheret, et à Judice ecclesiastico puniendus esset. Hìc etiam pertinere potest prohibitio Ecclesiæ, ne Matrimonium contrahatur sine præviis proclamationibus aut earum dispensatione, ut suprà diximus. Item, secundùm alios, ne excommunicati Matrimonium ineant. Verùm excommunicatio et status peccati mortalis non est speciale Matrimonii impedimentum, de quo hìc agimus, sed est commune impedimentum omnibus Sacramentis recipiendis.

2.° Per tempus feriatum intelligitur nunc ex Conc. Trid., Sess. 24, cap. 1, illud tempus quod ab Adventu Domini usque ad diem Epiphaniæ, et à feriâ quartâ Cinerum usque ad Octavam Paschatis, inclusivè decurrit. Quibus temporibus solemnitates nuptiarum prohibet Ecclesia, inquit Rituale, pag. 290, et addit: *Ce qui doit s'entendre de la célébration même des Mariages, suivant l'usage de ce Diocèse. Les Curés avertiront les parties qui, pour cause juste et légitime, obtiendront la permission de se marier dans ce temps, qu'ils doivent s'interdire les festins et réjouissances des noces, qui ne conviendraient pas dans des jours qui doivent être particulièrement consacrés à la pénitence, et qu'il ne leur a été permis de se marier en ces jours qu'à cette condition.*

3.° Sponsalia jure naturali impediunt ne sponsi possint cum alio contrahere Matrimonium, quia, ut suprà diximus, tenentur sponsi sub peccato

mortali Matrimonium adimplere. Hoc tamen non est impedimentum dirimens et irritans Matrimonium, quia res promissa potest validè, quamvis non licitè, vendi aut dari alteri, si nihil aliud obstet.

4.° Deniquè votum castitatis, scilicet simplex, seu quod non emittitur in Professione validâ Religionis approbatæ, vel in susceptione Ordinis sacri, impedit ne licitè contrahatur Matrimonium. Illud autem votum simplex quadruplex est, scilicet 1. votum servandi castitatem; 2. ingrediendi Religionem; 3. suscipiendi sacros Ordines; 4. non nubendi. Quamvis autem non sit licitum cum aliquo ex his votis contrahere Matrimonium sine dispensatione, tamen Matrimonium est validum.

Quæres 1.° Quomodò se gerere debeat qui post votum simplex castitatis Matrimonium sine dispensatione contraxit.

Resp. 1.° hunc peccasse mortaliter tale Matrimonium contrahendo, ut patet; 2.° sine novo peccato Matrimonium contractum statìm consummare non posse, quia adhuc ipsi superest per primum bimestre medium servandæ castitatis, Religionem scilicet ingrediendo, ad quod tenetur juxta plurimos. Elapso autem bimestri, debitum conjugale petenti reddere potest, ut verò ipse petere queat indiget Episcopi dispensatione. 3.° Mortuâ conjuge, non posset sine peccato ad secundas nuptias transire.

Quæres 2.° Quomodò se gerere debeat qui, post votum Religionis, Matrimonium absque dispensatione contraxit.

Resp. 1.° Utiquè lethaliter peccavit contrahendo Matrimonium. 2.° Contracto Matrimonio

et non consummato, tenetur Religionem ingredi, quia adhuc possibilis est et licita voti executio. 3.° Sine peccato mortali consummare non potest Matrimonium, quia impossibilem redderet voti exsecutionem. 4.° Consummato semel, etiam citra dispensationem, Matrimonio, potest, secundùm plurimos Doctores, licitè petere et reddere debitum, quia non vovit castitatem nisi in solo Religionis statu servandam. Attendi tamen debet intentio voventis, quia sæpè castitas intenditur in talibus votis. 5.° Defunctâ uxore, tenebitur Religionem ingredi, quia illius votum non cessavit absolutè per contractum Matrimonium, sed tantùm ad tempus suspensum fuit.

Quæres 3.° quid judicandum de eo qui nupsit, post votum suscipiendi Ordines sacros, vel non nubendi.

Resp. iterùm : 1.° Mortaliter peccavit contra votum. 2.° Similiter non potest primùm consummare Matrimonium, quia ante illius consummationem, ipsi superest via votum servandi, Religionem ingrediendo. 3.° Matrimonio semel consummato, licitè potest petere et reddere debitum, quia votum sacros Ordines assumendi non obligat nisi ad castitatem in statu clericali servandam. 4.° Dissoluto Matrimonio, tenetur votum adimplere.

Porrò adverte in casibus dubiis et difficillimis in hâc materiâ contingentibus, ad Episcopum recurrendum esse.

Præter autem hæc quatuor impedimenta impedientia, adhuc alia in Jure canonico reperiuntur. 1.° Catechismus, quandò, scilicet, aliquis instruxerat baptizandum ante januam Ecclesiæ, et illius personam gerens responderat ad fidei

interrogata, dùm Sacerdos interrogat infantem an credat : verùm illud impedimentum hodiè non est in usu. 2.° Crimen, et quidem sextuplex : 1. uxoricidium ; 2. presbytericidium ; 3. Matrimonium cum Moniali scienter initum ; 4. propriæ prolis susceptio de sacro fonte, eo animo ne uxor debitum exigere possit; 5. raptus alienæ sponsæ; 6. incestus cum consanguineis conjugis.

Verum ista impedimenta impedientia adhuc in desuetudinem abiisse cum Navarro asserunt plures Auctores : aliquandò tamen expedit ut Confessarius suadeat pœnitenti criminum enumeratorum conscio, ut in delicti pœnam deinceps ab alio Matrimonio abstineat, sicuti antiquis Canonibus pœnitentialibus decretum erat : si tamen vel propter juventutem pœnitentis esset periculum incontinentiæ, vel propter aliam rationem Confessarius aliter agendum esse judicaret, tunc Matrimonium huic pœnitenti permittere posset.

SECTIO II.

De Impedimentis civilibus.

Duo sunt inquirenda : 1.° an Princeps secularis de facto usus fuerit potestate (si tamen illam habeat), statuendi impedimenta Matrimonium dirimentia ; 2.° quænam sint impedimenta à Principe, in Codice civili, constituta.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrùm Princeps secularis de facto usus fuerit potestate statuendi impedimenta quæ Matrimonium dirimant.

Nota. 1.° Quæstionem hanc solùm expende-

mus relativè ad Jus nostrum Gallicum, et juxta civilis Codicis dispositionem.

Nota 2.° Hic non agitur de impedimentis Juris naturalis et canonici quæ in Cod. civ. admittuntur; hæc enim independenter à lege civili Matrimonium prorsùs dirimunt : sed quæstio est duntaxat de impedimentis solâ legis civilis auctoritate constitutis.

Nota 3.° Ex hypothesi quòd possit Princeps impedimenta dirimentia statuere, solutio hujus controversiæ à voluntate Principis certò cognitâ omninò pendet, ut evidens est.

Nota. 4.° Certum videtur noluisse Principem Matrimonium civiliter mortui irritare quoad vinculum, sed solùm illud rescindere voluisse quoad civiles effectus. Id colligitur ex art. 25 Cod. civ. Utrùm de aliis impedimentis quæ in Codice leguntur idem ferendum sit judicium, an verò Princeps, ea constituendo, præter civiles effectus, contractum etiam rescindere voluerit, en præcisè hujus controversiæ status.

Duplex est sententia. Affirmativam docent plures cum Theologo Rothomagensi, tom. 10 in appendice, § 4, his innixi momentis, 1.um Desumitur ex ipso tenore legis : *Il n'y a point de Mariage; l'action en nullité peut être intentée; le Mariage déclaré nul,* art. 146, 187, 201, etc. Porrò hæc verba sensu naturali et obvio intellecta omnimodam nullitatem important. Nec dicatur legislatorem attingere tantùm voluisse effectus civiles; nullitatem quippe Matrimonii à rescissione effectuum civilium apertè distinguit art. 194, et præsertìm art. 201 qui sic habet : *Le Mariage qui a été déclaré nul, produit néanmoins les mêmes effets civils, tant à l'égard des*

époux qu'à l'égard des enfans, lorsqu'il a été contracté de bonne foi. 2.um Petitur ex discussione legis; sic enim perorabat D. *Portalis*, coram Cœtu legislativo, motiva legis exponens: *Il n'y a pas mariage, mais commerce illicite, entre des personnes qui n'ont point formé leurs engagemens en présence de l'officier civil compétent, témoin nécessaire du contrat. Dans notre législation actuelle, le défaut de présence de l'officier civil compétent a les mêmes effets qu'avait autrefois le défaut de présence du propre Curé. Le mariage était radicalement nul.* 3.um Depromitur ex auctoritate Jurisperitorum.

Sententiam negantem tenent plures alii non infimæ notæ Theologi, inter quos laudare sufficiat editorem novæ editionis Collationum Andegavensium, D. *Gousset*, tom. 3, pag. 336, et novissimè D. *Compans*, in opere toties cit. t. 1, pag. 107 novæ edit. Tol. Sic autem suam stabiliunt opinionem: 1.° Non inconcussum ipsis videtur argumentum quod ex tenore legis depromunt adversæ sententiæ patroni, quin è contrà, inquiunt, ex discussione Codicis civilis satis constat legislatorem voluisse tantùm Matrimonium, quoad solos civiles effectus, rescindere. Sic enim coram legislativo Cœtu disserebat D. *Treilhard*: *Je n'ai pas besoin d'observer que l'on n'a dû considérer le Mariage que comme un acte civil et dans ses rapports civils, abstraction faite de toute idée religieuse et de toute espèce de culte, dont le Code civil ne doit point s'occuper. Code civil suivi de l'exposition des motifs*, lib. 1, tit. 1, n. 4. Et in discussione habitâ in Consilio Statûs, observatum fuit legem minimè spectare contractum Matrimonii naturalem, sed civilem

tantùm ordinare. Ne autem id dictum esse putes de Matrimonio tantùm civiliter mortui, statìm subjungit D. *Tronchet*, qui et ipse cum D. *Portalis* et aliis Codicem civilem in priori suâ formâ confecerat : *Le contrat naturel du Mariage n'appartient qu'au droit naturel. Dans le droit civil, on ne connaît que le contrat civil, et on ne considère le Mariage que sous le rapport des effets civils qu'il doit produire. Il en est du Mariage de l'individu mort civilement, comme de celui qui a été contracté au mépris des formes légales. Conférences du Code civil*, lib. 1, tit. 1, art. 25. His apprimè consonant quæ coram Tribunorum cœtu perorabat unus ex illis : *Aujourd'hui il peut y avoir contrat civil et nul pacte religieux ; pacte religieux et nul contrat civil. On peut vivre avec la même femme, épouse selon la loi, concubine selon la conscience; épouse selon la conscience, et concubine selon la loi. Code civil suivi des motifs*, lib. 1, tit. 6. 2.° Eamdem doctrinam confirmant ex auctoritate Jurisperitorum qui contra priores opinantur. Adde quòd nonnulli ex Jurisperitis qui primam opinionem tuentur, non semper secum perfectè consenserint.

Verùm quidquid sit de hâc controversiâ quam dirimere nostrum non est, constat apud omnes impedimenta lege civili constituta esse saltem *prohibentia*, proindèque in conscientiâ obligare, cùm lex illa civilis juris limites non excedat, morumque ac Religionis principiis non adversetur. Constat pariter conjugia cum his impedimentis contracta civilibus effectibus omninò destitui; ita ut conjuges coram lege concubinarii habeantur, ac consequenter jura civilia conjugii

exercere non possint, eorum liberi reputentur *spurii*, ideòque hæreditario jure in bona parentum priventur : undè colliges gravis peccati ordinariè reos fore Parochos qui adeò illicitis et infaustis Matrimonis benedictionem impertiri præsumerent. Et verò præterquàm quòd expressè in Rituali prohibentur ne Matrimonium celebrent, nisi priùs ipsis authenticè constet conjuges coram Magistratu civili, juxta legis præscripta, contraxisse, gravissimas incurrerent pœnas latas art. 199 et 200 Cod. pœn.

ARTICULUS II.

Quænam sint Impedimenta in civili Codice constituta.

Eumdem instituimus ordinem ac suprà ubi de impedimentis canonicis; ea tamen omittemus de quibus nulla fit in Codice mentio.

I. *Error.* His quæ statuuntur Jure naturali et canonico perfectè concordant art. 146, 180 et 1109, quorum interpretationes videre est apud *Delvincourt*, tom. 1, pag. 151 in notis, et *Toullier*, tom. 1, n. 512 et seqq.

II. *Conditio.* Gravis est inter Jurisperitos controversia utrùm error qui versatur circa personam civiliter mortuam, irritet Matrimonium quoad civiles effectus : negant *Delvincourt*, et *Toullier* ex art. 201, tom. 1, n. 284; affirmant *Merlin* et *Nougarède*. Juxta priorum opinionem judicavit Suprema Curia, die 15.ª januarii 1816.

III. *Cognatio.* 1.° *Naturalis.* Jus civile eodem modò computat gradus in lineâ rectâ ac jus canonicum; multùm verò ab ipso differt in computandis gradibus in lineâ collaterali. Tot enim numerat

gradus, quot sunt generationes ab uno cognatorum usque ad stipitem, et à stipite ad alterum cognatum, dempto tamen stipite. Undè fratres sunt in secundo gradu, avunculus et nepos in tertio, consobrini germani in quarto, et sic deinceps : art. 738 Cod. civ.

Lege civili Matrimonium prohibitum est in lineâ rectâ inter ascendentes et descendentes, legitimos vel naturales in infinitum, art. 161 ; in lineâ verò collaterali prohibitio non extenditur nisi ad fratres et sorores legitimos vel naturales, art. 162 ; avunculum et neptem, amitam et nepotem, art. 163 ; hoc etiam articulo propatruus et proneptis, *grand-oncle, petite-nièce,* comprehenduntur, ut declaravit Consilium Statûs, anno 1808.

2.° Cognatio *legalis*. Jure civili, Matrimonium inter se contrahere prohibentur 1. adoptans cum adoptato et ipsius posteris; 2. filii adoptivi ejusdem personæ; 3. adoptatus et filii quos adoptans in posterum habere posset; 4. adoptatus et conjux adoptantis, et vicissìm adoptans cum conjuge adoptati, art. 348.

IV. *Criminis* impedimentum à canonico diversum statuit Codex, art. 25, juxta quem *civiliter* mortuus incapax redditur contrahendi Matrimonium, saltem quoad civiles effectus.

V. *Vis*. Principiis jam suprà stabilitis cap. 2, sect. 1, art. 1, § 7, apprimè consonant quæ in Codice civili leguntur, ab art. 1109 usque ad 1115, de contractibus in genere et speciatìm de Matrimonio, art. 180.

VI. *Ordo*. Quamvis de hoc impedimento nulla fiat expressè in Codice mentio, agnoscunt saniores Jurisperiti Ordinem sacrum verum esse im-

pedimentum dirimens Matrimonium coram lege civili. Et ita judicavit curia regia Parisiensis 18 mai 1818, his ducta momentis : *Considérant que, jusqu'à la Constitution de 1791, il était reçu en France, comme en tout pays Catholique, que l'engagement dans les Ordres sacrés était un empêchement dirimant du Mariage; que ce principe n'a été détruit par aucune loi expresse, et que sa violation temporaire n'a été que l'effet d'une erreur par induction de la Constitution de 1791, qui déclarait ne reconnaître aucun vœu religieux, ni aucun engagement contraire à la nature; que cette erreur qui, en la supposant commune, protége l'effet des Mariages antérieurs à la Charte, a dû cesser nécessairement depuis la promulgation de la Charte, qui, en déclarant la Religion Catholique et Romaine Religion de l'Etat, a rendu aux lois de l'Eglise la force de loi, relativement aux Ministres de la Religion de l'Etat*, etc.

Similiter judicatum est ab eâdem Curiâ 27 decembris 1828, in primâ causâ *Dumonteil*. Tandem novissimè, 21 februarii 1833, suprema Curia judicium à Curiâ Parisiensi latum in secundâ causâ *Dumonteil*, 14 januarii 1832, his verbis confirmavit : *Attendu qu'il résulte des articles 6 et 26 de la loi organique du Concordat de germinal an 10, que les Prêtres catholiques sont soumis aux canons qui alors étaient reçus en France, et par conséquent à ceux qui prohibaient le mariage aux ecclésiastiques engagés dans les ordres sacrés; attendu que le Code civil et la Charte ne renfermant aucune dérogation à cette législation spéciale, l'arrêt attaqué n'a violé aucune loi*, etc.

VII. *Ligamen.* Istud impedimentum agnoscit Codex, art. 147 et 148.

VIII. *Honestas publica.* Hoc impedimentum Codex civilis expressè non admittit. Et reverà de sponsalibus nequidem verbum facit, proindèque nec de impedimento quod è sponsalibus oritur. Verùm huic impedimento, quod provenit ex Matrimonio rato sed non consummato, locum dat Codex civilis sub titulo affinitatis, cùm ad eam constituendam non requirat Matrimonii consummationem, sicut jus canonicum.

IX. *Affinitas* est impedimentum civile in lineâ rectâ usque in infinitum, art. 162, et in lineâ collaterali non extenditur ultra secundum gradum civiliter computatum (vide suprà n. III), art. 162. Disputant Jurisperiti utrùm affinitas civilis ex commercio illicito contrahatur.

X. *Impotentia.* Nulla fit expressa mentio de hoc impedimento in Codice civili. Verùm, juxta art. 144, Matrimonium contrahere non possunt, mas, ante 18 annos evolutos, et femina ante 15 etiam integros, ob scilicet præsumptam incapacitatem consummandi Matrimonium. Ideòque si uxor, quæ nondùm ætatem à lege præscriptam attigerat, ante sex menses conceperit, jam de nullitate Matrimonii postulari non potest, juxta art. 185.

XI. *Raptus.* Aliquandò raptus locum dat nullitati Matrimonii, ut deducitur ex art. 354, 355, 356 et præsertìm 357 Cod. pœn.; sed quia lex semper præsumit vim illatam fuisse vel metum incussum personæ raptæ; istud impedimentum confundi videtur cum impedimento vis aut metûs. Raptus autem seductionis aliquatenùs includitur in necessitate consensûs parentum quem exigit Codex, ut jam diximus.

XII. *Clandestinitas.* Eam constituit absentia Magistratûs civilis, *Officier civil*, domicilii utriusque contrahentium. *La nullité résultant de la non présence du propre Curé*, dicebat D. *Portalis* suprà, *est remplacée par celle qui résulterait de l'absence de l'Officier civil.* Quænam verò præcisè requirantur conditiones ut Matrimonii civilis celebratio publica reputetur, et ideò validum sit Matrimonium, inter Jurisperitos disputatur. Vide *Toullier*, tom. 1, n. 640 et seqq. Nec hâc in re nimis anxii debent esse pastores; sufficit enim quòd ipsis authenticè constet partes coram legitimo Magistratu consensum mutuum præstitisse. Si tamen certi essent, vel prudenter dubitarent alterutram partem cum aliquo civili impedimento contraxisse, nihil agere deberent, inconsulto Episcopo.

CAPUT III.

De Dispensatione Impedimentorum.

TRES erunt articuli : inquiremus 1.° quis possit super impedimentis Matrimonii dispensare; agemus 2.° de causis dispensandi; et 3.° de modo obtinendi dispensationes. His Appendicem adjungemus de Matrimonii revalidatione.

ARTICULUS PRIMUS.

Quis possit dispensare super impedimentis Matrimonii.

Nota 1.° Dispensatio est *Relaxatio, seu exemptio legis, ab eo qui potestatem habet concessa.*

Nota

Nota 2.° Quæstio non est de impedimentis Jure naturali aut divino Matrimonium dirimentibus; cùm super his nulla humana potestas valeat dispensare.

Nota 3.° Certum est Ecclesiam posse dispensare super impedimentis Jure canonico statutis; potest enim à lege dispensare qui legem ipsam condidit.

Nota 4.° Constat pariter Summo Pontifici inesse potestatem dispensandi à legibus Ecclesiæ generalibus, proindèque à canonicis impedimentis Matrimonii, vi plenitudinis potestatis ipsi à Christo concessæ, ut probatum fuit in *Tractatu de Ecclesiâ.*

Superest igitur expendendum an dispensandi potestas de quâ agitur, ita Summo Pontifici sit reservata, ut Episcopis non competat, pro suâ respectivè Diœcesi. Hanc quæstionem solvent sequentes propositiones.

PROPOSITIO PRIMA.

Solus Summus Pontifex, generatìm et ordinariè, in impedimentis dirimentibus potest dispensare.

Prob. 1.° Solus enim Summus Pontifex est supremus et universalis Rector Ecclesiæ, ad quem solum ordinariè pertinere potest auctoritas in generalibus Ecclesiæ legibus dispensandi.

Prob. 2.° ex usu et consuetudine universali vim legis habente; cujus consuetudinis utilitas ex eo præcipuè commendatur quòd, ob necessarium ad Summum Pontificem recursum, rariùs et difficiliùs obtineantur impedimentorum dispensationes.

PROPOSITIO II.

Possunt Episcopi in impedimentis prohibentibus dispensare, præterquàm in voto perpetuam servandi castitatem, vel ingrediendi Religionem, quæ duo vota Summo Pontifici reservantur.

Prob. Etenim, licèt impedimenta prohibentia statuta sint à Summo Pontifice, Ecclesiâ acceptante, et ordinariè inferiores non possint in lege Superioris dispensare; tamen consuetudine receptum est, ut horum impedimentorum dispensatio non solùm à Papâ, sed etiam ab Episcopis petatur; qui proindè, ex tacitâ Summi Pontificis et Ecclesiæ concessione, possunt in his dispensare, præterquàm in votis castitatis perpetuæ et Religionis ingrediendæ.

Adverte autem 1.° quòd Episcopus, imò et Summus Pontifex non possunt propriè dispensare in impedimento sponsalium, quia facerent injuriam alteri sponso; possunt solùm tanquam Judices declarare, ex justâ causâ, quòd sponsalia sunt irrita vel dissolvenda.

Adverte 2.° Episcopum, juxta consuetudinem in suâ Diœcesi receptam, dispensare posse super affinitate et cognatione spiritali, quæ supervenit consummato Matrimonio, ad hoc ut peti possit debitum conjugale; imò etiamsi hæc affinitas spiritalis præcedat Matrimonium, ubi favet antiqua consuetudo, dispensare potest Episcopus. Notandum tamen controversiam agitari an etiamnùm valeant illæ antiquæ consuetudines, de quo infrà.

PROPOSITIO III.

Possunt Episcopi super impedimentis etiam dirimentibus, quandoquè dispensare.

Prob. Etenim, licèt ex usu potestas dispensandi super his impedimentis sit reservata Summo Pontifici, occurrunt plurimi casus in quibus dispensant Episcopi, ut constat enumeratione.

1.° Namque non desunt Præsules apud nos, qui virtute potestatis ordinariæ suis Sedibus ab initio conservatæ, vel saltem præscriptione legitimâ vindicatæ, in nonnullis gradibus consanguinitatis et affinitatis, vel publicæ honestatis tum ex sponsalibus tum ex Matrimonio rato, nec non in cognatione spiritali dispensant etiam ad Matrimonium contrahendum, alii inter pauperes tantùm, alii inter omnes indiscriminatìm. Sed, ut jam monuimus, mox expendetur an etiamnùm valeant hujusmodi dispensationes.

2.° Ex iis qui præfatâ non gaudent ordinariâ potestate, plures Episcopi dispensant vi indulti ad hoc sibi à Summis Pontificibus concessi, seu tanquam Sedis Apostolicæ delegati.

3.° Consentiunt ferè omnes ab Episcopo dispensari posse, quandò paratis omnibus ad nuptias, v. g., crastinâ die celebrandas, Confessarius ex alterutrius sponsi confessione cognoscit inter illos esse affinitatem ex copulâ illicitâ occultâ, nec patiuntur angustiæ temporis adiri Papam, nec vitari potest scandalum, aut unius sponsorum infamia, vel gravissimæ timentur inimicitiæ, nisi dispenset Episcopus. In quo tamen casu forsan utile esse posset effugium, quod plurimi consulunt, ut, scilicet, sponsa voveat cas-

titatem ad tempus, donec nimirùm obtenta sit dispensatio. Ut verò Fideles talibus occurrant angustiis, eos sæpè moneat Parochus de confessione aliquot diebus ante Matrimonium faciendâ.

4.° Circa Matrimonium jam contractum cum aliquo impedimento dirimente, dispensare possunt quilibet Episcopi, modò simul istæ concurrant conditiones.

1.ª Conditio est, ut Matrimonium cum bonâ fide unius saltem conjugum contractum fuerit in facie Ecclesiæ, et præmissis denuntiationibus. Ratio sumitur ex Conc. Trid., Sess. 24, cap. 5, ubi Conc. vult carere spe dispensationis, et separandos esse qui Matrimonium scienter cum impedimento contraxerint, vel solemnitates requisitas neglexerint.

2.ª Conditio est, ut impedimentum sit occultum, id est, non publicè notum, nec ad forum contentiosum deductum, aut facilè deducendum, alioquin, partes separari possent sine scandalo, et ita non esset necessitas ut Episcopus dispensaret: multis tamen Doctoribus remedium separationis videtur durissimum, et proli valdè noxium; ideò putant etiam tunc, rarissimè tamen, Episcopum posse dispensare super impedimento publico, maximè si tale impedimentum reperiatur inter personas pauperes, quæ non possunt recurrere ad Summum Pontificem, et interìm adest periculum incontinentiæ.

3.ª Conditio est urgens necessitas, quandò scilicet partes separari nequeunt sine scandalo, vel cohabitare non possunt sine incontinentiæ periculo: necesse est etiam ut vel propter distantiam, vel ob paupertatem adire non possint Summum Pontificem, etiam per litteras.

Adverte autem quòd in dubiò an sit aliquod impedimentum, necne, ordinariè præsumendum est nullum esse, ac proindè nullâ opus est dispensatione, juxta sententiam plurimorum Doctorum; attamen in his casibus dubiis ad Episcopum ordinariè recurrendum est, qui vel declarabit nullâ opus esse dispensatione, vel ad cautelam dispensabit: si tamen dubium esset valdè grave, seu magna foret præsumptio ex communiter contingentibus, tunc petenda esset dispensatio â Summo Pontifice; nec enim Episcopus extra necessitatem potest dispensare.

Quæres utrùm post Bullam Pii VII, *Qui Christi Domini*, circa novam Galliarum Diœceseon circumscriptionem, valeant antiquæ illæ consuetudines, vi quarum plures Gallicani Episcopi dispensabant super impedimentis Matrimonium dirimentibus.

Resp. Negant multi, 1.° ex tenore Bullæ prædictæ, quæ sic habet: *Supprimimus, annullamus et perpetuò exstinguimus titulum, denominationem, totumque statum præsentem infrà scriptarum Ecclesiarum Archiepiscopalium et Episcopalium, unà cum respectivis eorum capitulis, juribus, privilegiis et prærogativis cujuscunque generis....; ita ut omnes supradicti Archiepiscopatus et Episcopatus.... haberi debeant in posterum tanquam non ampliùs in primo ipsorum statu existentes, quia aut omnimodè exstincti, aut in novam formam erigendi.* 2.° Ex Decisione Congregationis Cardinalium 13 februarii 1815, ad Vicarium Capitularem Leodiensem, in quâ expressè asseritur consuetudines et privilegia de quibus agitur, revocata fuisse suppressione antiquæ Diœcesis Leodiensis per

Bullam *Qui Christi Domini*, nec per erectionem moderni Episcopatùs restituta fuisse.

Plures tamen contrariam sententiam tuentur, his ducti momentis: 1.° quòd verba citata prædictæ Bullæ rigorosè non sunt accipienda, sed ex regulis æquitatis et boni publici benignè interpretanda. 2.° Iis antiquis privilegiis etiamnùm utuntur plures Gallicani Episcopi, absque reclamatione Legati et Summi Pontificis.

In hàc sententiarum discrepantiâ, tutius erit Summi Pontificis expetere dispensationem.

ARTICULUS II.

De causis Dispensationum.

Duo hìc quæruntur: 1.° utrùm et quænam causæ requirantur ad dispensationem; 2.° quandonàm veræ esse debeant causæ dispensationis; sed quia posterior hæc questio solvitur in *Tract. de Legibus*, cap. 5, art. 3, de priori tantùm nunc dicendum est.

Generatìm duplex est legitimæ dispensationis causa, necessitas, vel major quædam utilitas.

Causæ autem ob quas solet Papa dispensare, maximè in consanguinitate et affinitate, hæ sunt præcipuæ: 1.° exstinctio magnæ litis, vel inimicitiarum aut jurgiorum, sicut et evitatio scandalorum, delictorum, vel diffamationis; v. g., si femina habet commercium cum suo consanguineo: vel si, seclusâ copulâ, vir et femina propter nimiam in colloquiis et totâ agendi ratione familiaritatem, viciniæ scandalum dederint; adeò ut, nisi ambo conjungantur, futurum sit ut femina neminem alium inveniat cui nubere possit. 2.° Angustia loci, propter quam non reperi-

tur Matrimonium æquale, nisi cum consanguineis vel affinibus. 3.° Defectus dotis, ob quam femina non invenit virum æqualis conditionis, nisi consanguineum.

His præcipuis causis aliæ adduntur à Canonistis, et 1.° quidem conservatio divitiarum in eâdem familiâ; 2.° illustris familiæ conservatio in eodem sanguine; 3.° excellentia meritorum, sive petentis dispensationem, sive ejus personæ pro quâ petitur talis dispensatio; 4.° quandò femina ætatem 24 aut 25 annorum excedit; 5.° deniquè proles, præsertìm si bonâ fide suscepta sit ex Matrimonio invalido, sed ignoranter cum consanguineâ contracto: dico *ignoranter*, quia si scienter contractum sit cum impedimento, Concilium Tridentinum vult partes separandas esse sine spe dispensationis: in eo tamen casu à Summo Pontifice aliquandò conceditur dispensatio, præsertìm quandò Matrimonium fuit diuturnum, et grave scandalum ex separatione imminet, maximè si partes nescirent hunc rigorem Juris Concilii Tridentini; sed in eo casu exprimenda est hæc mala fides eorum qui dispensationem petunt.

Adverte 1.° quòd aliquandò larga eleemosyna in compensationem injuncta, sit causa ratione cujus conceditur dispensatio consanguinitatis, præsertìm in gradibus remotioribus; hujusmodi autem dispensatio vocatur communiter dispensatio sine causâ, id est, sine causâ intrinsecâ et Matrimonio propriâ.

Adverte 2.° quòd interdùm contingit plures esse causas dispensationis, quarum singulæ seorsìm sumptæ non sufficerent, aggregatæ tamen ac simul sumptæ sufficiunt; quarum sufficientia ju-

dicio Summi Pontificis est relinquenda, dummodò sincerè et absque omni dolo veritas aperiatur: quod maximè notandum est, quia si veritas celaretur, vel aliquid falsum enuntiaretur, dispensationes essent nullæ, ut infrà dicemus. De hoc sedulò monendi sunt qui hujusmodi dispensationes obtinere desiderant.

Quæres utrùm Summus Pontifex possit sine causâ dispensare in impedimentis Matrimonii.

Resp. quòd quamvis Summus Pontifex possit absolutè, secundùm multos, sine causâ dispensare in impedimento Matrimonii, præterquàm in voto, ordinariè tamen non dispensat sine aliquâ causâ, juxta Concilium Tridentinum quod sic habet, Sess. 24, cap. 5: *In contrahendis Matrimoniis vel nulla omninò detur dispensatio, vel raró: idque ex causâ, et gratìs concedatur. In secundo gradu nunquàm dispensetur, nisi inter magnos Principes, et ob publicam causam.*

ARTICULUS III.

De modo obtinendi Dispensationes.

Quæres 1.° an omnes dispensationes quæ postulantur à Summo Pontifice, in eodem tribunali concedantur.

Resp. Romæ duplex erectum est pro concedendis dispensationibus Tribunal, sacræ scilicet Pœnitentiariæ et Datariæ.

A Pœnitentiariâ petitur et conceditur dispensatio pro solo foro interiori super omnibus et solis impedimentis occultis; exceptis tamen impedimentis tum consanguinitatis, tum affinitatis ex copulâ licitâ, tum et cognationis spiritalis, in

quibus, quantumcunquè occulta sint, nunquàm dispensat Pœnitentiaria ad primò contrahendum Matrimonium, licèt ad revalidandum jam contractum dispenset. In hoc autem tribunali non exprimuntur vera dispensandorum nomina vel cognomina, sed ficta solùm, v. g., *Caius*, *Bertha;* neque ullæ ibidem solvuntur expensæ, aut taxa, sed omnia gratìs expediuntur.

Dispensationes ab impedimentis publicis in Dataria expediuntur. Ibi vera dispensandorum nomina, eorumque Diœcesis vel Diœceses exprimi debent; insuper solvendæ sunt expensæ cum taxâ pecuniariâ non modicâ pios in usus à Rom. Pontifice applicandâ. Minor tamen pecuniæ summa solvitur à pauperibus, tuncque dispensatio datur *in formâ pauperum*.

Quia verò quisque vel Confessarius, vel ipse pœnitens, ad sacram Pœnitentiariam recurrere potest pro obtinendâ dispensatione, atque frequentes sint casus in quibus eo opus est; non abs re visum fuit duplicem hìc subjungere formulam supplicationis ad sacram Pœnitentiariam dirigendæ; alteram pro casu in quo duplex est impedimentum, prius consanguinitatis, cujus in Datariâ dispensatio petitur; posterius affinitatis ex copulâ illicitâ, cujus in Pœnitentiariâ postulari debet dispensatio; alteram pro casu in quo unicum est ex simplici voto castitatis impedimentum.

Epistolæ supplicatoriæ inscriptio à forìs (*l'adresse*) fit ad Majorem Pœnitentiarium, in hunc modum:

Eminentissimo et Reverendissimo Domino, Domino Cardinali Majori Pœnitentiario.

Romam.

Intùs autem his incipit verbis epistola :

Eminentissime et Reverendissime Domine,

Titius et Bertha consanguinei in tertio gradu, non spe facilioris dispensationis, sed vesanâ libidine victi, rem simul habuerunt; Petrus verò Titii frater, Bertham ducere intendit, constitutâ illi dote, quam aliundè habere non posset juxta statûs sui conditionem : ambo supplicant SS. DD. Nostro in Datariâ apostolicâ, ut dignetur cum illis super dicto consanguinitatis impedimento dispensare. Eminentiæ autem vestræ humiliter supplicat oratrix Bertha quatenùs, specialem sibi gratiam faciendo, ut non obstante prædicto affinitatis ex illicitâ copulâ provenientis impedimento penitùs occulto, Matrimonium cum dicto Petro licitè et validè contrahere possit, cum ipsâ dispensare dignetur.

Dignetur Eminentia vestra responsum dirigere ad me infrà scriptum. Hic exprimendum est nomen et cognomen illius ad quem rescribendum est; nomen item Oppidi vel Civitatis ad quam aut per quam rescribendum, et hæc quidem vulgari linguâ. Si autem in oratricis Berthæ loco nullus sit Confessarius Doctor in Theologiâ, vel Jure canonico, addi deberet : *Et quia in oratricis loco nullus reperitur Confessarius in Theologiâ vel Jure canonico Doctor, dignetur Eminentia vestra providere et disponere ut etiam alius possit exsequi;* nempè vel Parochus, aut simplex Confessarius cui pœnitens suam aperuit conscientiam, aut cui majorem haberet aperiendi fiduciam.

ALTERA FORMULA.

Eminentissime et Reverendissime Cardinalis,

Puella quædam annos circiter quindecim nata, scienter et liberè votum emisit castitatis perpetuò servandæ; nunc verò, Confessarii judicio qui

jamdudùm ipsius confessiones excipit, in certum salutis discrimen veniret, nisi nubat : quapropter supplicat humiliter et enixè, votum sibi commutari ad effectum contrahendi Matrimonium.

Dignetur Eminentia vestra, etc.

Notandum autem 1.° nihil interesse quòd latino vel gallico scribatur idiomate. 2.° Supplicatio continere debet simplicem et nitidam facti expositionem, absque ullo dictionis et verborum apparatu, et præsertim debet sine ambagibus exprimere naturam dispensationis quæ petitur, et causas quibus moveri potest Summ. Pontifex ad dispensationem concedendam. 3.° Si unus duntaxat conjugum sit impedimenti occulti conscius, ille solus in singulari, ficto nomine, debet appellari.

Quæres 2.° quænam sint in supplicatione exprimenda, ut valida dispensatio obtineatur.

Resp. Sæpè contingit dispensationes invalidè obtineri, vel propter veritatis suppressionem, et tunc dicuntur subreptitiæ, vel ob narrationem falsi, et tunc dicuntur obreptitiæ; ut autem dignoscatur quandonàm ex veri suppressione aut narratione falsi, invalidetur dispensatio, ad sequentes regulas attendendum est :

Regula prima. Taciturnitas seu suppressio illius qualitatis, seu veritatis, quam Jura vel stylus Curiæ et consuetudo exprimi juberet, reddit gratiam et dispensationem subreptitiam et omninò invalidam, etiam quandò, eâ veritate expressâ, nihilominùs concederetur gratia. Ratio est, quia talis veritatis expressio requiritur tanquam forma postulationis, et in hoc casu Summus Pontifex dispensationem concedere non intendit.

Undè 1.° qui intra gradus prohibitos consan-

guinitatis vel affinitatis scienter contraxerunt Matrimonium, vel consummârunt, vel si eo animo contrahere attentârunt, ut faciliùs dispensationem obtinerent, debent in supplicatione id totum exprimere ; aliàs dispensatio erit subreptitia : quia nempè Conc. Trid., Sess. 24, cap. 5, statuit ut hi careant spe dispensationis, saltem ne his facilè concedatur.

Sic 2.° ex communiori sententiâ, impetratio dispensationis super impedimento gradûs prohibiti, tacitâ antecedente copulâ, seu commercio carnali incestuoso, hæc, inquam, dispensatio est invalida et subreptitia ; similiter etiam invalida est dispensatio super uno impedimento, non factâ mentione alterius quod etiam adest, si neutrum aliter tolli possit quàm per dispensationem : ratio est, quia stylus Curiæ et consuetudo exigit ut exprimatur antecedens copula incestuosa, et utrumque impedimentum. Excipitur tamen, nisi copula vel unum impedimentum sit occultum ; tunc enim taceri poterit in Datariâ, et sufficiet secretò per viam Pœnitentiariæ, tacitis nominibus supplicantium, ejus dispensationem impetrare, factâ tamen mentione impedimenti publici jam dispensati aut dispensandi à Papâ per viam Datariæ.

Regula secunda. Taciturnitas veri, aut expressio falsi reddit dispensationem subreptitiam vel obreptitiam, ac proindè invalidam, quandò est causa finalis concessionis, id est, quandò si veritas expressa esset, dispensatio non fuisset concessa, vel solùm cum aliquâ moderatione, limitatione et onere : ratio est, quia tunc dispensatio non potest dici voluntaria respectu superioris, ac proindè est invalida.

Sic 1.° subreptitia erit dispensatio in cognatione spirituali, si tacitum sit quòd illa cognatio spiritualis orta sit ex paternitate spirituali; quia nunquàm aut rarissimè dispensatur in paternitate; quæ proindè si fuisset explicata, Superior dispensationem non concessisset, vel saltem multò difficiliùs.

Sic 2.° ex communiori sententiâ dispensatio erit subreptitia, nisi explicetur qualitas impedimenti, scilicet, quæ linea et quis gradus in consanguinitate, affinitate, aut publicâ honestate. Ratio est, quia non ex eâdem causâ, neque cum eâdem compensatione conceditur dispensatio in omnibus gradibus. Item dispensatio erit invalida nisi explicetur an affinitas in primo et secundo gradu orta sit ex commercio illicito, an verò ex licito; quia in ultimâ vel nunquàm, vel cum majori difficultate dispensatur. Simili ratione explicandum est an publica honestas in primo gradu orta sit ex sponsalibus, an ex Matrimonio rato, non consummato. Similiter in graduum inæqualitate, v. g., quandò sunt consanguinei in primo et secundo gradu, vel in tertio et quarto, proximior gradus exprimi debet, ut Vicarius Generalis seu Officialis talem dispensationem exsequi possit.

E contrà verò si taciturnitas veri, aut expressio falsi non sit causa finalis concessionis, sed vel extrinsecè solùm et per accidens se habeat ad dispensationem, vel solùm sit causa impulsiva, id est, talis quâ non existente, nihilominùs concederetur gratia seu dispensatio, quamvis non tam citò, tunc dispensatio non erit subreptitia nec obreptitia. Ratio est, quia concedens dispensationem, illam concedit ob causam finalem sub-

sistentem, non obstante hujusmodi taciturnitate, vel expressione falsi.

Sic 1.° valida est dispensatio juxta probabiliorem sententiam, quandò error est tantùm in nomine petentis, vel etiam in nomine Diœcesis, dummodò constet de personis, quia est quid accidentarium, nec necessariam habet connexionem cum dispensatione.

Sic 2.° valet dispensatio, quandò nec Jure nec stylo Curiæ, nec aliter constat suppressionem veritatis, aut expressionem falsitatis fuisse causam finalem concessionis, quamvis certò constet fuisse causam impulsivam. Quoniam verò non satis facilè semper dignosci potest utrùm illa taciturnitas veri aut expressio falsi sit causa finalis dispensationis, vel solùm causa impulsiva; ideò addenda est

Regula tertia. Taciturnitas veri, vel expressio falsi tunc est causa finalis dispensationis, eamque subreptitiam vel obreptitiam reddit, quandò facit ut Superior ignoret vinculum quod aufert, vel ejus qualitatem aut gravitatem; et similiter quantitatem aut qualitatem gratiæ quam concedit.

Ratio est, quia voluntas dispensantis non potest extendi ad id quod ignorat; ac proindè si nesciat qualem et quantam gratiam concedit, concessio non est voluntaria, ac proindè est invalida.

Hinc 1.° expressio unius impedimenti pro alio, v. g., consanguinitatis pro affinitate; vel expressio impedimenti dubii pro certo, reddit invalidam dispensationem, quia ignoratur vinculum quod auferri debet: imò in dispensationibus non valet argumentum à majori ad minus: v. g., si quis ex errore exprimat gradum consanguinitatis pro

gradu affinitatis quæ est minus vinculum, non valeret obtenta dispensatio juxta plures Doctores. Si tamen minus includatur in majori, tunc valet argumentum à majori ad minus : v. g., si exprimatur secundus pro tertio gradu consanguinitatis, quia tertius gradus includitur in secundo : contrà verò non valet dispensatio, si exprimatur gradus inferior pro superiore, v. g., tertius gradus pro secundo.

Hinc 2.° exprimenda sunt omnia impedimenta etiam ejusdem speciei, v. g., si consanguinitas sit duplex, vel affinitas, item honestas publica, vel cognatio spiritualis; quia hæc impedimentorum multiplicitas difficiliorem reddit dispensationem ad quam proindè graviores requiruntur causæ; ideòque subreptitia erit dispensatio, si non exprimantur illa impedimenta.

Advertendum tamen quòd affinitas non sit major vel minor ex pluribus commerciis carnalibus cum eàdem personâ; ideò necesse non est exprimere multiplicatas copulas : undè etiam concluditur quòd si ante dispensationem executioni mandatam iteretur copula, tamen affinitas non augetur, nec Episcopus impeditur à dispensando : si autem, post sublatum affinitatis impedimentum per dispensationem ab Episcopo vel ejus Officiali exsecutioni mandatam, iteraretur copula, jam nova exsurgeret affinitas.

Hinc 3.° qui obtinuit dispensationem de crimine conjugicidii, et posteà iterato crimine dispensationem petit, debet prioris meminisse, quia ex priore posterior redditur longè difficilior.

Cæterùm advertendum est nihil referre quòd subreptio vel obreptio facta sit ignoranter et per simplicitatem contrahentium, etiam absque ullâ

culpâ, vel solùm per Curiales; quia simplicitas et innocentia postulantium non possunt supplere defectum consensùs in concedente.

De cæteris quæ circa causas dispensationum, easque obtinendi ac exsequendi modum hìc desiderantur, vide opus toties citatum : *Traité des Dispenses*, tom. 1, cap. 17, 18, 19 et 20, et Rituale Diœces. Tolos., p. 300.

APPENDIX.

De Revalidatione Matrimonii.

Duo erunt hujus appendicis capita : inquiremus 1.° utrùm et quomodò Parochus vel Confessarius eos monere debeat quos noverit invalidè Matrimonium contraxisse; 2.° quomodò redintegrandum sit Matrimonium invalidè contractum.

CAPUT PRIMUM.

Utrùm et quomodò Parochus vel Confessarius eos monere debeat quos noverit invalidè Matrimonium contraxisse.

Nota 1.° Quâcunque viâ Parochus vel Confessarius didicerit partes invalidè contraxisse, rei veritatem explorare debet, et deinceps Episcopum aut viros graves consulere, si possit, illæso semper Confessionis sigillo. Si verò consulere nequeat, expendat an impedimentum dirimens sit publicum, an verò occultum.

Nota 2.° Nulla est difficultas ubi impedimentum est publicum; tunc enim ad tollendum scan-

dalum partes separari debent toro et habitatione, donec dispensationem obtinuerint, Matrimoniumque redintegraverint; quòd si recusaverint, non potest Confessarius iis absolutionem impertiri, ut patet. Sed *quid,* ubi impedimentum est occultum?

Multiplici opus est distinctione. Vel enim impedimentum est occultum duabus partibus, vel ipsis est cognitum et occultum extraneis, vel uni duntaxat parti cognitum. Quapropter

Statuitur: 1.º Ubi impedimentum dirimens incognitum est duabus partibus, et nullum ex monitione prævidetur incommodum, tenetur sive Parochus sive Confessarius illas monere; si verò grave incommodum prævideatur, eas admonere non debet.

Ratio 1.ᵃᵉ partis est, quòd sive Parochus sive Confessarius tenentur suum Parochianum aut Pœnitentem à malo etiam materiali avertere, cùm id sine gravi incommodo fieri potest. Caveat tamen Confessarius ne partibus præscribat ut habitatione separentur, ob scandalum indè enasciturum; sed illas moneat ut castè vivant, sicut frater et soror, donec dispensationem obtinuerint et Matrimonium redintegraverint.

Ratio 2.ᵃᵉ partis est, quòd nemo tenetur ad actum inutilem et nocivum: porrò monitio in casu foret inutilis et noxia; inutilis quidem, supponimus enim partes monitioni non esse obsecuturas; noxia verò, sive quia periculum esset ne ex monitione sequerentur scandala, vel infamia conjugum aut prolis, etc.; sive quia fornicatio quæ hactenùs erat tantùm materialis, post monitionem fiet formalis. Supponit hæc decisio conjuges putatitios laborare ignorantià invincibili;

si enim illorum ignorantia vincibilis esset, admonendi essent, juxta principia stabilita in *Tract. de Pœnitentiâ.*

Statuitur 2.° : Cùm impedimentum partibus est cognitum sed extraneis occultum, partes moneri debent ut dispensationem postulent, et intereà debent quoad torum separari, non tamen quoad habitationem, ob scandalum indè oriturum.

Observabis quòd in libello supplici pro obtinendâ dispensatione impedimenti, conjuges putatitii explicare debent an scientes vel ignorantes impedimentum, nuptias contraxerint ac matrimonio usi fuerint. Et si impedimentum probari nequeat, licèt partibus cognitum, satis erit ad Sacram Pœnitentiariam recurrere.

Statuitur 3.° : Quandò impedimenti una tantùm pars est conscia, hæc alteri revelare non debet crimen quod huic impedimento locum dedit, quia indè gravia orirentur mala; sed impedimenti consciam monere debet Parochus aut Confessarius ut à petitione et redditione debiti abstineat, donec, obtentâ dispensatione, Matrimonium fuerit redintegratum : idque, etiam cum vitæ periculo, quia fornicatio de se mala est. Si verò res ageretur cum parte ignorante impedimentum cujus altera conscia est, eædem regulæ servari debent ac in casu quo utraque pars impedimentum ignorat. Vide dicta in 1.â assertione.

Ex his colliges quantâ prudentiâ et cautione Confessarius vel Parochus sese gerere debeant erga eos quos noverint aliquo obstringi dirimente impedimento. Quantùm ad cætera quæ eà de re hìc possent desiderari, consule *Tract. de Pœnitentiâ*, cap. 4, sect. 2, art. 2, § 4, n. 3.

CAPUT II.

Quomodò redintegrandum sit Matrimonium invalidè contractum.

Notandum est 1.° dupliciter contingere posse quòd Matrimonium sit nullum et invalidum, vel propter inhabilitatem personarum ad contrahendum Matrimonium, si nempè habeant aliquod impedimentum dirimens; vel ob defectum consensûs, v. g., quia fuit fictus aut coactus.

Notandum 2.° ex omnium sententiâ, Matrimonium invalidum nullâ temporis diuturnitate aut bonâ fide contrahentium posse fieri validum, nisi suppleatur id quod aliundè necessarium est ad ejus validitatem.

Hinc nascitur quæstio magni momenti, nempè quid faciendum sit ut Matrimonium invalidum convalescat et validum fiat, præsertim cùm ordinariè non liceat hæc Matrimonia dissolvere, sed partes teneantur ad Matrimonium revalidandum, ad vitanda gravia damna, vel scandala quæ ex ejusmodi dissolutione orirentur, præsertim si tale Matrimonium consummatum sit.

Ut autem hæc questio rectè solvatur, expendemus 1.° an in revalidatione Matrimonii necessariò servanda sit forma à Concilio Trident. præscripta, seu utrùm coram Parocho et testibus consensus renovari debeat; 2.° qualis consensus requiratur ad Matrimonii revalidationem.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrùm ad revalidationem Matrimonii necessariò servanda sit forma à Tridentino præscripta.

Statuitur 1.° : Si forma hæc nondùm fuit servata, necessariò contrahendum est coram Parocho et testibus, nisi dispenset Summus Pontifex; constat enim, ex dictis, ubi de impedimento clandestinitatis; aliàs non posset Ecclesiæ constare de Matrimonio contracto.

Observabis tamen hanc assertionem esse intelligendam juxta ea quæ sapienter præscripta sunt in Instructione Cardinalis Legati inferiùs exarandâ, n. 6, 7, 8, 9, 10 et 11. Si verò quæ in postremo illo numero præscribuntur obtineri nequeant, non aliud occurrit medium Matrimonium convalidandi, quàm dispensatio in radice, de quâ infrà.

Statuitur 2.° : Si forma à Conc. Trid. sancita jam fuit observata, distinguendum est : Vel Matrimonium coram Parocho et testibus celebratum, invalidum fuit propter aliquod impedimentum dirimens publicum, aut ejus naturæ quòd possit probari in foro externo, vel fuit irritum ob aliquod impedimentum occultum. Si prius, necesse est ut utraque pars iterùm consentiat coram Parocho et testibus; alioquin Ecclesiæ non constaret de Matrimonii validitate : imò probari posset illud esse invalidum, ex publico impedimento dirimente; et ita requiritur in omnibus Datariæ Brevibus. Si posterius, necessarium non est ut in facie Ecclesiæ consensus renovetur; tum quia, eo in casu, jam contrahen-

tes fecerunt satis Decreto et intentioni Concilii de vitandà clandestinitate ; tum quia ita *decrevit sacra Pœnitentiaria S. Pii Pontificis V auctoritate, uti Navarrus fatetur*, et tenet in praxi S. Congregatio Concilii, inquit Benedictus XIV, Instit. 87, n. 64. Monendi tamen sunt conjuges ut in statu gratiæ consensum clam renovent, ne gratià sacramentali defraudentur. Ita Ritual. Tol., pag. 303.

ARTICULUS II.

Qualis requiratur consensus ad Matrimonii revalidationem.

Cùm, ex jam notatis, duplici ex parte Matrimonium possit esse invalidum, nempè, vel ob defectum consensùs, vel propter dirimens impedimentum, duplex erit hujusce articuli paragraphus.

§ I.

Qualis requiratur consensus, ubi Matrimonium irritum fuit ex defectu consensûs.

Certum est 1.° consensum ab utroque contrahente exteriùs esse renovandum, si utriusque consensus defuit.

Certum est 2.° si unius tantùm defuit consensus, multò tutius esse et in praxi tenendum ut ab utroque consensus renovetur, cùm id absque ullo incommodo fieri potest. Sed quia illud sæpè sæpiùs est difficillimum, quæritur an essentialiter requiratur renovatio consensûs, etiam ex parte illius qui ritè consensit.

Statuitur : Probabilius est, et docent communiter Doctores, sufficere ad Matrimonii revalidationem, ut ille solus qui fictè consensit, consen-

sum renovet, dummodò consensus alterius non fuerit revocatus.

Prob. 1.° ex multis Juris capitibus à B. Ligorio relatis, de Matrim. lib. 6, cap. 3, n. 1114; scilicet, cap. *Ad id*, de Spons. et Matrim.; cap. *Significavit,* de eo qui duxit in Matrim., in quibus statuitur partem qui non ritè consensit, si posteà consenserit, cogendam esse maritaliter vivere, nullâ factâ mentione de renovatione consensûs ex parte illius qui consenserat : porrò si essentialis esset illa renovatio, eam profectò exigere non omisissent Sum. Pontifices; ergo, etc.

Prob. 2.° *auctoritate Theologorum,* inter quos S. Thomas, S. Bonaventura, S. Antoninus, Lessius, Navarrus, Sanchez et alii multi quos citat B. Ligorius, ibid.

Prob. 3.° *Ratione.* Ad contractûs validitatem non requiritur ut consensus partium simul physicè ponatur, sed sufficit ut consensus unius perseveret, dùm ponitur consensus alterius : porrò in hypothesi perseverat consensus illius qui ritè consensit, cùm revocatus non fuerit; et aliundè virtualiter exprimitur per cohabitationem voluntariam et usum Matrimonii; ergo dùm ponitur alterius consensus, omninò convalescit Matrimonium. Quinimò addunt nonnulli sufficere ut consensus renovetur occultè et internè. Negant verò alii; sed eo ipso quòd conjux compartem ut conjugem tractat, sufficienter suum manifestat consensum.

Nec obstat quòd altera pars nollet in consensu perseverare si sciret compartem fictè consensisse; quia dissensus sub conditione non revocat priorem consensum absolutum, et aliud est *nolo;* aliud, *nollem.*

§ II.

Qualis requiratur consensus, cùm Matrimonium irritum fuit ob impedimentum dirimens.

Certum est 1.° si impedimentum Juris sit naturalis aut divini, omninò necessarium esse ut, eo cessante, sicuti contingere potest, v. g., in impedimento ligaminis, consensus renovetur eodem prorsùs modo ac si nunquàm præstitus fuisset; quia prior consensus fuit absolutè invalidus : hinc si quis alterum duxit conjugem, priori vivente, non potest, etiam isto mortuo, in Matrimonii societate permanere cum secundo, nisi uterque consensum renovet. Nec in hoc casu locus est concedendæ dispensationi in radice. Sic Benedict. XIV, de Synodo, lib. 13, cap. 21, n. 7.

Certum est 2.° si impedimentum sit Juris ecclesiastici, ut convalescat Matrimonium, necessariò prærequiri dispensationem. Sed cùm duplicis generis sint quæ concedi solent dispensationes, de iis seorsìm dicendum est.

I.

De Simplici Dispensatione.

Constat ab utrâque parte renovandum esse consensum si utraque impedimentum cognoscat, vel si una tantùm impedimenti conscia, alteri, absque gravi incommodo, illud possit manifestare. At cùm id ordinariè fieri nequeat, gravis exindè oritur controversia, scilicet an tunc compars quæ impedimentum ignorat moneri debeat de renovando consensu, ut dispensatio suum sortiatur effectum.

Negant communiter Doctores, quia compars

ignorans nullitatem Matrimonii, nisi moneatur, non poterit præbere consensum voluntarium de Matrimonio nunc contrahendo, sed solùm ratum habet et approbat antiquum Matrimonium quod fuit invalidum : approbatio autem actûs invalidi non reddit actum validum, quandò ignoratur nullitas actûs. Præterea praxis est Sacræ Pœnitentiariæ ut in suis Brevibus dispensationum super impedimentis occultis hanc apponat clausulam : Muliere, ignorante tale impedimentum, *de nullitate prioris consensûs certioratâ*. Respondent quidem plures hæc verba apposita fuisse non ut conditionem necessariam, sed duntaxat ad Confessarii instructionem, proindèque omittendam esse, quandò gravissima exindè timentur incommoda. At, inquit Benedict. XIV : *Judicamus haud probari posse illorum opinionem ;.... nam certissimum est inter Jurisperitos, quòd vera conditio ex ablativo absoluto consequitur : quâ de re prætermitti nullo modo potest, licèt gravissima incommoda interponantur.* Instit. 87, n. 68.

Itaque, ut ab hisce ambagibus sese expedirent Theologi, nonnullos excogitârunt modos ope quorum conditio à Sacrâ Pœnitentiariâ apposita posset adimpleri, quin tamen incommodis exindè timendis pateret aditus. Sed ut dicamus quod res est, quodque multi ingenuè fatentur Theologi, vel his modis non satisfit conditioni à Sacrâ Pœnitentiariâ præscriptæ, vel locus datur incommodis pro quibus vitandis illi modi excogitati fuêre ; dicendum igitur convalidandi Matrimonii vix, ac ne vix quidem, medium superesse, quàm dispensationem *in râdice*, de quâ statim dicendum occurrit.

II.

II.

De Dispensatione in radice.

Dispensationes quæ dicuntur in radice Matrimonii, inquit Benedictus XIV, illæ sunt *per quas renovandi consensûs necessitas tollitur...., non sanè agendo ut Matrimonium nulliter contractum, non ita contractum fuerit; sed effectus illos de medio tollendo, qui, ob hujusmodi Matrimonii nullitatem, ante indultam dispensationem, ac etiam in ipso contrahendi Matrimonii actu, producti fuerant.* De Synodo, lib. 13, cap. 21, n. 7.

Eadem est dispensationis *in radice* notio quam tradit, licèt aliis terminis, Cardinalis Legatus, in Decreto annexo Instructioni jam appellatæ; sic enim habet : *Facultatem communicamus dispensandi* in radice *Matrimonii, seu Matrimonium* in radice *sanandi, perindè ac si contrahentes qui ad Matrimonium ineundum inhabiles fuerunt et consensum illegitimè præstiterunt, ab initio habiles fuissent et consensum legitimè præstitissent.* His præmissis,

Statuitur : Potest Summus Pontifex concedere dispensationes in radice Matrimonii.

Prob. 1.° *ex praxi Summorum Pontificum.* 1. Clementis XI, qui, litteris apostolicis 2 aprilis 1705, quædam Matrimonia confirmavit inita à quibusdam Indiarum populis qui *Pucueles* et *Quartarones* nuncupantur, eosque à renovando consensu dispensavit, ut refert Benedict. XIV, Instit. 87, n.° 80. 2. Clementis XII, litteris *Cùm dudùm*, apud eumdem Bened., lib. 13, cap. 21, n. 7, de Synod. Diœces. 3. Benedicti XIV, in Decreto 27 septembris 1755, ubi ait *quòd hujus-*

modi dispensatio à Romanis Pontificibus concedi CONSUEVIT. 4. Pii VII, speciatim in Instruct. Card. Legati jam cit. Demùm Leonis XII; sic enim habet Breve S. Pœnitentiariæ 17 novemb. 1827 : *De speciali et expressâ* APOSTOLICA *auctoritate, S. Pœnitentiaria S. R. E. Cardinali Archiepiscopo Tolosano communicat... facultatem dispensandi... etiam in radice Matrimonii, quandò agatur de Matrimoniis nulliter contractis ob defectum clandestinitatis, vel ob alia quæcumque impedimenta dirimentia, Juris duntaxat ecclesiastici..., quandò una pars ad renovationem consensûs adduci nequeat, prudenter certiorato conjuge renitente de peractâ sanatione in radice, etc.*

Prob. 2.° *Ratione theologicâ.* Ut enim Summus Pontifex possit *in radice* Matrimonii dispensare, requiritur et sufficit ut Ecclesia potuerit et voluerit impedimenta eo modo constituere quòd non absolutè consensum destruant, sed solùm ejus vim impediant vel suspendant, quamdiù subsistunt; hoc enim posito, non difficilè concipitur quomodò consensus naturalis initio præstitus (qui, nisi obstaret impedimentum, ad Matrimonii validitatem sufficeret), sublato obice seu impedimento per dispensationem, statim possit vim exerere suam, et sic convalescat Matrimonium : atqui Ecclesia eo modo impedimenta potuit et voluit constituere : 1.° quidem potuit, cùm in hoc nulla occurrat repugnantia; 2.° voluit, ut constat tum ex suâ agendi ratione, dùm per suos Pontifices dispensando *in radice*, suam intentionem nobis manifestat; tum ex suâ sapientiâ quæ, hâc ratione, eò magis commendatur quòd finem suum obtineat et simul præcaveat gravissima illa

incommoda, quæ ex necessariâ consensûs renovatione sæpè sæpiùs consequerentur; ergo, etc.

Nec dicatur hìc adesse circulum vitiosum quasi probaverimus impedimenta esse suspensiva eo quòd Ecclesia possit super his dispensare; et Ecclesiam posse dispensare quia impedimenta sunt suspensiva; nam probamus impedimenta modo suspensivo statuta fuisse, quia Ecclesia ita esse voluit; ergo nullus est circulus vitiosus.

Nota. Dispensationes in radice non nisi sub certis conditionibus conceduntur. 1.ª Est, ut adsint causæ gravissimæ et urgentissimæ. Ita Bened. XIV, de Synodo, lib. 13, cap. 21, n. 7. 2.ª *Ut conjunctio conjugum extrinsecam speciem habuerit justi Matrimonii, neque copula manifestè fuerit fornicaria;* ita idem Bened., ibid. Et ratio in promptu est; quia alioquin non est radix Matrimonii in quâ dispensetur. 3.ª Est, ut *impedimentum propter quod Matrimonium fuit irritum, nequaquàm ortum habuerit à Jure divino vel naturali.* Ita etiam Bened. XIV, ibid., cùm in his nulla humana potestas possit dispensare. 4.ª Ut prudenter judicetur conjuges in consensu ab initio præstito perseverare; si enim alteruter consensum revocasset, locus non esset dispensationi, ut per se patet.

His quæ de Matrimonii revalidatione diximus subnectere juvat Instructionem Cardinalis Legati 22 maii 1823, cujus tenor hic est:

Nos JOANNES-BAPTISTA, *Tituli Sancti Honuphrii, S. R. E. Presbyter Cardinalis* CAPRARA, *Archiepiscopus Mediolanensis, Episcopalis Ecclesiæ Æsinæ Administrator, SS. DD. Nostri* PII *Papæ VII, et Sanctæ Sedis Apostolicæ ad Primum Galliarum Reipublicæ Consulem à latere Legatus.*

Undiquè accipimus innumera propè connubia existere nulliter inita, partemque unam sæpè sæpiùs renuere in faciem Ecclesiæ sese sistere ad copulationem suam ratam, validamque coram Deo reddendam quamvis pars altera rectè disposita id velit et satagat. Animadvertentes quot mala, quotque discrimina tum fidelium animabus, tum familiarum tranquillitati ex hoc irreligioso renuentium ingenio agendique ratione immineant, in amaritudine animi nostri lacrymas fundere cogimur, et miserrimo innocentium compartium statui, in quo ægrè versari coguntur, meritò compatimur. Jamdiù officii nostri sollicitudo premitur, et plurium Episcoporum consultationes et innocentium postulata ad nos undiquè perveniunt. Verùm res difficultatibus obnoxia est; pertimescimus enim ne dùm bonum operari nitimur, aliquid mali exoriatur. Sed ut bonum assequamur et imminentia mala præcaveantur, hanc instructionem emittendam ducimus, quâ Ordinarius, in casibus particularibus hujusmodi, se haud difficilè expedire et opportunè providere poterit.

PRIMA INSTRUCTIONIS PARS.

Quoad Matrimonii renovationem, si uterque contrahens rectè disponatur.

1.° *Qui civiliter, sive coram quocunque extraneo Sacerdote, duobus saltem testibus præsentibus, aut duntaxat coram duobus testibus, consensum mutuum de præsenti exprimentes, Matrimonium inierunt, tunc temporis, cùm ad proprium Parochum seu Superiorem legitimum, aut ad alium Sacerdotem specialiter et notoriè ab alterutro licentiam habentem, quique à catholicâ unitate non recesserant, aut nullatenùs, aut nonnisi difficillimè seu periculosissimè recursum habere potuerunt, moneantur sic contrahentes de hujusmodi Matrimonii validitate et tantummodò hortentur ut nuptialem benedictionem à proprio Parocho recipiant.*

2.° *Qui verò ita contraxerunt, sed tunc temporis, cùm absque gravissima difficultate seu periculo recursus patebat ad unum ex Sacerdotibus præfatis, quive Matrimonium quomodocunquè inierunt cum aliquo dirimente impedimento absque legitimâ dispensatione aut cum dispensatione defectu legitimæ potestatis irritâ, Matrimonium servatâ formâ S. Concilii Trident. denuò contrahant.*

3.° *Si contrahentes communiter habeantur pro legitimis conjugibus et ipsimet, fortassè ex ignorantiâ invincibili, sint in bonâ fide, et absque gravis scandali seu perturbationis periculo certiorari nequeant de nullitate Matrimonii, hisce in circumstantiis in bonâ fide relinquendi sunt, quemadmodùm per Sacros Canones disponitur.*

4.° *Si contrahentes in malâ vel dubiâ fide versentur, aut si in bonâ fide existentes de nullitate Matrimonii certiorari possint absque gravis scandali seu perturbationis periculo undè locus detur Matrimonii renovationi, eorum Matrimonium in facie Ecclesiæ celebrandum est juxta modum inferiùs præscriptum.*

5.° *Si, præter clandestinitatis, aliud ecclesiastici juris obstet impedimentum, dispensatio præmittatur juxta Indultum inferiùs exaratum.*

6.° *Si nullitas Matrimonii occulta sit, seu communiter ignoretur, Matrimonium coram Parocho proprio, adhibitis saltem duobus testibus confidentibus, secretò ad vitanda scandala contrahendum est; adnotatâ deindè particulâ in secretorum Matrimoniorum libro.*

7.° *Si verò nullitas publica sit, ad scandalum removendum, Matrimonium publicè, servatâ formâ S. Concilii Trident., celebrandum est: quòd si Ordinarius, ob peculiares circumstantias, expedire judicaverit ut secretò coram proprio Parocho*

et duobus testibus potiùs celebretur, secretò celebrari poterit, dummodò tamen publicum scandalum aliâ ratione removeri possit et quamprimùm removeatur.

ALTERA INSTRUCTIONIS PARS.

Quoad rationem convalidandi Matrimonium, si ejusdem convalidationem pars una petat, et altera renuat.

8.° *Si hujus renuentia proveniat ex indispositione ad Sacramentorum Pœnitentiæ et Eucharistiæ susceptionem, paternis monitis curandum est ut renuens ritè disponatur.*

9.° *Quatenùs pars indisposita ad Sacramentorum susceptionem ita adduci non possit, et aliundè Matrimonii renovationi assentiatur, non erit illicitum ad Matrimonii celebrationem procedere, non obstante illius indispositione. Pars enim innocens et instans, attentis circumstantiis, licitè utitur jure suo: Ecclesiæ minister eidem innocenti directè et licitè reddit jus suum, et indigna renuentis susceptio ejus duntaxat indispositioni tribuenda est.*

10.° *Si renuentia oriatur ex ignorantiâ vel aliquo errore contra leges aut doctrinam Ecclesiæ circa impedimenta Matrimonium irritantia, renuens debitâ cum prudentiâ et in charitate instruatur. Et quatenùs adhuc renuat Matrimonium suum in facie Ecclesiæ convalidare, tunc*

11.° *Satagendum est ut specialem procuratorem constituat qui ejus nomine Matrimonium de more contrahat: aut saltem expresso consensu de præsente per epistolam directam proprio Parocho, vel alteri Sacerdoti Ordinarii aut Parochi licentiam habenti, Matrimonium renovetur.*

12.° *In hujusmodi Matrimonii celebratione, ratio quoque habenda est tum existentiæ alicujus impe-*

dimenti, tum Matrimonii nullitatis sive publicæ, sive occultæ, et servandæ sunt regulæ superiùs traditæ numeris 5.°, 6.° *et* 7.°

TERTIA INSTRUCTIONIS PARS.

Si hactenùs præscripta obtineri nullatenùs possint, et pars una ad celebrationem Matrimonii juxta superiùs traditâ faciendam adduci nequeat: dummodò de præsenti exhibeat consensum remanendi in Matrimonio, maturè perpensis urgentibus circumstantiis, et attentis servatisque conditionibus et formâ inferiùs præscriptis (ne obstet publicitas fornicariæ copulationis et non justi Matrimonii) ad dispensationem in radice Matrimonii, seu ad Matrimonii sanationem in radice, in casibus particularibus, deveniri posse judicamus, ut ita saltem innocentis partis animæ saluti, prolis legitimitati et familiarum tranquillitati omninò consultum sit, et quamprimùm etiam renuentis animæ saluti provideri possit.

13.° *Ordinarius uti poterit facultate apostolicâ auctoritate inferiùs demandandâ, dispensandi scilicet in radice Matrimonii seu Matrimonium in radice sanandi, postquàm tamen per indubias duorum saltem testium depositiones, aut per renuentis testimonium in scriptis exaratum, aut per ejusdem assertionem etiam ore tenùs factam ipsi Ordinario, sive alteri ecclesiasticæ personæ ab eo specialiter deputatæ et in scriptis statim redigendam, constiterit, non solùm renuentem in consensu de præsenti permanere, sed etiam hujusmodi renuentiam ab extrinsecâ causâ ita manare, ut nihil unquàm ex eâ deduci aut præsumi possit contra ipsius actualis consensûs permanentiam.*

14.° *Si Matrimonii nullitas occulta sit, Ordinarius ad sanationem seu dispensationem in radice ad evitanda scandala secretò deveniat.*

15.° *Si verò nullitas publica sit, ad publicum*

scandalum removendum, ejusmodi dispensatio seu sanatio notoriè perficiatur: aut etiam secretò, si ad aliquam præcavendam perturbationem ita Ordinario in Domino visum fuerit, dummodò tamen locus sit evulgationi peractæ Matrimonii sanationis seu dispensationis, quâ publicum scandalum congruè removeatur.

16.° *Si evulgationi ejusmodi dispensationis locus non sit, ob imminentis gravis scandali aut perturbationis periculum, prælaudatus Ordinarius per ejusmodi secretam Matrimonii sanationem seu dispensationem, innocentis compartis animæ saluti provideat, oneratâ ejusdem Ordinarii conscientiâ, ut perpensis circumstantiis et pro suâ prudentiâ modum exquirat quo etiam publicum scandalum ex Matrimonii nullitatis publicâ notitiâ existens quamprimùm removeatur. Monitis interìm Parochis, ut donec hujusmodi publicum scandalum sublatum sit, in admittendis innocentibus conjugibus ad sacramenta, ne ulla scandali præbeatur occasio, iis utantur circumspectionis regulis quæ cuique exploratæ sunt.*

17.° *Si præter clandestinitatis impedimentum, aliud Juris ecclesiastici forsitan obstet, legitima super eo præmittatur dispensatio, prout etiam cautum est n.°* 5.

18.° *Si unus vel uterque contrahens per divortium separatus sit à respectivo conjuge adhuc vivente, tradita instructio et sequens facultatum Decretum exsecutioni nullatenùs demandentur, nisi priùs et prout de jure constiterit de nullitate respectivi primi Matrimonii proveniente ex aliquo canonico impedimento, et nisi priùs ejusdem nullitatis declaratoria sententia ab Ordinario lata fuerit.*

19.° *Serventur tandem cætera de jure servanda quæ præsenti Instructioni non adversantur.*

Sequitur Decretum quo apostolicæ facultates demandantur.

De Revalidatione Matrimoniorum et Dispensationibus *in Radice*, eruditè non minùs quàm scitè disseruit unus è Parisiensibus Theologis in Opusculo cui titulum fecit : *Dissertation sur la réhabilitation des mariages*, etc.; ann. 1828, typis Tolos.

DISSERTATIO QUINTA.

DE MATRIMONIO QUATENUS EST NOVÆ LEGIS SACRAMENTUM.

Cum de Matrimonio, quatenùs est Contractus, jam satis dixerimus, restat ut de ipso, prout est Sacramentum, breviter agamus, et 1.° de existentiâ Sacramenti Matrimonii; 2.° de ejus materiâ, formâ et ministro; 3.° de subjecto et illius dispositionibus; 4.° tandem de ipsius effectibus.

CAPUT PRIMUM.

De Existentiâ Sacramenti Matrimonii.

Matrimonium esse novæ legis Sacramentum negârunt Lutherus, lib. de Captivit. Babylon., et Calvinus, lib. 4, Institut. cap. 19, contra quos sit

PROPOSITIO.

Matrimonium verum est et propriè dictum novæ legis Sacramentum.

Propositio est de fide.

Prob. Illud dogma tenendum est quod innuit

Scriptura, confirmat SS. Patrum traditio, declarat utriusque Ecclesiæ, tum Latinæ, tum Græcæ unanimis consensus : atqui Matrimonium verum esse et propriè dictum Sacramentum Scriptura innuit, confirmat, etc.; ergo, etc.

1.° Innuit Scriptura. Ephes. c. 5, ℣. 25 et seqq., ubi, postquàm Apostolus exposuit unionis conjugalis onus et officia, subjungit : *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo et in Ecclesiâ.* Porrò hæc verba satis innuunt ibi Apostolum loqui de unione quæ gratiam secum habeat annexam, ad instar unionis Christi cum Ecclesiâ; sic enim loquuntur Tridentini Patres: *Gratiam verò quæ naturalem illum amorem perficeret, et indissolubilem unitatem confirmaret, conjugesque sanctificaret, ipse Christus, venerabilium Sacramentorum institutor atque perfector, suâ nobis passione promeruit : quod Paulus Apostolus innuit, dicens : « Viri, diligite uxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro eâ ; » mox subjungens : « Sacramentum hoc magnum est, etc. »*

2.° Confirmat SS. PP. Traditio. Hujus traditionis testimonia collecta et vindicata reperies apud *Tournely, de Matrimonio,* pag. 54 et seqq.

3.° Matrimonium esse propriè dictum Sacramentum apertè declarat utriusque Ecclesiæ, tum Latinæ, tum Græcæ consensus unanimis.

1. Quidem Ecclesiæ Latinæ. In Concilio Lateranensi III, cui interfuerunt trecenti et duo Episcopi, *districtiùs inhibitum est ne pro nubentibus benedicendis, seu etiam aliis Sacramentis conferendis, aliquid pretii exigatur,* tom. 10, Conc. edit. P. Labbei, pag. 1512.

Lucius III, Summus Pontifex, sic habet : Qui de *Baptismate,... Matrimonio, vel reliquis Ecclesiasticis Sacramentis aliter sentire aut docere non metuunt, quàm Sacro-sancta Romana Ecclesia prædicat..., vinculo perpetui anathematis innodamus*. Decretal. lib. 5, pag. 1673. Concilium Constantiense, cui adfuêre trecenti et ampliùs Episcopi, definivit, Sess. 15, septem esse Sacramenta, iisque proindè Matrimonii Sacramentum annumerari. Martinus V, in Constitutione quæ ad calcem hujus Synodi exstat, præcipit ut qui in hæresis suspicionem venerunt, interrogentur *an credant quòd Christianus contemnens susceptionem Sacramentorum Confirmationis, vel Extremæ Unctionis, aut solemnisationis Matrimonii, peccet mortaliter*, tom. 12, Conc., pag. 269. Deniquè Concilium Tridentinum, Sess. 24, de Matrim., can. 1, sic pronuntiat : *Si quis dixerit Matrimonium non esse verè et propriè unum ex septem legis evangelicæ Sacramentis, à Christo Domino institutum, sed ab hominibus in Ecclesiâ inventum; neque gratiam conferre; anathema sit.*

2. In idem convenit testimonium Ecclesia Græca. Anno 1274, in Concilio Lugdunensi II, lectæ sunt litteræ Michaelis Palæologi, in quibus hæc continebantur : *Tenet etiam et docet Sancta Romana Ecclesia, septem esse Ecclesiastica Sacramenta : unum est Baptisma,... aliud est Matrimonium.... : in suprà scriptâ fidei veritate, veram, sanctam, catholicam et orthodoxam fidem cognoscimus et acceptamus*; tom. 11, pag. 966. Simeon Thessalonicensis, doctrinæ famâ apud Græcos percelebris, ita scripsit, lib. de septem Sacramentis, cap. 33 : *Septem sunt Sa-*

cramenta, quæ ab eodem Spiritu Sancto vim operandi habent, nimirùm Baptismus,... Matrimonium; apud Arcud., lib. 1 de Baptismo, cap. 2. Concilium Florentinum ann. 1439, seu potiùs Eugenius IV, in decreto ad Armenos *dato in publicâ Sessione Synodali*, hæc habet : *Novæ legis septem sunt Sacramenta, videlicet, Baptismus,.... et Matrimonium, quæ multùm differunt à Sacramentis antiquæ legis : illa enim non causabant gratiam...; hæc verò nostra et continent gratiam, et ipsam dignè suscipientibus conferunt;* Conc., tom. 13, pag. 534. Jeremias, Patriarcha Constantinopolitanus, in suâ responsione ad Lutheranos Wittembergenses qui ei Confessionem Augustanam subscribendam obtulerant, hæc scribit : *Orthodoxi in Ecclesiâ catholicâ Christiani Sacramenta numero septem admittunt, Baptismum scilicet,... et Matrimonium.* Idem dogma variis in Synodis Græci confirmârunt, maximè in Constantinopolitanâ, ann. 1638, ubi damnatus est Cyrillus Lucaris, Patriarcha Constantinopolitanus quem ab avitâ fide Protestantes abduxerant : *Anathema Cyrillo*, inquiunt Patres, *nova dogmata fabricanti, et credenti non esse, ex institutione Jesu Christi, Apostolorum traditione, praxique perpetuâ, septem Ecclesiæ Sacramenta, Baptisma videlicet,.... et Matrimonium.* De aliis Græcorum testimoniis, et de illorum ritibus hoc Sacramentum spectantibus lege, si vacat, librum D. *Renaudot*, cui titulum fecit : *La Perpétuité de la foi de l'Eglise Catholique sur les Sacremens*, lib. 6, cap. 1, 2, 3 et 4.

Itaque cùm Lutherus et Calvinus in Ecclesiam Romanam insurrexêre, fides de Sacramento Ma-

trimonii in universali vigebat Ecclesiâ; ergo vel certum de fide est quod defendimus dogma, vel Ecclesiam universalem errasse dicendum est: posterius autem sine impietate dici nequit; ergo, etc.

SCHOLIUM.

Observa nostræ conclusioni tot momentis comprobatæ nihil omninò deperire, ex eo quòd olìm nonnulli Theologi, quasi opinando, concesserint Matrimonium verum esse Sacramentum cui vis inesset gratiam conferendi; quamvis enim, ut animadvertit *Tournely*, de Matrimonio, quæst. 2.ª, art. 2, *tunc temporis res ea in se ac materialiter esset de fide, nondùm tamen distinctè ac clarè definita fuerat ab Ecclesiâ, sicut posteà fuit; undè contrarium opinari error quidem erat, sed non hæresis.*

Quæres quo tempore contractus Matrimonii evectus fuerit à Christo Domino ad dignitatem Sacramenti.

Resp. tempus incertum esse: verisimiliter tamen dici potest id factum fuisse quandò Christus Dominus, Matth. c. 19, Matrimonium revocavit ad primam suam institutionem, et voluit ut deinceps nec repudium, nec polygamia licerent; congruum enim erat ut gravitatem vinculi indissolubilis minueret ac levaret per gratiæ promissionem.

CAPUT II.

De Materiâ, Formâ et Ministro Sacramenti Matrimonii.

NOTA 1.° Tria hæc, causâ brevitatis et propter rerum affinitatem, hìc conjungimus.

Nota 2.° Certum est ad Sacramentum Matrimonii necessariò requiri 1. quòd personæ contrahentes sint habiles, seu habeant ætatem legitimam, et nullo impedimento sint implicatæ, ut suprà diximus; 2. ut illæ personæ exprimant consensum per verba de præsenti, vel per alia signa sufficientia, sicut dictum est; 3. ut Parochus, vel Sacerdos ab illo delegatus, præsens sit cum duobus vel tribus testibus, quandò ille consensus à contrahentibus exprimitur.

Nota 3.° Certum est in Sacramento Matrimonii, sicut et in aliis, aliquid tenere locum materiæ, formæ et ministri, cùm ex regulâ generali in decreto Eugenii ad Armenos contentâ, Sacramenta constent rebus tanquam materiâ, verbis tanquam formâ, et personâ ministri : incertum tamen est, quid in hoc Sacramento se habeat per modum materiæ vel formæ, quisve sit minister; et eâ de re duæ præsertìm circumferuntur in scholis sententiæ quæ breviter exponentur.

OPINIO PRIMA.

Sunt qui cum Melchiore Cano, de Locis Theologicis, lib. 8, cap. 5, asserunt 1.° materiam, vel quasi materiam Matrimonii esse actus contrahentium, quibus sibi mutuò sive per verba, sive per signa dant fidem matrimonialem, sicut, inquiunt, in Sacramento Pœnitentiæ materia, vel ut Concilia loquuntur, *quasi materia* sunt actus pœnitentis. 2.° Asserunt formam hujus Sacramenti esse verba à Parocho prolata : *Ego vos in Matrimonium conjungo, in nomine Patris,* etc., vel alia verba juxta receptum uniuscujusque Provinciæ ritum. 3.° Docent ministrum

hujus Sacramenti esse Parochum vel alium Sacerdotem ab eo delegatum.

Sic autem Canus, juxta Benedictum XIV, de Synodo, lib. 8, cap. 13, n. 2, « hanc sententiam instaurat, et validissimis sustentat argumentis : 1.° Prætérquàm quod (inquit Canus) nunquàm Patres Christianorum Matrimonium verum Sacramentum nominârunt, nisi simul meminerint sacerdotalis in illo intervenientis ministerii; certum est quodlibet Sacramentum esse opus divini cultûs et Religionis : Matrimonium autem, solis verbis viri et feminæ contractum, sine ullo ministerio Sacerdotis aliquam ponentis sacram cæremoniam, licèt rei sacræ signaculum sit, non potest tamen dici opus divini cultûs et Religionis. 2.° S. Augustinus, in Epist. ad Bonifacium tradit oportere res ipsas corporeas, quibus Sacramenta constant, imaginem et similitudinem gerere ejus sanctificationis, cujus sunt signa et causæ. Cùm autem connubiale fœdus, sine ullo sacro ritu et Sacerdotis ministerio contractum, nullam exteriùs exhibeat speciem interioris sanctificationis; consequens est ut propriè Sacramentum non sit. 3.° Concilium Florentinum docet omnia Sacramenta constare rebus tanquam materiâ, et verbis tanquam formâ : nemo autem sibi facilè suadebit formam Sacramenti Matrimonii esse verba quibus contrahentes suum exprimunt consensum, quæ merè profana sunt, atque etiam ab ethnicis usurpata. 4.° Verba quæ sunt alicujus Sacramenti forma non possunt suppleri per nutus, scripturam, aliudve signum, eorum loco substitutum; quod consideranti alia Sacramenta est manifestum : at contrahentes, si verborum loco, nutus, scripturam, aliudve sig-

num supponant, æquè Matrimonium perficiunt, ac si verbis uterentur; non igitur eorum verba sunt Sacramenti Matrimonii forma. 5.° Tandem Theologi qui tenent contrahentes esse Sacramenti Matrimonii ministros, multùm inter se dissentiunt in determinandâ ejusdem Sacramenti materiâ et formâ. Aliqui enim docuêre consensum contrahentium exterioribus signis expressum esse materiam; verba verò à Christo Domino semel prolata, Matth. c. 19: *Propter hoc dimittet homo patrem et matrem suam, et adhærebit uxori suæ*, esse formam pro omnibus fidelium Matrimoniis. Alii opinantur verba unius contrahentis, qui primò suum præstat consensum esse materiam, et verba secundò proferentis esse formam per quam prima determinantur ad constituendum contractum et Sacramentum. Alii existimant consensus utriusque contrahentis, verbis seu signis manifestatos, esse formam; corpora esse materiam remotam, eorumque traditionem et acceptationem esse materiam proximam. Alii dicunt contrahentium verba seu signa, prout sunt traditio corporum, esse materiam; ut verò significant et causant personalem obligationem in utroque contrahente, esse formam. Alii demùm magìsque communiter defendunt utrumque contrahentis consensum verbis seu signis expressum, esse materiam simul et formam, sed sub diversâ consideratione: est enim materia quatenùs significat corporum traditionem; est forma quatenùs mutuam exhibet eorumdem acceptationem: jam verò, inquit Canus, nonne tanta, in re gravissimâ, varietas et dissonantia haud leve indicium est falsitatis hujus opinionis; ergo, concludit, teneamus oportet Sacramenti Matrimonii minis-

trum esse Sacerdotem; formam esse benedictionem seu sacra verba, quibus ille conjugibus benè precatur; materiam verò esse contractum ab ipsismet contrahentibus mutuo consensu perfectum. Hanc Cani opinionem sunt posteà secuti Sylvius, Estius, *Juenin*, *Serry*, *Duhamel*, *Tournely*, *L'Herminier*, *Gibert*, et alii. »

II. OPINIO.

Eorum est qui tenent materiam remotam Sacramenti Matrimonii esse personas contrahentium, proximam verò materiam esse mutuum consensum verbis expressum, quo partes mutuò sese invicem donant, seu mutuam suî donationem ad fines Matrimonii faciunt. Juxta hanc sententiam, forma Matrimonii est mutua ac reciproca acceptatio talis donationis per verba vel signa expressa. Juxta eamdem sententiam ipsi contrahentes sunt ministri Sacramenti Matrimonii.

« Hanc sententiam propugnant, pergit Benedict. XIV, loc. cit., n. 3, ferè omnes antiqui Theologi, Jurisque canonici interpretes quos citant et sequuntur Vasquez, Sanchez, Theophilus Raynaudus, Frassen, Cardinalis de Lauræa, Cardinalis Gottus, Van-Espen, *Simonnet*, auctor Theologiæ moralis ad usum Seminarii Petrocorensis, Merbesius, *Pontas*, aliique non pauci.

1.um Itaque suæ opinionis argumentum in hunc modum instaurant : Indubitatum est Matrimonia clandestina, quæ saltem aliquot ante Tridentinum seculis inita sunt, *rata et vera esse Matrimonia;* id quippè disertè declarârunt ipsimet Tridentini Patres, cap. 1, de Reform. Matrim. : idem etiam dicendum est de Matrimoniis

clandestinis quæ etiamnùm contrahuntur in locis in quibus decretum Concilii Tridentini nunquàm fuit promulgatum. Jam autem nunquàm Tridentini Patres ista clandestina Matrimonia *vera ac rata* conjugia dixissent et declarassent, nisi credidissent ea esse vera Sacramenta : uti enim perpendit Bellarminus, sapientissimis illis Patribus notum erat, à Sacris Canonibus, quibus suum loquendi modum conformasse est præsumendum, ea tantùm Matrimonia dici *vera ac rata,* quæ non solùm sunt contractus civiles, sed etiam Sacramenta Religionis : quòd potissimùm discimus ab Innocentio III, *in cap. Quanto, de Divortiis*, ubi ait : *Etsi Matrimonium verum inter infideles existat, non tamen est ratum : inter fideles autem verum et ratum existit, quia Sacramentum fidei, quod semel est admissum, nunquàm amittitur, sed ratum efficit conjugii Sacramentum.* Porrò, si semel evincitur, Matrimonium sine Sacerdotis præsentiâ clanculùm contractum, aliquandò fuisse, et alicubi nunc quoque esse Sacramentum, necessariò indè conficitur illius ministros esse contrahentes, et non Sacerdotem.

2.um Argumentum sic proponunt : Si Sacerdos esset minister Sacramenti Matrimonii, verba ab eodem prolata : *ego vos conjungo,* etc., essent ejusdem Sacramenti forma ; quod ultrò concedunt Doctores Cano adstipulantes. At, inquiunt adversarii, nec ea verba, nec alia illis æquivalentia, semper atque ubique adhibita fuêre, neque eadem aut illis similia inveniuntur in omnibus Ritualibus, quemadmodùm testatur *Martenne*, de antiq. Eccles. ritib., tom. 2, lib. 1, cap. 9, art. 3, num. 6, inquiens : *Inaudita apud eos* (majores nostros) *erant illa verba Parochi : ego*

vos conjungo, etc..., in quibus aliqui ex recentioribus Scholasticis formam hujus Sacramenti constituunt; quæ tamen desiderantur in duobus antiquis Ritualibus Mss. Beccensis monasterii, in Pontificali Senonensi annorum 300, *in antiquo Rituali Bituricensi et in aliis penè omnibus Ritualibus quæ à nobis posteà exhibebuntur.* Additque *Simonnet* alicubi hæc tantùm verba à Sacerdote fuisse pronuntiata : *Quod Deus conjunxit, homo non separet :* quæ certè nihil commune habent cum illis, *Ego vos conjungo, etc.;* et quamvis Tridentinum, cit. loc., hanc posteriorem formulam indicaverit, quamcunque tamen aliam, juxta cujuslibet regionis usum, adhiberi permisit : *vel aliis utatur verbis, juxta receptum uniuscujusque Provinciæ ritum.* Tantam porrò varietatem Ecclesia non tolerasset, multòque minùs cujuslibet Provinciæ arbitrio permisisset, si existimasset, per verba à Sacerdote prolata confici Sacramentum Matrimonii. »

3.° Suam hanc opinionem ratione ita confirmant : Materia, forma et minister Matrimonii debent esse similes materiæ, formæ et causæ efficienti aliorum contractuum, cùm Sacramentum Matrimonii nihil sit aliud quàm contractus matrimonialis inter Christianos validus, ad Sacramenti dignitatem à Christo evectus : atqui materia remota aliorum contractuum consistit in rebus traditis, proxima verò in earum traditione; forma autem consistit in mutuâ acceptatione verbis expressâ, et causa efficiens sunt ipsi contrahentes qui consensum suum præstant; ergo similiter in hoc Matrimonii Sacramento, materia remota sunt personæ contrahentium quæ donantur; materia proxima est ipsa traditio personarum; forma verò

est acceptatio mutua verbis expressa : ministri deniquè sunt ipsi contrahentes, qui consensum adhibent et materiam ac formam applicant.

« Utriusque opinionis solidiora fundamenta innuimus, concludit idem Benedict. XIV, loco cit., n. 9, non animo quemquam inducendi ad unam, aut alteram amplectendam; sed ut Episcopis sit persuasum utramque esse probabilem, suosque habere magnæ auctoritatis patronos : atque indè non decere discant ut ipsi judicis partes assumant, quæstionemque definiant, de quâ Ecclesia nihil hactenùs pronuntiavit, sed Theologorum disputationi permisit. »

SCHOLIUM.

Ex dictis incertum est quid præcisè in Sacramento Matrimonii rationem materiæ vel formæ habeat, quisve sit hujus Sacramenti minister. Hinc duo sequuntur in praxi omninò tenenda : 1.um Sacerdotes in statu gratiæ esse debent cùm nuptialem benedictionem sponsis impertiuntur; forsan enim Sacerdos est Sacramenti hujus minister : in dubio autem tutior pars est eligenda. 2.um Nuptialis benedictio : *Ego conjungo vos*, etc., à fidelibus, cùm Matrimonium contrahunt, semper est suscipienda; namque dubitatur etiam an hæc benedictio sit forma hujus Sacramenti. Prætereà, etsi non foret Sacramenti Matrimonii forma, est saltem ritus antiquissimus et sacer à primis Ecclesiæ seculis in Matrimoniis fidelium usurpatus : *Undè sufficiamus*, aiebat Tertull., lib. 2, ad Uxorem, cap. 8, *ad enarrandam felicitatem hujus matrimonii quod Ecclesia conciliat, et confirmat oblatio, et obsignat benedictio.* Et lib. de Pudicitiâ, cap. 4 : *Ideò penes nos*

occultæ quoque conjunctiones, id est, non priùs apud Ecclesiam professæ, juxta mœchiam et fornicationem judicari periclitantur. Evaristus Papa, seu canon *Aliter* 30, quæst. 5, sic habet : *Aliter legitimum non fit conjugium..., nisi sacerdotaliter, ut mos est, cum precibus et oblationibus à Sacerdote benedicatur..; ita peracta, legitima scitote esse connubia : aliter verò præsumpta, non conjugia, sed adulteria, vel contubernia, vel stupra, aut fornicationes.* His verò aliisque penè innumeris Patrum et Conciliorum testimoniis (quæ legi possunt apud Gibertum opere suprà citato, tom. 1) inhærens Concilium Tridentinum, benedictionem nuptialem præscripsit cap. 1, de Reform. Matrim. Nec certè licet, in re tanti momenti, ab Ecclesiæ usu et praxi recedere.

Cæterùm, quia istud argumentum fusiùs prosequi non sinunt præscripti nobis limites, lege opus ab uno è Parisiensibus Theologis elaboratum, quod inscribitur : *Examen du pouvoir législatif de l'Eglise sur le Mariage*, pag. 138 et seqq.

CAPUT III.

De Subjecto et illius Dispositionibus.

ARTICULUS PRIMUS.

De Subjecto Sacramenti Matrimonii.

PROPOSITIO.

Illi omnes et soli possunt suscipere Matrimonii Sacramentum, qui sunt baptizati, et Jure habiles ad contrahendum.

Prob. Etenim Matrimonium in novâ lege est

simul Contractus et Sacramentum, ut jam dictum est: porrò, prout est Sacramentum, requirit Baptismum in suscipiente, cùm Baptismus sit janua Sacramentorum; quatenùs verò est contractus, exigit in contrahentibus habilitatem ad contrahendum; ergo, etc.

Dixi 1.°, *soli baptizati*, quia Matrimonia inter non baptizatos, quamvis sint legitima in ratione contractûs, non tamen sunt Sacramenta; quia cùm careant Baptismo, non habent capacitatem recipiendi alia Sacramenta.

Dixi 2.°, *habiles ad contrahendum*, id est, qui ad hoc sufficientem habent usum rationis, neque à legibus impediti sunt. Undè qui non habent ætatem à jure præscriptam, Matrimonium contrahere non possunt; sicut nec amentes, nec consanguinei, nec affines in gradibus prohibitis, nec sacris Ordinibus initiati, ut suprà dictum fuit.

Dixi 3.°, *omnes baptizati habiles*: undè, saltem in sententiâ quæ docet contrahentes esse ministros, Matrimonia hæreticorum sunt verè Sacramenta, quamvis ipsi negent Matrimonium èsse Sacramentum, dummodò tamen verè Matrimonium contrahere velint, et facere quod in Ecclesiâ Christianâ fieri solet. Deindè communiter censent Doctores Matrimonia inter baptizatos absentes per procuratorem validè contracta, esse vera Sacramenta. Ratio est, quia veri sunt contractus matrimoniales. Atqui Christus Dominus quemcunque validum matrimonialem contractum inter baptizatos initum, ad dignitatem Sacramenti evexit; ergo, etc. Advertes tamen Matrimonia per procuratores celebrari non posse, nisi sub certis conditionibus, et ex licentiâ Episcopi.

ARTICULUS II.

De Subjecti Dispositionibus.

PROPOSITIO PRIMA.

Matrimonium contrahentes debent esse in statu gratiæ.

Prob. Etenim matrimonium est Sacramentum vivorum, ideòque prærequirit in suscipiente gratiam habitualem et sanctificantem. Undè Concilium Trid. Sess. 24, cap. 1, de Reform. Matrim., sic loquitur : *Postremò Sancta Synodus conjuges hortatur, ut antequàm contrahant..., sua peccata diligenter confiteantur, et ad sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum piè accedant.* Undè monendi sunt fideles, ut aliquo tempore ante Matrimonium peccata sua diligenter confiteantur, et sic ad Sacramenti gratiam suscipiendam parati ac dispositi inveniantur. Præterea Parochi monere debent fideles, quòd defectu hujus dispositionis infausta solent esse Matrimonia, et ex his varia nascuntur incommoda, animarum damna, conjugum discordia, prava liberorum educatio ac demùm Reipublicæ christianæ pernicies.

PROPOSITIO II.

Matrimonium contrahentes tenentur scire rudimenta Fidei, Symbolum Apostolorum, Orationem Dominicam, præcepta Dei et Ecclesiæ, et ea omnia quæ ad Sacramenta suscipienda necessaria sunt.

Prob. Filios enim suos ea deindè docere tenentur : undè necessarium est quòd ipsi ea sciant,

præterquàm quòd hæc omnia ad salutem propriam necessaria sunt; itaque Parochi, si opus est, debent contrahentes de istis interrogare, ut præscribitur in multis Ritualibus.

Propterea contrahentes scire tenentur ea quæ ad statum conjugalem pertinent, nempè sanctè Matrimonio uti, liberosque christianè educare. De cæteris ad illud Sacramentum ritè suscipiendum dispositionibus, legatur Rituale, pag. 305.

CAPUT IV.

De Effectibus Sacramenti Matrimonii.

PROPOSITIO.

Sacramentum Matrimonii, sicut et alia novæ legis Sacramenta, gratiam confert. Est de fide.

Prob. ex Conc. Trident., Sess. 24, can. 1: *Si quis dixerit Matrimonium non esse verè et propriè unum ex septem legis evangelicæ Sacramentis....; neque gratiam conferre; anathema sit.*

Porrò hæc gratia Sacramentalis duo includit: 1.° gratiam sanctificantem secundam, seu augmentum gratiæ habitualis; 2.° jus ad recipienda specialia auxilia gratiæ, tempore opportuno. Illa autem auxilia ad duplicem finem diriguntur: 1. ut conjuges sese mutuo, casto ac fideli amore diligant, et fidem ac castitatem conjugalem servent, tum etiam ut Matrimonii onera æquanimiter et modo utili ad salutem ferant; 2. ut christianè se gerant in liberorum procreatione, et in sanctâ eorum educatione officium suum rectè ac debitè expleant. Parochus autem sedulò admonebit

admonebit fideles sibi commissos ut propter hos præsertìm fines Matrimonium ineant.

DISSERTATIO ULTIMA

DE OFFICIIS MATRIMONII.

In *nuptiis*, inquit S. August. lib. 1 de Nuptiis et Concupiscentiâ, cap. 17, *bona nuptialia diligantur, proles, fides, Sacramentum*; quibus bonis respondent tria præcipuè Matrimonii officia.

1.um Est officium fidei, seu fidelitatis mutuæ, quâ conjuges sibi invicem debitum conjugale reddere tenentur, et vitare omne commercium carnale alienum: 2.um officium est prolem amanter suscipiendi, benignè nutriendi, et religiosè educandi: 3.um est officium Sacramenti, seu vinculi indissolubilis, quo ita sibi invicem alligantur conjuges, ut neutri, altero superstite, liceat ad alias nuptias convolare. Illud autem vinculum dicitur Sacramentum ob sacram significationem quam habet, scilicet unionis Verbi cum humanitate, vel conjunctionis Christi cum Ecclesiâ.

De officiis conjugum quæ vinculum spectant suprà diximus, ubi de unitate et indissolubilitate Matrimonii; de iis verò quæ ad prolem attinent agimus in *Tractatu de Decalogo* et aliis in locis. Superest itaque ut de officiis seu obligationibus fidem conjugum spectantibus hic disseramus. Dicemus 1.° de obligatione fidelitatis inter conjuges servandæ, et reddendi sibi invicem debitum conjugale; 2.° de causis à reddendo debito conjugali excusantibus.

CAPUT PRIMUM.

De Obligatione Fidelitatis inter conjuges servandæ.

Duo includit hæc obligatio, totidem propositionibus exponenda.

PROPOSITIO PRIMA.

Quilibet conjugum tenetur ex justitiâ, ac sub peccato mortali, vitare non solùm omne commercium carnale, sed et omnem tactum venereum cum alienâ personâ, ut sunt tactus, oscula, vel eorum desiderium, delectatio venerea, pollutio voluntaria, et omnia luxuriæ peccata.

Prob. ex Script. Rom., c. 7, ℣. 3 : *Mulier vivente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro.* Et I Cor. c. 7, ℣. 4 : *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir : similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.* Undè illud peccatum est crimen adulterii, aut ad illud refertur, quod præter luxuriæ malitiam, includit et aliam, scilicet, injustitiæ et infidelitatis contra fidem tori conjugalis.

PROPOSITIO II.

Quilibet conjugum tenetur pariter ex justitiâ et sub mortali peccato, debitum conjugale reddere alteri conjugi expressè vel tacitè postulanti, nisi legitima interveniat denegandi causa.

Prob. ex Script. I Cor. c. 7, ℣. 3, ubi præcipit Apostolus ut *Uxori vir debitum reddat : simi-*

liter autem et uxor viro; et rationem affert ℣. 4, quia *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.* Et ideò sibi invicem denegare non possunt debitum conjugale sine injustitiâ et infidelitate, eâque mortali, quia res est per se gravis : et quamvis una vel altera recusatio, præsertìm altero non multùm instante, videri possit materia levis, sæpè tamen talis non est; quia sæpè periculum incontinentiæ adest in postulante. Hinc colligunt Doctores peccare conjuges contra fidem Matrimonii, qui mediis illicitis, v. g., pollutionibus et adulteriis, se reddunt impotentes ad satisfaciendum debito conjugali.

Dixi 1.° in propositione, *conjugem teneri reddere debitum alteri conjugi;* quia, per se loquendo, petere neuter tenetur, sed quisque cedere potest suo jure.

Dixi 2.° *alteri conjugi expressè vel tacitè postulanti;* quia non est obligatio reddendi debitum, nisi petatur : nihil autem refert, ait S. Thomas, an petatur verbis vel signis : ideò si conjux cognoscat alterum conjugem tacitè petere, vel esse in periculo incontinentiæ, tenetur illum prævenire.

Dixi 3.° *nisi legitima causa denegandi interveniat;* quia, secundùm multos, obligatio reddendi debitum conjugale non est tanta, quin cessare possit ob varias causas in sequenti capite explicandas.

CAPUT II.

De Causis à reddendo matrimoniali Debito excusantibus.

TRIPLEX assignatur causa, triplici articulo exponenda.

ARTICULUS PRIMUS.

De primâ Causâ excusante à redditione Debiti Matrimonii.

Prima causa excusans à reddendo debito alteri conjugi postulanti, sumitur ex parte ipsius petitionis debiti, idque maximè in sequentibus casibus.

1.° Si petitio non fiat humano modo seu libero, sed, v. g., in ebrietate vel amentiâ; tunc debitum potest negari, imò sæpè non erit licitum reddere, v. g., si timeatur periculum abortûs, vel aliud grave damnum; putà si ipsa mulier sit furiosa.

2.° Si petitio debiti conjugalis non fiat seriò et instanter tanquam rei ex justitiâ debitæ, tunc non erit grave peccatum recusare, secluso tamen incontinentiæ periculo respectu petentis.

3.° Si ipsa petitio sit immoderata spectatis circumstantiis, v. g., spectatâ sanitate, ætate conjugum, etc., erit causa sufficiens aliquandò denegandi debitum, dummodò non adsit incontinentiæ periculum in conjuge postulante.

4.° Cessat obligatio reddendi debitum ratione alicujus circumstantiæ, quæ se tenet ex parte ipsius actûs conjugalis, v. g., si petitio sit illicita, v. g., quia petitur modo illicito sodomiam

redolente, vel si indè oriatur periculum impediendi conceptionem prolis.

5.° Cessat etiam illa obligatio, si petitió debiti conjugalis sit illicita ob circumstantiam loci, v. g., publici, undè scandalum oriretur; quamobrem omninò cavere debent conjuges ne coram liberis aut domesticis quidquam minùs honestum agant; similiter non licet reddere debitum in loco sacro, quia esset sacrilegium.

Adverte quòd si petitio debiti sit solùm illicita ob circumstantiam solius personæ petentis, v. g., quia petens habet pravum finem, vel quia impeditus est petere per votum simplex castitatis, vel propter affinitatem illicitam post Matrimonium contractam, tunc, juxta opinionem satis communem, conjux innocens potest licitè reddere debitum, si non possit commodè negare, quia si posset negare absque timore odii, indignationis et incontinentiæ alterius conjugis peccantis mortaliter in petitione actûs conjugalis, tunc teneretur præcepto correctionis fraternæ conscium conjugem avertere à tali petitione, quia lex charitatis obligat ad retrahendum proximum à peccato, ubi sine magno incommodo fieri potest.

At quæres utrùm pia uxor permittere possit ut suus maritus ad eam accedat, postquàm experientià ipsi constiterit eum, more nefando, *Onan* se gerere; præsertim si uxor, denegando debitum, sese exponat periculo mortis, verberorum, aut aliarum gravium sævitiarum.

Resp. Hanc quæstionem solvendam esse juxta principia stabilita in *Tractatu de Præceptis Decalogi*, part. 2, cap. 1, sect. 3, art. 4, § 3, propos. 2; ibi require.

Hinc, cùm in proposito casu mulier, è suâ

quidem parte, nihil contra naturam agat, detque operam rei licitæ, tota autem actûs inordinatio ex viri malitiâ procedat, qui loco consummandi, retrahit se, et extra vas effundit; ideò si mulier, post debitas admonitiones, nihil proficiat, vir autem instet, minando verbera, aut mortem, aut alias graves sævitias, poterit ipsa citra peccatum passivè se præbere; cùm in his rerum adjunctis ipsa viri sui peccatum simpliciter permittat; idque ex gravi causâ quæ eam excusat, quoniam charitas quâ illud impedire teneretur, cum tanto incommodo non obligat.

Ita probati docent Theologi, præsertìm Sanchez, Basilius Pontius, et alii quos citat et sequitur B. Ligorius, lib. 6 de Matrimonio, n. 947.

ARTICULUS II.

De secundâ Causâ excusante.

Secunda causa excusans à redditione debiti conjugalis, est damnum ipsorum conjugum, vel alterutrius ex illis, vel ipsius prolis.

1.° Itaque communiter docent Theologi, si grave periculum vitæ, vel damnum sanitatis notabile immineat ex actu conjugali vel duobus conjugibus, vel alterutri, tunc non esse obligationem reddendi debitum, imò nec licitè peti aut reddi posse. Ratio est, quia cùm conjuges non habeant dominium propriæ vitæ, hinc est quòd magìs teneantur ad moderatam vitæ suæ conservationem, quàm ad usum conjugii : undè, v. g., si mulier, judicio medicorum vel propriâ experientiâ, sciat se non posse parere sine propriæ vitæ periculo, non tenetur reddere debitum conjugale : sed quamvis, secundùm multos, possit et

petere et reddere, nunquàm tamen potest pharmacum sumere conceptionis impeditivum, vel fœtum jam conceptum expellere.

Similiter excusantur, si alter conjugum morbo laborat, aut judicio medicorum non possit sine magno suæ sanitatis damno, aut sine alterius infectione, v. g., quia peste laborat, non potest petere, imò nec reddere debitum conjugale.

2.° Tunc non est obligatio reddendi debitum, si judicio medicorum, vel aliter constet et redditione debiti imminere fœtui jam concepto abortûs periculum; in illo enim casu est peccatum mortale petere vel reddere debitum, quia tunc esset primario fini Matrimonii contrarium.

Quæres 1.° Utrùm denegari possit debitum conjugale, ne proles multiplicetur.

Resp. paupertatem vel multitudinem liberorum non excusare à reddendo debito conjugali; sed in eo casu possunt conjuges, si velint, mutuo consensu abstinere ab usu conjugii, ut docent communiter Doctores, dummodò absit periculum incontinentiæ.

Quæres 2.° An temporibus menstrui fluxûs, graviditatis, et puerperii, debitum petere, aut saltem reddere liceat.

Resp. 1.° ex communiori Doctorum sententiâ, culpam esse, regulariter loquendo, venialem iis temporibus petere debitum. Probaturque ex S. August., lib. 3 contra Julian., cap. 21 : *Pudicitia conjugalis*, inquit, *nec menstruatis, nec gravidis utitur feminis*. Et ex S. Greg., cap. *Ad ejus*, dist. 5 : *Nisi purgationis tempus priùs transierit, viris suis non debent admisceri.* Ita et S. Thom. in 4, dist. 31, ac S. Antonin. Ratio autem est quòd his in circumstantiis concu-

bitus sit indecens, et minùs congruat generationi ac bono prolis. Si verò ex tali congressu grave damnum esse rationabiliter timendum propria doceat experientia, putà si probabile sit indè secuturam fœtûs etiam inanimati ejectionem, aut infantem necdum ablactatum vitiato lacte graviter debilitatum iri, tunc esset peccatum mortale.

Dixi, *regulariter loquendo*, quia si fluxus in muliere esset quasi perpetuus et nimis diuturnus aut aliàs viro grave periculum immineret incontinentiæ, quod vix aliter amoveri posset, tunc petitio debiti videtur excusari posse à culpâ, excluso tamen suprà memorato abortûs, alterius damni periculo.

Resp. 2.° in prædictis casibus, modò absit utiquè dictum periculum, citra omnem culpam debitum reddi posse, si petens, præmissæ monitioni non acquiescens, debiti redditionem urgeat; reddentem enim excusat necessitas gravioris mali in comparte vitandi.

ARTICULUS III.

De tertiâ Causâ excusante.

Tertia causa excusans à redditione debiti conjugalis, est impedimentum aliquod Matrimonio utendi. Illud autem impedimentum vel præcessit Matrimonium, vel supervenit Matrimonio jam contracto. De utroque seorsìm agendum est.

§ I.

De Impedimento antecedente Matrimonium.

Quoad impedimentum antecedens Matrimo-

nium, vel est certum vel dubium: si sit certum, dicendum est quòd ille qui moraliter certus est Matrimonium suum esse invalidum propter aliquod impedimentum dirimens, nullo modo potest nec petere nec reddere debitum sine peccato mortali ante revalidationem Matrimonii; quia alioquin scienter accederet ad non conjugem, ac proindè certissimè peccaret peccato fornicationis, quod nunquàm licitum esse potest, etiam quamvis compellatur à Judice ecclesiastico ad redditionem debiti per excommunicationem, et quamvis gravissima incommoda sint secutura, scandala et etiam vitæ periculum. Nec obstat quòd conjux ignorans impedimentum, petat bonâ fide; huic enim reddere debitum esset fornicatio formalis ex parte cognoscentis impedimentum: debebit igitur conscius impedimenti, eo meliori modo quo poterit, citiùs procurare dispensationem, et interim donec obtinuerit debet abstinere ab omni usu conjugii sub aliquo prætextu quem prudentia suggesserit, v. g., piam quamdam peregrinationem suscipere.

Si verò illud impedimentum quod Matrimonium præcessit, dubium sit; dico quòd conjux dubius de validitate Matrimonii, non potest ante adhibitam diligentiam et sufficientem inquisitionem veritatis petere debitum conjugale, quia se exponeret periculo fornicationis; sed tamen tenetur illud reddere conjugi non dubitanti, ut habetur cap. *Inquisitioni*, de Sententiâ excom.

Ratio est, quia conjux non dubitans habet jus petendi, quo privari non potest propter dubium alterius, donec constet Matrimonium esse invalidum: hæc tamen obligatio quam habet dubitans reddendi debitum non dubitanti, non intel-

ligitur in primo bimestri post Matrimonium non consummatum, quia in hoc bimestri conjuges habent jus deliberandi, an monasterium ingredi debeant, necne, et sic eo tempore non tenentur reddere debitum, ut patet ex titulo *de Conversione conjug.*: undè cùm eo tempore reddere debitum non teneantur, ideò conjux dubitans de valore Matrimonii, non potest reddere debitum ob periculum fornicationis.

At verò post adhibitam diligentiam, si dubium vinci non potest, tunc examinandum est utrùm dubitans de valore Matrimonii contraxerit Matrimonium bonâ vel malâ fide; si contraxerit malâ fide, id est, si ante Matrimonium dubitabat de validitate futuri Matrimonii propter aliquod impedimentum, et non obstante tali dubio contraxit; certum est, perseverante eodem dubio, etiam post adhibitam diligentiam non posse petere debitum, sed tamen reddere tenetur. Si verò bonâ fide, id est, nullo modo dubitans de valore futuri Matrimonii contraxit Matrimonium, tunc si post adhibitam diligentiam dubium adhuc perseveret, jùxta multos Doctores, potest non solùm reddere, sed etiam petere debitum.

Ex quibus colligitur, quòd si uterque conjux dubitat de valore Matrimonii, tunc neuter potest petere aut reddere, nisi post adhibitam diligentiam dubium deponant: si verò post adhibitam diligentiam dubium adhuc perseveret, tunc etiam attendendum est utrùm contraxerint bonâ vel malâ fide: si malâ fide contraxerint, nunquàm reddere nec petere possunt debitum conjugale: si verò bonâ fide contraxerunt, tunc petere et reddere possunt secundùm sententiam satis communem.

§ II.

De Impedimento subsequente Matrimonium.

Quod spectat impedimentum superveniens Matrimonio jam contracto, advertendum quòd quadruplex esse potest; 1.° votum castitatis; 2.° affinitas; 3.° cognatio spiritualis; 4.° deniquè adulterium.

Et 1.° quidem si Matrimonio jam contracto superveniat votum castitatis ab utroque conjuge emissum, certum est neutrum posse debitum petere vel reddere : si verò ab uno tantùm emissum sit votum, altero nesciente, potest ille qui votum emisit debitum reddere, sed non potest petere : conjuge autem mortuo, vel consentiente, vel dante causam divortii, tenebitur omnimodè servare castitatem, quia tunc cessat obligatio reddendi debitum. Si autem conjux, de alterius consensu, votum emisit omnimodæ et absolutæ castitatis, id est, neque petendi neque reddendi debiti, alius censetur renuntiasse juri suo, ac proindè nulla erit in vovente obligatio reddendi debitum, et consequenter non poterit illud petere aut reddere.

2.° Si post contractum validè Matrimonium superveniat inter conjuges impedimentum affinitatis, putà, quia unus ex illis carnale commercium habuit cum personâ consanguineâ alterius conjugis in primo aut secundo gradu, ultra quem gradum hodiè post Conc. Trid. non extenditur affinitas orta ex commercio illicito ; in illo casu reus tenetur quidem debitum reddere conjugi innocenti, sed non potest petere, nisi dispensationem ab Episcopo obtinuerit : si verò uterque conjux sit reus, v. g., quia ex utriusque consensu

crimen commissum fuit, neuter poterit petere aut reddere, ut colligitur ex variis textibus Juris canonici.

3.° Si post contractum validè Matrimonium, superveniat impedimentum cognationis spiritualis, quia scilicet, alter conjux communem filium baptizavit scienter et absque ullà necessitate, tunc baptizans privatur jure petendi debitum, sed reddere tenetur, ut alibi diximus.

4.° Deniquè, si superveniat adulterium, tunc constat conjugem innocentem non teneri debitum reddere adultero, quia per adulterium soluta est ab obligatione reddendi.

Adverte tamen quòd conjux adulter, quandiù latet adulterium, non tenetur seipsum prodere, donec innocens post cognitionem adulterii debitum deneget, si velit; nam conjugi innocenti licitum est exigere et reddere.

Nonnulla distinctiùs explicanda supersunt de peccatis conjugum in usu vel extra usum Matrimonii.

1.° Certum est usum Matrimonii debitis in circumstantiis ex generationis aut justitiæ fine exercitum, esse licitum et honestum; patet ex dictis.

2.° Probabiliùs videtur copulam carnalem solius incontinentiæ propriæ vitandæ causâ habitam ne veniale quidem peccatum esse. Ratio est quia Matrimonium est à Deo institutum non solùm ad prolem procreandam, sed etiam in remedium concupiscentiæ, ut probatur tum ex Apostolo, I Cor. c. 7, ℣. 2 : *Propter fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat et unaquæque suum virum ;* tum ex Catechismo Concilii Trident. 2.ª part. cap. 8, n. 15; tum ex auctoritate S. Antonini et aliorum Theologorum quos

laudat et sequitur B. Ligorius, de Matrimonio, cap. 1, dub. 2, n. 88.

3.° Matrimonii usum exercere solius voluptatis intuitu, est peccatum veniale; ita S. Aug. lib. 1, de Nupt. cap. 15; et ratio est, quia talis finis non est honestus. Sicut enim temperantiæ opponitur licitis cibis uti præcisè ad voluptatem, ita et licitam adhibere copulam ex eodem motivo.

Dixi autem *peccatum veniale*, quia scilicet venerea illa voluptas quæ extra nuptias foret lethale peccatum, per nuptias efficitur culpa solùm venialis.

4.° Peccant mortaliter conjuges, 1. si copulam habeant, etiamsi noverint eam graviter nocere valetudini sive petentis, sive reddentis; tunc enim se habet ut peccatum gulæ, quod in pari casu lethiferum est. 2. Quandò accedunt cum animo fornicario, id est, sic affecti ut optent coïre cum alienâ personâ. 3. Cùm exercetur actus conjugalis vel in loco sacro, vel coram aliis. Atque hìc potissimùm invigilare sibi debent pauperes, qui sub eodem tecto unâ cum pueris degunt. 4. Cùm sodomiticè conveniunt; neuter enim jus habet nisi in copulam ad generationem aptam. Neque etiam licitum est quovis motivo copulam in vase indebito inchoare, cum animo eam in naturali vase consummandi, est enim actus ille criminis sodomitici inchoatio, adeòque grande scelus. 5. Si, servato vase debito, non servetur naturalis concumbendi modus, cum periculo perdendi seminis, putà si vir accedat tergo vel succumbat. In hoc tamen non erit culpa si, citra periculum effusionis, corporis dispositio non alium patiatur situm. 6. Cum generationem impediunt, aut conceptam extinguunt prolem. 7. Cùm

vir retrahit se, vel completè non seminat in vase; exterior quippè seminis effusio non differt à pollutione. 8. Cùm mulier susceptum semen de industriâ ejicit aut ejicere conatur; vel proprium semen de industriâ privatìm effundit.

5.° Circa tactus obscenos et aspectus inter conjuges, tenendum est, 1. tactus qui citra pollutionis periculum adhibentur ut necessarii ad copulam verè maritalem, ab omni culpâ esse immunes; cùm enim copula ipsis licita sit et honesta, licitum est similiter quod ad eam excitat et disponit. 2. Si præcisè fiant majoris causâ voluptatis, quamvis ordinentur ad copulam, sunt culpa venialis. 3. Mortaliter mali sunt, quoties cum proximo pollutionis periculo fiunt. 4. A mortali peccato excusari non possunt quidam tactus maximè infames, in quibus fœda nimis disproportio inter membrum tangens et tactum, etiam si fiant intuitu proximæ sequentis copulæ, quia certa sunt dominantis prorsùs libidinis indicia, quæ cum castâ Dei super omnia dilectione non cohæret. 5. De ordinariis tactibus, qui ad copulam ordinari possent, nec ad eam tamen ordinantur, sed ad solam voluptatem exercentur, disputant inter se Theologi; alii volunt in illis solam subesse venialem culpam, propter bonum nuptiarum; alii judicant et inesse mortalem, quia quod conjugum unus in corpore suo sine scelere facere nequit, neque hoc efficere potest in alieno corpore quamvis conjugii jure suum sit, cùm suum non sit nisi in ordine ad munera Matrimonii et justæ generationis fines: atqui conjux alter semetipsum sine gravi peccato impudicè tangere nequit, ut in se suscitet voluptatis venereæ sensum et in eo conquiescat; ergo, etc.

Sciant ergo conjuges, ut monet Apost. I Thess. c. 4, ℣. 4 et 5, *Vas suum possidere in sanctificatione et honore, non in passione desiderii, sicut et gentes quæ ignorant Deum.*

Et hic tandem sit finis Tractatùs. Utinam nobis Clericis merito et professione castitatis sic detur inchoare canticum virginum in hâc vitâ, ut illud in æternum cantare possimus!

FINIS TOMI QUARTI.

INDEX TOMI IV.

TRACTATUS

DE SANCTISSIMA EUCHARISTIA.

PARS PRIMA.

De Eucharistiæ Sacramento.

De *Nominibus, figuris et Definitione Sacramenti Eucharistiæ.* Pag. 5
CAPUT PRIMUM. *De Existentiâ Eucharistiæ.* 6
Articulus primus. *An Eucharistia sit novæ legis Sacramentum.* ibid.
Articulus II. *De reali Præsentiâ Christi in Eucharistiâ.* 9
Articulus III. *De modo Præsentiæ realis Christi in Eucharistiâ.* 65
§ I. *Utrùm Christus sit realiter præsens in Eucharistiâ per Transsubstantiationem.* ibid.
§ II. *Utrùm Christus sit realiter præsens in Eucharistiâ modo permanenti.* 75
CAPUT II. *De Materiâ et Formâ Sacramenti Eucharistiæ.* 82
Articulus primus. *De Materiâ Eucharistiæ.* ibid.
§ I. *De Pane eucharistico.* 83
§ II. *De Vino eucharistico.* 89
§ III. *Quomodò materia consecranda debeat esse præsens Sacerdoti, et quomodò per consecrantis intentionem debeat esse determinata.* 94
Articulus II. *De Formâ Eucharistiæ.* 97
CAPUT III. *De Ministro Eucharistiæ.* 104
Articulus primus. *De Ministro consecrationis Eucharistiæ.* ibid.
Articulus II. *De Ministro dispensationis Eucharistiæ.* 108
CAPUT IV. *De Subjecto Eucharistiæ.* 113
Articulus primus. *Quibus dari debeat Eucharistia.* ibid.
Articulus II. *Quænam requirantur dispositiones ad perceptionem Eucharistiæ.* 116
§ I. *Quænam requirantur dispositiones ex parte corporis.* ibid.
§ II. *Quænam dispositiones requirantur ex parte animæ.* 121
Articulus III. *De Dispositionibus ad frequentem Communionem requisitis.* 124

CAPUT V. *De necessitate Eucharistiæ.* Pag. 127
Articulus primus. *An Eucharistia sit necessaria necessitate medii.* ibid.
Articulus II. *An Eucharistia sit necessaria necessitate præcepti divini.* 132
Articulus III. *An Eucharistia sit necessaria necessitate præcepti ecclesiastici.* 135
Articulus IV. *De Necessitate Communionis sub utrâque specie.* 138
CAPUT VI. *De effectibus Eucharistiæ.* 145
APPENDIX. *De Institutione Eucharistiæ.* 148

PARS SECUNDA.

De Eucharistiâ prout est Sacrificium.

Notiones de Sacrificio in genere. 156
CAPUT PRIMUM. *De Existentiâ sacrificii Missæ.* 159
CAPUT II. *De Essentiâ sacrificii Missæ.* 167
Articulus primus. *De Materiâ seu Victimâ sacrificii Missæ.* ibid.
Articulus II. *Quâ actione perficiatur sacrificium Missæ.* 172
§ I. *Exponuntur simul et refelluntur quædam Opiniones.* 173
§ II. *Adstruitur et explicatur sententia probabilior.* 176
CAPUT III. *De Effectibus et Valore sacrificii Missæ.* 183
Articulus primus. *De Effectibus sacrificii Missæ.* ibid.
§ I. *Quinam sint Effectus sacrificii Missæ.* ibid.
§ II. *Quomodò Missæ sacrificium suos producat effectus.* 186
Articulus II. *De Valore sacrificii Missæ.* 189
CAPUT IV. *De Ministro sacrificii Missæ.* 191
Articulus primus. *Quis sit Minister sacrificii Missæ.* ibid.
Articulus II. *Quænam sint obligationes Sacerdotum relativè ad Missæ Sacrificium.* 194
§ I. *De obligationibus Sacerdotum circa Missæ celebrationem.* ibid.
§ II. *De obligationibus Sacerdotum circa Missæ applicationem.* 196
§ III. *De obligationibus Sacerdotum circa stipendium Missæ.* 202
I. *An et quomodò liceat dare vel accipere stipendium pro Missis celebrandis.* ibid.
II. *Quænam sint Sacerdotum obligationes quæ ex accepto stipendio oriuntur.* 204
CAPUT V. *De Subjecto sacrificii Missæ.* 209
Articulus primus. *An Missæ sacrificium pro omnibus omninò hominibus vivis possit offerri.* ibid.

Articulus II. *Utrùm Missæ sacrificium pro omnibus defunctis offerri possit.* Pag. 212
CAPUT VI. *De iis quæ ab Ecclesiâ præscribuntur circa Missæ celebrationem.* 219
Articulus primus. *De Loco Sacrificii.* ibid.
§ I. *Utrùm nonnisi in Ecclesiis celebrare liceat.* 220
§ II. *Utrùm in omni Ecclesiâ celebrare liceat.* 221
I. *An liceat celebrare in Ecclesiâ pollutâ vel exsecratâ.* ibid.
II. *Quomodò Ecclesia polluatur vel exsecretur.* 222
III. *Quid agendum sit quandò contingit Ecclesiam violari aut exsecrari.* 225
Articulus II. *De Tempore quo celebrandum est.* 226
Articulus III. *De Altari et ejus apparatu.* 229
§ I. *De Altari.* ibid.
§ II. *De Altaris apparatu.* 232
Articulus IV. *De Vasis sacris.* 234
Articulus V. *De sacris Linteaminibus.* 236
Articulus VI. *De Sacerdotum Ornamentis.* 237
Articulus VII. *De sacris Ritibus et Cæremoniis circa Missæ celebrationem observandis.* 241
§ I. *De Ritibus intra Missam servandis.* ibid.
§ II. *De Ritibus extra Missam servandis.* 247

TRACTATUS

DE EXTREMÆ UNCTIONIS SACRAMENTO.

CAPUT PRIMUM. *An et quid sit Sacramentum Extremæ Unctionis.* 249
Articulus primus. *De Extremæ Unctionis Nomine et Definitione.* ibid.
Articulus II. *An Extrema Unctio sit novæ legis Sacramentum.* 250
CAPUT II. *De Extremæ Unctionis Materiâ.* 254
CAPUT III. *De Extremæ Unctionis Formâ.* 257
CAPUT IV. *De multiplici Extremæ Unctionis Fine et Effectu.* 259
CAPUT V. *De Extremæ Unctionis Ministro.* 262
CAPUT VI. *De Suscipiente et Suscipientis Dispositionibus.* 264
Articulus primus. *Quinam possint hoc Sacramentum suscipere.* 265
Articulus II. *An et quomodò necessarium sit ad salutem Extremæ Unctionis Sacramentum.* 266
Articulus III. *Quænam dispositiones ad dignè suscipiendam Extremam Unctionem requirantur.* 267
Articulus IV. *An et quomodò Sacramentum hoc iterari possit.* 268

TRACTATUS

DE ORDINIS SACRAMENTO.

DISSERTATIO PRIMA. De Sacramento Ordinis in communi. Pag. 269
CAPUT PRIMUM. *Quid, et quotuplex sit Ordinis Sacramentum.* 270
Articulus primus. *De Ordinis Nomine et Definitione.* ibid.
Articulus II. *Utrùm Ordo seu Ordinatio verum sit Sacramentum.* 271
Articulus III. *Quinam et quot sint Ordines.* 273
Articulus IV. *An quilibet ex Ordinibus veram habeat Sacramenti rationem.* 277
CAPUT II. *De Sacramenti Ordinis Materiâ et Formâ.* 280
Articulus primus. *Quænam sit Materia et Forma essentialis Sacramenti Ordinis.* 281
Articulus II. *Quomodò Materiam et Formam Christus determinaverit.* 286
CAPUT III. *De multiplici Ordinis Fine et Effectu.* 288
CAPUT IV. *De Sacramenti Ordinis Ministro.* 291
CAPUT V. *De Ordinandis et eorum Qualitatibus.* 296
CAPUT VI. *De Ordinationis Cæremoniis, Obligationibus et Circumstantiis.* 299
DISSERTATIO II. De Tonsurâ et singulis Ordinibus. 301
CAPUT PRIMUM. *De Tonsurâ Clericali.* ibid.
CAPUT II. *De quatuor Minoribus Ordinibus.* 302
CAPUT III. *De Subdiaconatu.* 304
CAPUT IV. *De Diaconatu.* 305
CAPUT V. *De Presbyteratu.* ibid.
CAPUT VI. *De Episcopatu.* 310
Articulus primus. *De Naturâ Episcopatûs.* 311
Articulus II. *De Episcopatûs Materiâ et Formâ.* 312
Articulus III. *An et quomodò Episcopatus sit Presbyteratu superior.* 313

TRACTATUS

DE CENSURIS ET IRREGULARITATIBUS.

PARS PRIMA.

De Censuris.

CAPUT PRIMUM. *De Censuris in genere.* 318
SECTIO PRIMA. *Quid et quotuplex sit Censura.* 319
Articulus primus. *Quid sit Censura.* ibid.

Articulus II. *Quotuplex sit Censura.* Pag. 321
Sectio II. *De causis Censurarum.* 325
Articulus primus. *Quis possit ferre Censuras.* ibid.
Articulus II. *In quos ferri possint Censuræ.* 328
Articulus III. *Ob quam culpam ferri possint Censuræ.* 332
Articulus IV. *Quænam conditiones servandæ sint in ferendis Censuris.* 335
Sectio III. *De causis excusantibus à Censuris.* 336
Sectio IV. *Utrùm per solam absolutionem tolli possint Censuræ, à quo, et quomodò.* 340
Articulus primus. *An per solam absolutionem solvantur Censuræ.* 341
Articulus II. *A quo tolli possint Censuræ* 342
Articulus III. *Quisnam sit modus absolvendi à Censuris.* 345
CAPUT II. *De Censuris in particulari.* 346
Sectio prima. *De Excommunicatione.* ibid.
Articulus primus. *Quid sit Excommunicatio.* ibid.
Articulus II. *Quotuplex sit Excommunicatio.* 348
Articulus III. *De Effectibus Excommunicationis.* 352
§ I. *De Effectibus Excommunicationis majoris respectu excommunicati, sive tolerati, sive non.* 355
§ II. *De Effectibus Excommunicationis majoris respectu fidelium.* 358
Articulus IV. *De Monitoriis.* 362
Sectio II. *De Suspensione.* 365
Articulus primus. *Quid sit Suspensio.* 366
Articulus II. *Quotuplex sit Suspensio.* 367
Articulus III. *De Effectibus Suspensionis.* 370
Sectio III. *De Interdicto.* 373
Articulus primus. *Quid sit Interdictum.* ibid.
Articulus II. *Quotuplex sit Interdictum.* 374
Articulus III. *Quinam sint effectus Interdicti.* 375

PARS SECUNDA.

De Irregularitatibus.

CAPUT PRIMUM. *De Irregularitatibus in communi.* 379
Articulus primus. *Quid sit Irregularitas.* ibid.
Articulus II. *Quotuplex sit Irregularitas.* 381
Articulus III. *Quis Irregularitatem statuere possit et tollere.* 383
CAPUT II. *Quænam sint Irregularitates ex defectu.* 384
Articulus primus. *De Defectu Natalium.* 385
Articulus II. *De Defectu Corporis.* 387
Articulus III. *De Defectu Animi.* 389
Articulus IV. *De Defectu Ætatis* 390
Articulus V. *De Defectu Libertatis.* 391

Articulus VI. *De Defectu Famæ.* Pag. 392
Articulus VII. *De Bigamiâ, seu de Defectu Sacramenti.* 394
Articulus VIII. *De Defectu Lenitatis.* 396
CAPUT III. *Quænam sint Irregularitates ex delicto.* 399
Articulus primus. *De Delicto Homicidii.* 400
Articulus II. *De Delicto Mutilationis.* 402
Articulus III. *De Delicto illegitimæ susceptionis Ordinum.* 403
Articulus IV. *De Delicto usurpationis indebitæ Ordinum* ibid.
Articulus V. *De Delicto violatæ censuræ per exercitium Ordinis.* 405
Articulus VI. *De Delicto iterati vel ab hæretico suscepti Baptismatis.* 406
Articulus VII. *De Delicto Hæresis.* 407

TRACTATUS

DE INDULGENTIIS ET PURGATORIO.

CAPUT PRIMUM. *De Indulgentiis.* 408
Articulus primus. *An Ecclesia potestatem habeat Indulgentias concedendi.* 409
Articulus II. *Quid et quotuplex sit Indulgentia.* 415
Articulus III. *Quisnam in Ecclesiâ possit Indulgentias concedere.* 417
Articulus IV. *Quibus possint Indulgentiæ concedi et prodesse.* 420
Articulus V. *De Effectibus Indulgentiarum.* 425
Articulus VI. *De Jubilæo, et privilegiis Jubilæo annecti solitis.* 427
§ I. *Quid sit Jubilæus.* ibid.
§ II. *De Privilegiis Jubilæo annecti solitis.* 429
I. *De primo Privilegio.* 431
II. *De secundo Privilegio.* 432
III. *De tertio Privilegio.* 435
IV. *De quarto Privilegio.* 436
Articulus VII. *De Operibus ad Jubilæum cœterasque Indulgentias præmittendis.* 438
§ I. *De Operibus in communi.* ibid.
§ II. *De injunctis ad Jubilæum Operibus in specie.* 442
Articulus VIII. *De Duratione, Cessatione et Suspensione Indulgentiarum.* 446
CAPUT II. *De Purgatorio animarum loco.* 450
Articulus primus. *An sit Purgatorium.* ibid.
Articulus II. *Quænam sunt pœnæ Purgatorii.* 452
Articulus III. *An animæ in Purgatorio detentæ juvari possint per Indulgentias.* 453

TRACTATUS

DE MATRIMONIO.

De Nomine Definitione et Divisione Matrimonii. Pag. 456
DISSERTATIO PRIMA. De Essentiâ Matrimonii. 458
DISSERTATIO II. De Proprietatibus Matrimonii. 463
CAPUT PRIMUM. *De Matrimonii Honestate.* ibid.
CAPUT II. *De Unitate Matrimonii.* 468
Articulus primus. *De Polygamiâ successivâ.* 469
Articulus II. *De Polygamiâ simultaneâ.* 471
CAPUT III. *De Matrimonii Indissolubilitate.* 474
Sectio prima. *Utrùm Matrimonium sit indissolubile* quoad vinculum. 475
Articulus primus. *Utrùm Matrimonium generatìm sit indissolubile.* ibid.
Articulus II. *An Matrimonium apud Infideles sit indissolubile.* 476
Articulus III. *An Matrimonium olìm apud Judæos solveretur.* 479
Articulus IV. *Utrùm Matrimonium apud Christianos sit indissolubile.* 480
§ I. *An Matrimonium Christianorum per adulterium dirimatur.* ibid.
§ II. *Utrùm Matrimonium ratum et non consummatum solemni Religionis Professione dirimatur.* 486
Sectio II. *An Matrimonium sit indissolubile quoad torum et habitationem.* 488
Articulus primus. *An licita sit Matrimonii Dissolutio quoad torum et habitationem.* ibid.
Articulus II. *Quænam sint causæ separationis quoad torum et habitationem.* 489
DISSERTATIO III. De Causis Contractùs Matrimonialis. 492
CAPUT PRIMUM. *De Causis disponentibus ad contractum Matrimonii.* ibid.
Articulus primus. *De Consensu Parentum ad Matrimonium requisito.* 493
Articulus II. *De Sponsalibus.* 496
§ I. *Quid sint Sponsalia, et de conditionibus ad eorum validitatem requisitis.* ibid.
§ II. *De Obligatione Sponsalium.* 500
§ III. *De Dissolutione Sponsalium.* 502
Articulus III. *De Bannorum promulgatione.* 508
§ I. *De Bannorum necessitate.* 509
§ II. *De Circumstantiis promulgationis Bannorum.* 510
§ III. *De Obligationibus quæ oriuntur ex Bannorum promulgatione.* 512

§ IV. *De Bannorum Dispensatione.* Pag. 514
CAPUT II. *De causâ efficiente Contractûs matrimonialis, seu de contrahentium Consensu.* 515
DISSERTATIO IV. De impedimentis Matrimonii. 522
CAPUT PRIMUM. *De Impedimentis in genere.* ibid.
Articulus primus. *Utrùm possit Ecclesia constituere Impedimenta Matrimonium dirimentia.* 525
Articulus II. *Utrùm Princeps secularis jus habeat statuendi Impedimenta Matrimonium dirimentia.* 530
CAPUT II. *De Impedimentis Matrimonii in specie.* 534
SECTIO PRIMA. *De Impedimentis canonicis.* ibid.
Articulus primus. *De Impedimentis dirimentibus.* ibid.
§ I. *De Impedimento Erroris.* ibid.
§ II. *De impedimento Conditionis servilis.* 537
§ III. *De Impedimento Voti.* ibid.
§ IV. *De Impedimento Cognationis.* 539
I. *Cognatio naturalis.* ibid.
II. *De Cognatione spirituali.* 544
III. *De Cognatione legali.* 547
§ V. *De Impedimento Criminis.* 548
I. *Conjugicidum sine adulterio.* 549
II. *Adulterium sine conjugicidio.* 550
III. *Conjugicidium cum adulterio.* 552
§ VI. *De Impedimento Disparitatis cultûs.* 553
§ VII *De Impedimento Vis, seu Metûs.* 555
§ VIII. *De Impedimento Ordinis.* 560
§ IX. *De Impedimento Ligaminis.* 562
§ X. *De Impedimento Honestatis publicæ.* 563
§ XI. *De Impedimento Affinitatis.* 567
I. *Quid sit Affinitas.* ibid.
II. *Quomodò dignoscantur gradus Affinitatis.* 569
III. *An et in quo gradu Affinitas sit impedimentum dirimens Matrimonium.* ibid.
§ XII. *De Impedimento Impotentiæ.* 571
§ XII. *De Impedimento Raptûs.* 576
§ XIV. *De Impedimento Clandestinitatis.* 579
I. *An aliquandò valida fuerint et etiamnùm valeant Matrimonia clandestina.* ibid.
II. *Explanatur Decretum Concilii Tridentini circa clandestinitatem.* 580
Articulus II. *De Impedimentis prohibentibus.* 588
SECTIO II. *De Impedimentis civilibus.* 592
Articulus primus. *Utrùm Princeps secularis de facto usus fuerit potestate statuendi impedimenta quæ Matrimonium dirimant.* ibid.
Articulus II. *Quænam sint Impedimenta in civili Codice constituta.* 596
CAPUT III. *De Dispensatione Impedimentorum.* 600

Articulus primus. *Quis possit dispensare super impedimentis Matrimonii.* Pag. 600
Articulus II. *De causis Dispensationum.* 606
Articulus III. *De modo obtinendi Dispensationes.* 608
APPENDIX. *De Revalidatione Matrimonii.* 616
CAPUT PRIMUM. *Utrùm et quomodò Parochus vel Confessarius eos monere debeat quos noverit invalidè Matrimonium contraxisse.* ibid.
CAPUT II. *Quomodò redintegrandum sit Matrimonium invalidè contractum.* 619
Articulus primus. *Utrùm ad revalidationem Matrimonii necessariò servanda sit forma à Tridentino præscripta.* 620
Articulus II. *Qualis requiratur consensus ad Matrimonii revalidationem.* 621
§ I. *Qualis requiratur consensus, ubi Matrimonium irritum fuit ex defectu consensûs.* ibid.
§ II. *Qualis requiratur consensus, cùm Matrimonium irritum fuit ob impedimentum dirimens.* 623
I. *De simplici Dispensatione.* ibid.
II. *De Dispensatione in radice.* 625
DISSERTATIO V. De Matrimonio quatenùs est novæ legis Sacramentum. 633
CAPUT PRIMUM. *De Existentiâ Sacramenti Matrimonii.* ibid.
CAPUT II. *De Materiâ, Formâ et Ministro Sacramenti Matrimonii.* 637
CAPUT III. *De Subjecto et illius Dispositionibus.* 645
Articulus primus. *De Subjecto Sacramenti Matrimonii.* ibid.
Articulus II. *De Subjecti Dispositionibus.* 647
CAPUT IV. *De Effectibus Sacramenti Matrimonii.* 648
DISSERTATIO ULTIMA. De Officiis Matrimonii. 649
CAPUT PRIMUM. *De Obligatione Fidelitatis inter conjuges servandæ.* 650
CAPUT II. *De causis à reddendo matrimoniali Debito excusantibus.* 652
Articulus primus. *De Primâ Causâ excusante à redditione Debiti Matrimonii.* ibid.
Articulus II. *De Secundâ Causâ excusante.* 654
Articulus III. *De tertiâ Causâ excusante.* 656
§ I. *De Impedimento antecedente Matrimonium.* ibid.
§ II. *De Impedimento subsequente Matrimonium.* 659

FINIS INDICIS.